
M62h
R

HIERONYMI MERCVRIALIS

Medici hac tempestate clarissimi

TRACTATVS,


De Compositione Medicamentorum.
De Morbis Oculorum, & Aurium.

IPSO PRAELEGENTE OLIM PATAVII
DILIGENTER EXCEPTI.

Et nunc primum à MICHAELE Columbo
Philosopho & Medico editi.

CVM INDICIBVS COPIOSISSIMIS.





VENETIIS, APVD IVNTAS,
M. D. XC.
Cum Licentia, & Priuilegio.

PETRVS DE VVITTENDEL,
P. M. D. candido Lectori S. D.

INter ea, quae Mercurialis Patauij in extraordinariis vocatis diebus, Auditoribus suis, cum multo eorum fructu, & admiratione, iam multi anni aguntur, praelegit; fuerunt Tractatus de Componendis Medicamentis, ac de Oculorum & Aurium vitiis: quorum etsi complura exemplaria apud varios Medicinae studiosos reperirentur, haud tamen defuerunt, & bibliopolae, & Medici, qui, vt eos typis mandari permitteret, obnixè efflagitarunt. Et quanquam diu obstiterit, quod magnoperè suspicaretur, ne diuerso modo, quam ab ipso haec praelecta fuerunt, in publicum exirent; tamen Michael Columbus summo iudicio, candidissimisq; moribus, & singulari eruditione ornatus, eam prouinciam suscepit, vt ex aliquot exemplarium collatione, vnum aliquod efficeret, quod ingeniis studiosorũ aliqua saltẽ ex parte satisfaceret. Neq; spes eum fefellit, siquidem, vt vnusquisq; facile perspicere poterit, lumina ingenii Mercurialis clarissima, adeo in his tractatibus apparẽt, vt vnum atq; eundem semper, & vbiq; fuisse, & esse, non sit dubitandum: quemadmodum etiam spero, si Deus mihi fauebit, praelectiones, quas incredibili Auditorum applausu in hoc Bononiensi gymnasio habitas, ex ipsius ore toto triennio diligenter excepi, non multo post tempore in lucem me esse missurum, quae non modo vim, & ingenium, ac eruditionem autoris clarissimè representabunt, verum etiam testatum facient, aut nullos, aut paucissimos hactenus extitisse, qui Hippocratem aeque atque ipse foeliciter explicare, eiusq; medullas intimè penetrare sciuerint. Interim vale mi Lector, atq; huic uiro ad docendum, medendum, ac omnes denique iuuandum nato, longam atque incolumen vitam mecum precare.

PRAELECTIONVM HIERONYMI MERCVRIALIS De Compoſitione Medicamentorum,

PRÆFATIO.



RIA eſſe Medicinae membra ſiue partes, hactenus apud Medicos receptiſsimum eſt, Diaeteticen ſcilicet, Pharmaceuticen, & Chirurgicen. Quod Diaetetice ante alias partes fuerit inſtituta, ſcriptum reliquit Hippocrates lib. de Arte vetere, quoniam rudes illi homines cum aegrotarent, naturæ quodam ductu inſtigati ad contrariam vitae rationem conuertebantur, quanquam Plato 3. de Repub. videtur hanc partem chirurgicae poſteriorem feciſſe. Succeſsit Diaeteticae Chirurgica, quam vſque ad tempora Homeri floruiſſe compertiſsimum eſt, vt illis temporibus nomine Medici ſolus Chirurgus ſemper intelligeretur; Poſt quam partem tandem illuxit, quae Pharmaceutice vocata eſt, tota in compoſitione vſuq́; medicamentorum collocata. Hanc apud Aegyptios primum inſtitutam fuiſſe, veroſimile eſt, eo quod medicamenta in ea regione foecundo quodam naturae prouentu ſemper abundarent, vt hac ratione etiam ſcriptum ſit ab Herodoto in Euterpe, omnia in Aegypto medicis fuiſſe plena. Quod enim vnguentorum compoſitiones, & oleorum in Aegypto primum ſint natae, facile intelligere poſſumus ex monumentis Hippocratis, & Galeni, apud quos excellenti quodam nomine plurima vnguenta Aegyptia vocata ſunt. Sed quanquam haec ars componendi medicamenta, vetuſtiſsimo tempore ſit inuenta, Hippocratis tamen aetate exculta admodum non fuit, ſiquidem ſi eius medicamenta examinemus, non ea arte neque ea methodo videntur compoſita, quae neceſſaria eſt, ac propterea non eſt mirandum ſi Galenus inter plurima veterum medicamenta, aut raro, aut nunquam Hippocratici alicuius mentionem fecerit. Poſt Hippocratis tempora, & praeſertim ſub Romani Imperij principatum, componendi medicamenta ars, mirificè euecta eſt, non ob aliud, vti exiſtimo, niſi quia, vt refert Galenus 1. de Antid. eo tempore ex vniuerſo orbe medicamenta optima Romam conuehebantur, ita vt ſicuti tempore Hippocrates ob medicamentorum inopiam vſus componendi non ita clarus fuit, Romanorum tempore maximè claruerit. Quare Galenus iure ſibi propoſuit medicamenta ſuperiorum medicorum aeſtimare, commendare, & interdum diligentiſsimè examinare. Itaque

duobus

duobus praeclarissimis voluminibus hanc nobis artem aperire aggressus est, nec post ipsum defuerunt Arabes, qui copiam quandam medicamentorum incredibilem, & compositam tradiderunt, & componendi vsum monstrarunt. Hanc candem viam ingressi sunt recentiores multi, Decennius, Trincauellius, Syluius, Fallopius, & alij, qui omnes tum veteres, tum recentiores quanquam elaborarunt in hac arte nobis tradenda, veruntamen, vel propter nimiam subtilitatem, vel propter immensam longitudinem, vel propter rei difficultatem non ita omnibus placuerunt, nec etiam videntur omnibus profuisse. Itaque hac ego ratione ductus, & etiam precibus vestris inflammatus, statui hoc tempore artem vobis demonstrare lucidam, synceram, & quantum fieri poterit breuem, qua possitis ex vobis ipsis, atque etiam ex tempore medicamenta parare, hoc est enim quod gloriosos, & opulentos medicos reddit. hoc est propter quod dicebat Arist. 10. Ethic. veros medicos non fieri ex libris. Vt autem quod docturus sum vos, ordine, & methodo amplectamini, quinque præcipua capita vobis declarare conabor. Vnum erit, quis sit finis, & scopus medicacamenta componendi, etenim nisi primo cognoscantur a medico fines & scopi quos tenere debet in medicamentis componendis, proculdubio coeca, & erronea erit omnis tractatio. secundum caput erit, vt doceam vos quae, & qualia sint medicamenta ex quibus quotidie fiunt pro aegris compositiones. tertium erit quantitas, & mensura medicamentorum, quatum in compositione ipsorum, tum in vsu vti debetis: in qua parte maxime requiritur industria vestra, quoniam si quid est, quod faciat artem nostram conicturalem, si quid est in quo errores medici sint loethales, proculdubio est mensura medicamentorum. quartum erit modus componendi medicamenta: etenim nil frequentius habetis apud medicos, & Pharmacopolas, quam illud, misce, & fiat secundum artem, quomodo autem sint faciendae istae mixtiones, quis sit hic modus & quae ars, a paucissimis clare explicatum habetur. quintum & postremum erit de tempore opportuno medicamenta componendi, namque vt in caeteris rebus oportunitas temporis magnoperè valet, sic potissimum valet in hac parte medicamentorum compositionis.

INDEX CAPITVM
IN PRÆLECTIONES
De compositione Medicamentorum.

LIEER PRIMVS.

Liber Secundus qui est de medicamentorum Dosi.

Medio-

Liber Tertius, qui medicamentorum componendorum rationem tradit ac methodum.

F I N I S.

INDEX IN PRÆLECTIONES DE COMPOSITIONE Medicamentorum.

A indicat faciem primam B faciem secundam.

Index.

Epi-

Index.

actiones

do

Index Finis.

HIER. MERCVRIALIS
PRAELECTIONVM.
De Compositione Medicamentorum.
LIBER PRIMVS.
In quo de medicamentorum facultatibus agitur.
De Componendorum medicamentorum causis. Cap. I.


Quinque fines esse ob quos medic. cōponuntur.



VT itaque principium sumamus, quinque inuenio fines esse, ob quos medici composuerunt, & hoc tempore componunt medicamenta: vnus est, quia in conseruandis corporibus à morbis, & in debellandis morbis ipsis sæpe variæ virtutes, & facultates requiruntur, quę cū in vno medicamēto non reperianī, necessariū est plura simul cōmiscere, vt plures & varię facultates habeātur: ꝓpter ꝙ iure damnandus est Plinius qui lib. 29. cap. 1. damnauit cōpositiones medicamentorum, eo quod singula liceat inuenire remedia, quę morbis omnibus opitulari possunt, hinc etiam clarum est iure Gale. 1. de composf. med. secundum genera, improbasse eos qui aliquibus alijs leuibus rationibus medicamentorū compositionem euerterunt, quod autem variæ, & diuersæ facultates requirantur, fit propter multas causas, vel propter affectuum diuersitates. V. g. si quis laboret erysipelate, & catarrho, si febre & fluxu alui, in his requiruntur diuersæ, & pene contrariæ facultates, quæ cum non reperiātur, in vno medicamento necessarium est plura miscere: aut propter causę à morbo diuersitatem, vt in febre a pituita, febris cum sit affectus calidus, & siccus, causa vero sit materia

Primus finis est diuersas habere facultates.

Pli. negauit compositionem medic.



frigida, & humida. huius varietatis ratione fit, vt ſint componenda varia medicamenta: aut propter cauſarum ægritudinis inter ſe diuerſitatem, vt in ſcabie & lepra, in quibus cum humores diuerſi ſint cauſæ, diuerſæ quoque requiruntur facultates: aut propter diuerſitatem ægritudinis a ſymptomate. Exemplum, ſi pleuritidi adnectatur fluxus alui, febri coniungatur ſyncope, in his cum accidens, & morbus requirat diuerſa remedia, propterea compoſitio diuerſorum eſt neceſſaria: aut propter varietatem ægritudinis a membro patiente, hæc autem diuerſitas eſt aut propter complexionem partis, vt ſi cerebrum eryſipelate laboret: nam cum cerebrum ſit frigidum, & humidum temperatura, eryſipelas affectus feruidus, iure in vſum veniunt diuerſæ, & variæ facultates: vel propter principatum partis, vt ſi cor tremore laboret, ſi iecur inflammatione: aut propter ſitum partis, veluti vlcus in pulmone: vel propter colligantiam, aut ſenſibilitatem, vt ſi ægritudo aliqua ſit in ore ſtomachi: nam, tametſi ægritudo exigat medicamenta frigida, tamē dicebat Auer. valde abſtinendum eſſe a medicinis nimis refrigerantibus in ventriculo. Eſt itaque primus finis componendi medicamenta, vt variæ facultates ſimul miſceantur. Secundus eſt, vt vis medicamenti, quam optamus, vel augeatur, vel minuatur, vel ab alia qualitate, quam non optamus, ſpolietur. Augentur medicamenta, ſeu facultates medicamentorum, quando valentiora imbecillibus adnectuntur. v. g. ſi vtendum ſit oleo chamomelino, & calorificam eius vim optemus maiorem, addemus, vel cinamomum, vel calamum aromaticum, vel aliquid aliud, quod poſſit augere facultatem calorificam. Minuitur autem facultas medicamenti duobus modis, vel quando miſcentur contraria, vt ſi velimus vti opio, & timeamus eius frigiditatem, miſcendum eſt caſtoreum, vt miſcet Galen. quod ſua facultate contraria frangit vim, & facultatem nimiam ipſius opij, vel minuitur, ſi intenſo remiſſius miſceatur. vnde dicebat Galen in proemio de compoſit. medi. ſecundum genera, ſi aquæ feruenti miſceamus tepidam, proculdubio remitti feruorem, ſic ſi valentioribus remedijs mitiora commiſceantur, hebetatur, & remittitur potentiorum facultas, atque quod dico de primis qualitatibus idem putatote, & in ſecundis, & tertijs a me dictum. Scio quæſtionē eſſe in ſcholis diu agitatam inter medicos, & philoſophos, an ſcilicet remiſſum remittat intenſum, ſed huiuſmodi quæſtiones huic tractationi inutiles puto, iccirco eas, & ſimiles dimittā: ſat eſt apud medicos conſtare remiſſa medicamenta ſi miſceantur validioribus eorum facultates imminuere, cuius rei eam adfert Auer. rationem 5. collect. cap. 57. quod. ſ. remiſſa vbi commiſcentur, ſemper proportio contrariæ facultatis maior euadit. exemplum, ſit piper calidum

Propter diuerſas ſymptomatū, & morborum cauſas diuerſæ requiruntur facultates.

Quæſtio ſuperuacanea eſſet.

Num remiſſum remittat intēſum.

dum in tertio gradu,frigidum vero in primo,si misceamus piperi ca lamũ aromaticũ, vel cinamomũ quid fiet? habetur quidem vnus gradus caliditatis,sed addetur etiã gradus vnus frigiditatis,adeo vt cũ primum ad tres gradus caliditatis esset,vnus solus frigiditatis,nunc ad quatuor gradus caliditatis adsunt duo frigiditatis: adeo vt in mixtione remissioris medicamenti semper augeatur gradus contrariæ qualitatis. spoliatur qualitas quæ non optatur per commistionem,quando vna ex qualitatibus, vel primis,vel secundis, vel tertijs contrario miscetur.v.g.si velimus vti lactucæ succo,& solummodo cupiamus frigiditatem,non autem humiditatem, miscere debemus succum, qui siccitate sua adimat humiditatem. v.g.si addamus succum plantaginis,qui siccat in secundo gradu auferendo humiditatem lactucæ,quæ est in secundo gradu: pariter agendum est in secundis qualitatibus,vt si aperire velimus,nec expediat aperire calefacientibus,miscemus ea quæ possunt vim illam calefactoriam frangere, vt si aperire cum apio volumus, miscemus semina melonum, quæ nec minuunt virtutẽ aperitiuam,& tamen sua frigida qualitate retundunt caliditatem apij idem dicitote in tertijs facultatibus, vt si prouocare vrinam placeat,ac timeamus caliditatem, accipiemus radices asparaci syluestris,& admiscebimus semina cucurbitæ,quæ adiuuabunt quoquopacto facultatem vrinæ prouocatoriã, simulq; retundet acrimoniam rad asparaci syluestris. Quod his exẽplis vos docui seruiet etiam in alijs facultatibus spoliandis. Tertius finis est in componendis medicamentis,vt facultas naturæ nostræ inimica,& venenata, vel corrigatur, vel prorsus auferatur, nam dicebat Gale.2.de acutis, & 6.Epid. medicamenta purgantia inimicam nostræ naturæ qualitatem possidere, & propterea ab Hippoc.prudenter excogitatum fuisse,vt odorata semper commisceantur,sic etiam in vsum veniunt interdum venena in partibus corporis extrinsecis, vt squama aeris,argentum sublimatum,quibus nisi misceamus, quæ veneficam facultatem imminuant, lœthalia damna inferimus. Sed locus hic postulat vt cõtradictionẽ in verbis Gal.quam fui alias pollicitus, dissoluã.Scilicet an purgantia medicamenta habeant facultatem,& proprietatem naturæ nostræ inimicam. nam Gale 2.de acutis 12. scribit purgantium medicamentorum naturam esse contrariam, ac pœne lœthalem, & deleteriam corporibus eorum, qui purgantur, & sicuti papaueris,iusquiami, & mandragoræ succus si in modica quantitate adhibeatur interdum iuuat, si in paulo maiore maxime nocet,sic medicamenta purgantia, si in pauca quantitate exhibeantur iuuare, si multa nocere, & lœthalia esse;quo in loco clarissime monstrat Gal purgantium naturam esse nobis inimicam. Cæterum idem Gale.6.Epid.com.6. tex 5. loquens de proprietati-

Exemplum.

Tertius finis spoliare naturã medi nobis contrariam.

An purgantia medi.habeant naturã nostræ inimicam. Galen.

Quatuor sunt classes eorum quæ nobis amica vel inimica.

bus,quæ vel nobis sunt propriæ, vel inimicæ,quatuor earũ classes facit , vnam in nutrimentis,aliam in medicamentis,aliam in venenis, κακοῦργα vocat Hippoc. siue malefica. quartam in antidotis : rursus maleficorum genus diuidit in duo, vnum eorũ,quæ proprie deleteria vocat , alterum eorum quæ ab animalibus eiaculantur. subiũgit Gale.fortasse aliquem futurum qui inter deleteria connumeret pur-

Contradicit.

gantia medicamẽta:sed hoc esse perinde ac si alexipharmaca numeremus inter deleteria , quia sicuti purgantia in exigua quãtitate exhibita iuuant, in immodica nocent , sic alexipharmaca debito pondere exhibita , iuuant , immodico verò maxime nocent: Ex quo discursu clare colligitur Gal. nolle purgantia esse numeranda inter vere deleteria , nec inter ea quæ proprietatem habent nobis inimicã: adnectitur his,quòd idem Gal 3. de simpl cap.24. scribit,medicamẽtis purgantibus non inesse qualitatem deleteriã , vt si conferatis hęc loca Gal. facile appareat non solum contradictionẽ inesse,verũetiã difficilem & grauẽ. Quam vt tolleret Fallolop piæ memoriæ præce-

Tria genera deleteriorũ virium.

ptor meus,dixit tria esse genera eorum quæ sunt deleteria , vnũ eorum quæ qualitate manifesta iugulant homines , vt cicuta frigore: secundum eorum quæ secundum substantiam , vel proprietatẽ occultam , vt argentum viuum , argentum sublimatum : tertium eorũ quæ enecant imodice euacuando , vt sunt medicamenta purgantia: addit has facultates deleterias non raro comisceri , ita vt inueniantur quæ tum qualitatibus manifestis , tum tota substantia , tum etiã nimium euacuando homines interimant.hisce suppositis dicit Fal-

Solu. Falop.

lop. Gale. loqui secundo de acutis , de ijs quę interimunt propter nimiam euacuationis violentiam.sed quia videbat verba Gal.sonare ꝙ habeant contrariam naturam , non quia euacuant, eapropter dicit,homini duas esse contrarias naturas , vnam quæ vere contrariatur , & interimit,alteram propter quam medicamẽta a calore naturali non vincuntur : adeo vt quando Gal. dixit,medicamenta ha-

Confutatio.

bere facultatem,contrariam,intellexerit non de vera contraria natura , sed de ea,propter quam medicamenta non superantur a calo-

Prima confutatio.

re : vbi vero negauit qualitatem inimicam , & deleteriam,locutum esse de vera & proprie inimica qualitate.sed parcant mihi præceptoris manes ,non possum tollere his rationibus contraditionem , nec

Quid differat inter medica. deleteria, & læthalia.

etiam possum probare oĩa huius viri dicta.Primum quia non ponit differentiam inter medicamenta lœthalia , & deleteria. cum tñ Gal. 6. Epid. cõm. 6. tex. 5. & 6. de med loc. primo,maximam ponat differentiam .s. quod lœthalia sint quæ interdum prodesse possunt:deleteria quæ nũquam , aut sanis aut ægris prosunt , quo in loco volo vos cõmonefacere erroris in textu latino, vbi particula illa (non) non lœthalia omnino expungenda est , nam in textu Græco

non

non habetur, & cum hac de re admonuiſſem doctiſſimum Paulum Craſſum eius interpretem, aſſenſus eſt mihi. Deinde quia ſi deleterium medicamentum eſt illud ſecundum Galenum, quod ſemper interficit, & quod nũquam iuuat neque ſanos, neque ægros, ergo medicamentum purgans ſi eſſet vere deleterium nũquam iuuaret. tertio quia ſi pro natura cõtraria debemus intelligere quod a calore naturali non conficiatur, ſic omnia medicamenta habebunt naturam contrariam, quia iccirco purgant medicamenta oĩa quoniam a calore non ſuperantur, tamen Gal. 3. de ſimpl non tribuit illud omnibus medicamentis. quarto & vltimo quod Hippo. miſcet medicamentis odorata; non quidem vt conficiantur melius a calore, ſed, dicit Gal. vt facultas contraria oĩo ab odoratis remittatur.

Secunda cõfutatio.
Quid eſt med. deleterium.
Tertia confutatio.
Cur medicamenta non purgent.
Quarta confutatio.
Cur miſceãtur ab Hipp. odorabilia.

Vt explicatam habeatis propoſitę contradictionis reſolutionem. Duo ante alia ſunt nobis conſtituenda, vnum has voces θανάσιμον & δηλητήριον ſeu lœthale, & deleterium duobus modis apud ſcriptores accipi, vno ꝓprie, alio cõmuniter: quãdo proprie accipiuntur, ſignificant id quod intellexiſtis ex Galen. 6. Epid. commẽ. 6. tex. 5. ſ. quod lœthale dicitur de iis, quæ licet mortẽ inferant, interdum tñ iuuant: deleteria verò proprie ſignificat ea, quæ ſemper iugulãt, hæc eſt propria ſignificatio harum vocum apud ſcriptores. Cõmuniter acceptæ, deleterium ſignificat lœthale, & lœthale deleterium: quas ſignificationes reperietis ſæpiſſime apud Nicandrum in alexipharmacis, & theriacis, ſed reperietis etiam apud Gal. libro enim de ſimplic. 10. cap. 1. inquit ſe noluiſſe tractare de lœthalibus medicamẽtis. quo in loco neceſſarium eſt pro lœthalibus intelligere proprie & verè deleteria: quia Galenus tractauit de medicamentis, quæ licet iuuant, nocent tamen interdum, de deleteriis nũquam tractauit, ea propter vox lœthale eo loco ſignificat deleteriũ. Præterea Ariſt. prima probl. ſect probl. 48. ſecundum contextum græcum, inquit medicamenta θανατόφορα ſeu lœthalia eſſe, quæ quantulacũque parte ſumantur ſemper interimunt: adeo vt vox hæc lœthale apud Ariſt. ſignificet id quod vere deleterium eſt. Alex. prima probl primo ſcribit, elleborum cothurnicibus eſſe cibum, homini deleteriũ: quo loco vox hæc non eſt proprie accepta ſed communiter pro lœthali, quia elleborus tã albus quã niger ſæpiſſime iuuat homines. hoc igitũ ſit conſtitutum, has voces & proprie, & cõmuniter ſumi apud probatos ſcriptores.

Lœthale, & deleterium duobus modis ſumuntur cõiter & proprie.
Nicandrus.
Intelligẽdus eſt Gale. d medi. deleterijs.
Ariſto. dicit lathale ſignificare vere deleterium.

Alterũ conſtituendum, eſt, eſſe aliquid aduerſum naturæ noſtræ dupliciter apud Galenum accipi, vel quod ex toto ſit contrarium, vel ꝙ ex parte; hoc manifeſtiſſime declaratur apud Gal. 3. de ſimpl. 24 his igitur in hunc modum conſtitutis, iam aperta vobis via eſt ad diſſoluendam contradictionem, eo ꝙ Gal. quãdo ſcribit 2. de acutis 12. medicamenta purgantia eſſe deleteria, nõ accipit

Aduerſariũ naturæ noſtræ duplex, eſt ſecũdum totum, & ſecundum partem.

2. acuto. 12. deleteria cõ muniter sumuntur.

cipit hãc vocem proprie, sed cõiter pro lœthali, hoc est, quod purgãtia non semper noceant, sed aliquando prosint. vbi vero 6. Epid. loco citato, negat medicamenta esse deleteria, tũ vtitur voce ea proprie, pro ijs quæ nũquam iuuant, similiter quando dicit purgantia esse inimica naturæ nostræ, intelligit non ea tota, sed aliqua ex parte inimica, vbi vero negat esse inimica, intelligit, quòd non ex toto sint inimica: & hoc modo, ni fallor, explicatã habetis contradictionem grauissimam.

Quartus finis insuauitatem demere.

Quartus finis quem medici habent in componendis medicamentis est, vt eorum insuauitas corrigatur, quemadmodum enim dicebat Lucret. 2. de natura, medici quando volunt propinare absinthia pueris tingunt vasa melle, vt ludificentur pueris, sic etiam vt insuauitas, & ingratitudo tollatur a medicamentis commiscentur ipsis saccharũ mel, sales, vinum, & multa alia & notate rẽ pulcherrimam. scribit Arist. 1. probl 48. medicamenta purgantia, vt plurimum esse prædita malo odore, & sapore: quia cum sint magna ex parte nobis inimica, sunt fugienda, & non habenda in vsu, nisi in magna necessitate: nam quæ voluit natura nobis prodesse, ea, vel iucunda, vel nõ ingrata saltem fecit, quæ voluit raro esse vsurpanda, infecit huiusmodi ingratitudine, vt fugiantur, immo ait Hipp. in lib. de arte vet. eos cibos qui nobis minime conueniunt, vel amaros, vel acres, vel salsos, alioue sapore infectos esse, vnde ab ipsis non parũ turbamur.

Quintus finis est fieri ex multis vnũ habens omnium natura.

Quintus finis est vt possint fieri medicamenta, q̃ ad multos vsus inseruiãt, appellata ob id, polychrista, nec negligendus est hic finis, quia medici, vt scribit Hippoc. in eo lib qui medicus inscribitur, & præsertim chirurgi coguntur ire cum exercitibus, coguntur itinera longa facere cum regibus, & principibus: in qua occasione non licet secum ferre multa medicamenta, & propterea optimum est, & necessarium, vt habeant pauca, sed quæ possint inseruire pluribus vsibus: sic sapientissimi viri maiores nostri composuerunt theriacen mytridatum, cyphi Ægyptiorum, & multas alias confectiones, quas non est necesse, vt referam. his vsibus addo ego, & alium non ignobilem. scilicet, inuentã esse medicamentorum compositionem, vt possint medicamenta aliqua conseruari; sic fiunt syrupi isti nostrates cum saccharo, vt cõseruentur, & condituræ multę cu melle, cum sale, cum oleo, cum aceto componuntur, non ob alium finem, quam, vt possint conseruari: sed potissimum in vsu est propter hunc finem mel ipsum, & saccharũ: quæ sunt eiusde naturæ, & differunt tantum secundum magis, & minus: neq; hoc medicorum inuentum nouum est, sed antiquissimum, quoniam scriptum habemus apud Columellam lib. 12. apud Plinium, apud Xenophontem, veteres consueuisse corpora hominum melle conseruare, & qui delectantur historijs, facile

Sextus finis aditur ab autore, qui est conseruare medicamenta composita.

cile videre possunt apud priscos Ægyptios fuisse consuetudinem, vt conseruarentur corpora incorrupta. primo sale, deinde apud alias nationes melle, & cera. Sed cupiet aliquis vestrum intelligere a me, qua ratione possint hæc, medicamenta conseruare. cuius rei causa intelligetur facillime, si causas putrefactionis intelligamus; breuiter scimus ad putredinem duas concurrere causas, caliditatem externam, & aqueam humiditate, intimam, hæc omnia corpora, vel alterum faciunt, vel vtrunque. sal maxime absumit humiditatem aqueam, oleũ prohibet aeris caliditatem, mel, & saccharũ attrahunt ad se humiditatem ex corporibus, & potest hoc cognosci experientia, quia medicamenta conseruata in melle, nisi sint exiccata, solent impertiri melli, & saccharo omnem humiditatem, & hoc videtur, quia si post duos, vel tres menses accipiatur mel coctum, quo conseruatum sit medicamentum aliquod, videbitis mel aquescere, & ideo sagaces artifices post duos, aut tres menses solent recoquere mel, & saccharum, quo auferatur omnis humiditas: Tot itaque sunt fines propter quos hæc ars componendi medicamenta, & excogitata sit a veteribus, & etiam temporibus nostris obseruata.

Qua ratione med. possint conseruare corpora incorrupta.

Solutio.

Cõfirmatio cũ experientia.

Medicamentum siue pharmacum quid. Cap. II.



EQVITVR secundum caput, de medicamentis. Quod cum sit & longius, & magis etiam necessarium, in ipso docebo vos hæc omnia: primo quid sit medicamentũ, & quia medicamenta quæruntur propter facultates, docebo quæ sint medicamẽtorum facultates, quot & quantæ eæ sint, in quibus medicamentis sint, quomodo operentur, & quomodo etiam in vsum alterandi, vel purgandi transeant. De historia medicamentorũ nihil dicam, quia habetis doctissimũ Guilandinum huius artis coriphæum, a quo potestis hæc discere. Ad primum igitur accedens dico hoc, nomen, pharmacum, tria apud medicos significare, vel venenum, vel pigmentum, quo mulieres colorant faciem, vel medicinam, quæ ad salutem hominis in vsu habetur. Similiter apud Latinos scriptores totidem significat, scilicet, vel venenum vel fucum vel medicinam. Definitur medicamentum a Gal. 1. de simp. 1. & 3. de temperamentis, quod alterare põt corpus nostrũ. Auic. 1. cant. tract. 1. tex. 26. scribit, medicinam esse quæ corpus nostrum vincit, & superat. Dicitur medicamentum a Gal. alterare, ad differentiam cibi, qui non alterat corpus, & quamquam cibus augeat corpus, & auctionem præcedat alteratio, non tamen dicitur alterare corpus: quia

Pharmacũ tria significat.

Terminus cibi est auctio.

quia terminus cibi nõ est alteratio, sed auctio, termin⁹ vero medicamẽti est alteratio. Dicitur alterare corpus, eo ꝙ ꝓprie & immediate agit medicamẽtũ in corpus, & quamquam Theoph. in lib. de vertigine: & Alex. 2. probl. 33. scribant medicamenta, etiam alterare, sensus, animos, & intellectum, veruntamen hæc alteratio peruenit in animos propter corporis alterationes. Auerr. 5. Collect. 2. vt explicaret hanc Gal. definitionẽ dixit, vel Gal. esse dãnãdum, vel hoc modo intelligendũ. s. quod cibus sit ille qui reponat partes cibati eiusdem speciei cum cibato, medicinam vero esse eam quæ reponat quidem partes cibati, sed non eiusdẽ spẽi, cui⁹ Auerr. obscuram mentẽ vt percipiatis, debetis scire ꝙ scribit Gale. primo de tuenda val. primo, & multis alijs in locis, corpus nostrum secundum substantiam perpetuo exinaniri, & dissipari: vt reponantur partes, quæ quotidie absumuntur, homines cibum capiunt, qui conuertitur in partes eiusdem speciei cuius erant partes consumptæ. medicamenta dicit Auerr. reponunt quidem partes, faciunt carnẽ faciũt aliquid aliud, sed iste partes non sunt eiusdem speciei cum comsumptis, sed contrariæ, & hinc est, dicit, quod medicamenta iuuant, quia conuertũtur in partes contrarias. sed numquã fidendum est inimicis. Auerr. fuit perpetuus Gal. calumniator, nec est credendum, eum hoc in loco potuisse Galeni mentem interpretari, quapropter animaduerto ego, Auerr. hac in re tres errores cõmisisse. Vnum quia apud Gale. alterare nihil aliud est, nisi qualitatem in diuersam qualitatem mutare, mutare qualitatẽ, & cõuerti in substantiã est valde diuersum; quare aliud oĩo est apud Gale. alterare, aliud conuerti in substantiam cibati, secundum, quod si sic intelligenda esset Galeni sentẽtia, vt ipse dicit, sequeretur a Gal. non comprehensa omnia esse medicamenta, videlicet externa, quoniam hæc, vt lippis est notissimum, nõ conuertuntur in substantiam, de internis posset dubitari, saltem de aliquibus, de externis dubitari non potest, quia compertum est hæc non conuerti in vllam partem corporis nostri. Tertium, quia his suis descriptionibus non complexus est plene naturam medicamẽtorũ, quia vt prudentissime nos docuit Auic. alia sunt medicamenta, quæ non mutant corpus mutatione insigni, sed mutantur ipsa, neq; tñ conuertuntur in substantiam eandem cum nutrito, vt lactuca, endiuia. hæc enim mutãtur a corpore nostro, & conuertuntur in aliquam substantiam, sed non in optimam, & eandem. Dicetis, cur ergo scripsit Diosc. lactucam conuerti in sanguinẽ? ex sanguine fit caro, ex lactuca fit sanguis, ergo etiam caro? intelligẽdus est Diosc. quod hæc non proprie conuertuntur in sanguinem, sed auxiliantur ad temperandum, & conficiendum sanguinem: quia pars calidior quę fieret bilis, castigata a lactuca, fit sanguis. Alia sunt medicamẽta

Auer. 5. ca. 2. c.

Corpora continuo dissipari dicit Gal.

Cibus cõuertitur in eandem substantiã secundũ speciem.

Triplex est error Auer.

Prima medicamenta.

Auic. credẽdum est.

Dubiũ per Dioscor.

Solutio.

Secunda medicamenta, quę sunt agẽda, & patiẽtia.

quæ mutantur a corpore,& mutant corpus,ita tamen vt mutatio facta a medicina vincatur tandem a mutatione facta a corpore,quo in genere sunt medicamenta mediocria,vt cassia,manna,quæ mutantur, & mutant corpus, sed tandem medicamenti actio superatur. Alia sunt medicamenta, quæ mutantur a corpore,& mutant,sed ipsorum actio destruit mutationem factam a corpore,& huiusmodi sunt lœthalia medicamenta.si igitur res ita se habet, vt docet Auic. multum abest, vt Auer.hac sua descriptione potuerit complecti integram medicamentorum naturam. Est itaque medicamentum id quod alterare corpus nostrum potest.

Facultas quid & quotuplex. *Cap. III.*



NVNC de facultatibus verba faciemus, quam tractationem,vt plenā habeatis,ante cætera cognoscendum, quid sit facultas, δύναμις enim apud Cræcos, apud nostros appellatur modo potentia, modo facultas,modo vis,de qua loquens Galen.1.de simp.1.& lib.de mul.2 dicebat facultatem esse quandam causam effectricem: quæ modo actu est,modo futura est,actu dicitur potentia ignis, quia facultas calorifica operatur sine alio. In pipere dicitur potētia esse calorifica,sed non actu. quia nisi aliud accedat non potest calefacere: Dixit Galenus esse quādam causam quoniam facultas non est vere causa, sed qualitas quædam, medio cuius causæ agunt. Et quia dictum est ab Aristo.omnem actionem proficisci a forma,necesse est,vt causa quæ agit per hanc facultatem sit quædam forma. Hæc est ars inueniendi facultates. Videamus modo quę sint formæ,& his,inuentis inueniemus quot sint facultates. Corpora quæ in vsum medicum veniunt,vel sunt viuentia,vel vitæ expertia: dico viuentia venire in vsum medicum,quia tametsi raro contingat, vt medici vtantur corporibus viuentibus, vtuntur tamen ijs,quæ olim vitam habuerunt. Corpora viuentia tres formas, habent, animam, quæ proculdubio forma est, temperiem ex quatuor qualitatibus, & formam totius compositi,quæ appellatur a medicis & philosophis modo tota substantia,modo forma substantialis: anima proculdubio habet proprias facultates,quibus operatur, quia siue sit anima vegetatrix,siue sensatrix,proculdubio operatur proprijs facultatibus, vegetatiua enim habet attractricem,concoctionem &c.habet etiam anima sensatrix suas facultates: nec dicat aliquis vestrum Galen.3. de temper 4 has facultates appellasse effectus,non causas, quia si consideremus ipsas prout fluunt ab ea

Facultas quid.

Quæ facultas est actu operatur sine medio,vt ignis.

Cur dicit Galen. esse quandā causam.

Facultas nō est vere causa.

Omnis actio proficiscitur a forma.

Corpora viuentia tres formas habent.

Anima suas habet facultates.

Dubium.

Solutio.

forma, quæ est anima iure debent nuncupari effectus: si considere-mus effectus, qui ab ipsis prodeunt, possunt dici causæ: sed de hac forma, de his facultatibus non est nobis institutum verba facere, quia hæ non ingrediuntur medicamenta nostra: nam cum comiten tur formam viuentem, cuius vel nullus, vel rarus vsus est in medica mentis, ea abeunte abeunt & ipsæ: supersunt itaque duæ aliæ for-mæ: temperatura scilicet ex quatuor qualitatibus elementorum, & formæ substantiales appellatæ. Forma substantialis, operatur per suas qualitates, sed quia huiusmodi qualitates semper sunt ignotæ, eapropter facultates a tota substantia medicamentorum dicuntur proprietates occultæ: facultates vero, quæ inseruiunt temperaturæ ad operationes, cum sint apertæ sensibus nostris, non dicuntur oc-cultæ, sed manifestæ: facultates ergo manifestæ quę quot, & quales sint, non aliunde comparare possumus, quam ex ipsis effectibus: si igitur videamus effectus medicamentorum, alij sunt primi, alij se-cundi, alij tertij: primi sunt, qui oriuntur ex primis elementorum fa-cultatibus: dicebat enim Galen. 1 & 2 & de fac. nat scriptores ante Hippoc. non cognouisse actionem, & efficaciam primarum qualita-tum elementorum, primum Hipp. cœpisse docere hanc efficaciam. Hippocratem vero secutos esse & Aristot. & Theoph[r]. primi igitur effectus sunt, qui prodeunt a primis qualitatibus elementorũ, cum enim omnia corpora composita sint ex his qualitatibus, aut qualita-tes sunt ita temperatæ, vt nulla alteram excedat, aut ita vt alia aliã excedat: si nulla excedat, dicitur corpus illud temperatum, siue au-tem sit ad pondus, siue non, non est locus disputandi: vbi vero ex-cedit aliqua qualitas, denominatur illud corpus secundum illam: adeo, vt si excedat secundum caliditatem; dicitur calidum, si secun-dum frigiditatem frigidum, & ita de alijs tum simplicibus, tum con-iugatis: quare prima, seu primus gradus facultatis, est qualitas effe-ctrix, quæ sequitur temperiẽ corporis; secundi effectus, qui nascun-tur ex temperie, sunt illi qui sequuntur primas qualitates immedia-te. v.g duratio, densatio, mollificatio, attenuatio, apertio, & similes effectus dicuntur secundi, eo quia sequuntur immediate primas qualitates; nam rarefactio sequitur caliditatem, mollificatio humi-ditatem, densatio frigus, adeo vt omnes isti effectus dependeant im mediate a primis qualitatibus, verum quia diuersi sunt isti effectus; ab effectibus primarum qualitatum, necessario & ipsi dicuntur de-pendere a proprijs quibusdam facultatibus, quæ appellantur secun-dæ, vt est facultas densatoria, emollitoria, attenuatoria: præter hos effectus sunt & alij qui tametsi dependeant, & sequantur primas, at-que secundas facultates, veruntamen & ipsi diuersi sunt, vt est car-nis generatio, prouocatio vrinę, menstruorum; facultas vomitoria:

Facultates possunt dici & causæ, & effectus.

Medicus duas formas considerat.

Cur facultates a tota substantia med dicuntur occultę.

Facultatũ numerus, et essentia ab effectibus cognoscitur.

Primus Hippo. efficaciã primarum qualitatum agnouit.

Quod sit corpus temperatum.

Primę facultates.

Denominatio sumitur a primo dominante.

Facultates secundę.

Facultates tertię.

istæ

istæ enim facultates, quæ plurimæ sunt, iure dicuntur a medicis tertiæ, quia sicuti effectus sunt tertij a primis effectibus, & diuersi, sic pariter necessarium est tertias esse aliquas facultates, quæ producant huiusmodi effectus. Itaque manifeste habetis quatuor esse ordines facultatum: vnum a tota substantia. Tres verò esse facultates manifestas, primas, secundas, & tertias. sed dicetis quæ sunt istæ facultates a tota substantia? sunt illę, quę omnino reduci non possunt,

Facultates quatuor.

neque ad primas, neque ad secundas, neq; ad tertias, vt est facultas purgandi bilē in scāmonio, & rhabarbaro, facultas cantharidū exulcerandi vesicam, facultas exulcerandi pulmones in lepore marino: quę cum nullo modo possint recenseri inter manifestas, iure dicuntur occultę, eo quod huiusmodi facultates operantur effectus, qui nulla ratione inueniri possunt, sed sola experientia cognoscuntur, vt affectus aliarum facultatum possunt inueniri ratione. Sunt aliquę facultates, quæ in varios gradus fuerunt distributę, vt est facultas appellata stomachica, cephalica, iecoraria: nam legetis apud medicos esse medicamenta quorum facultas est cephalica, alia quorum

Alię facultates ad priores reducendę.

iecoraria: huiusmodi facultates nonnulli reposuerunt inter facultates a tota substātia, alij vero inter tertias: at ego dico interdum posse reduci ad tertias, interdū ad quartas, reducuntur. n. ad tertias quādo vis ipsorum aliqua ratione inuenitur. v. g. quod stœchas sit medicamentum cephalicum, inuenitur ratione, qm̃ partes huius medicamenti cū sint euaporabiles petūt caput, & ideo huiusmodi facultas potest inter tertias numerari: Facultas cantharidum ad vesicam nō

Facultates cephalicę iecorarię partim ad tertias partim ad quartas reducuntur.

potest sane vlla ratione inueniri, sed sola experiētia, & ꝓpea huiusmodi facultas vesicatoria potius est a tota substantia, quā a facultate vlla manifesta: quare concludens dico facultates omnium medicamentorū esse qualitates quasdam actiuas, & nullo modo passiuas, vt dicebat Plato ex sententia Gal. in fine libri de plac. atq; has facultates appellari primas, secundas, tertias, & quartas, neq; me latet fuisse inter medicos, qui tantū tres ordines facultatū fecerūt, vt vr̃ fecisse tēporib. nostris doctissimus Fernel. fuerūt etiā alij, qui fecerūt quinq; ordines, sed cū neq; ratione, neq; experientia inueniātur plures, aut pauciores, quam quatuor, sum huius sententię, cum Gal. & Arab. statuēdas esse omnino has facultates. Sed dicet aliquis vestrum, qūo īter primas facultates humectatoria dicitur causa effectrix, similiter

Quatuor esse facultatū ordines, neque plures, neque pauciores.

& siccatoria, nam est sententia Gal 3 de temper. & 1. de fac. nat. 3. inter facultates solum calorem, & frigus esse effectiuas, non ergo humiditas, non siccitas: quare non erit facultas humectatoria aut siccatoria. dico omnes qualitates elementorū, secundum medicos, & præsertim secundum Galenum, esse effectrices, sed esse inter ipsas diuersitatem, quia caliditas, & frigiditas magis agunt: humiditas, & sicci-

Mentio ex siccatoria Galen.

Solutio.

Humiditatē agere, est cō tra Arist. & Gal. tas minus, & hoc modo intelligendum est, id quod scribit Galen. 3. metho. & lib. de sang. miss. & multis alijs in locis, vbi scribit, humiditatem, & siccitatem agere.

De vario facultatum gradu, seu ordine in medicamentis. Cap. IIII.

Solutio.



VM igitur adinuenerimus essentiam facultatum, & numerum, videndum est, qui sint ipsarum gradus, etenim scimus omnes apud medicos nil magis vulgatum esse, quam gradus facultatum medicamentorũ, qui nihil aliud sunt nisi actiuitas quædam magis, aut minus intensa: etenim si medicamēta omnia calida æqualiter calefacerent profectò nullus fuisset locus istis gradibus, verum quia alia magis, alia minus calefaciunt, aut refrigerant, propterea necessarium fuit statuere quosdam terminos, quos appellāt idiomate Græco τάξεις, nos dicere possumus gradus, & etiam ordines. Circa quos duo sunt breuiter consideranda, vnũ quomodo sint inuenti, & determinati: alterum cur medici solummodo hos gradus cōstituerunt in primis facultatibus, non in secundis, neq; in tertijs, neq; in quartis. Alchindus inter Arabes medicus grauissimus, qui tempore Auer. medicinam exercuit, subtilem quandam rationem imaginatus est, qua inuenti sint gradus, & necessario determinati, inquit enim gradus esse intensiones quasdam, quędam augmenta qualitatum, augmenta vero hæc dici respectu corporum temperatorum, ita vt dicuntur primi, & secundi gradus prout alicuius qualitatis augmentũ factũ est a corpore tēperato, quod est n. primum, & minimum augmentum ꝰ duplum. nam si augere debemus vnitatem, non possumus augere, nisi alia vnitate: igitur si primum augmentum est duplum in numeris a corpore temperato, primum augmentum erit duplum, adeo vt medicamentorum caliditasq; recedit a caliditate corporis tēperati, sit caliditas duplo maior, quam erat, & hæc caliditas dicitur secũdum Alchin. primi gradus. si rursus augenda est hæc caliditas, minimum augmentum est duplex augmentum, ergo qñ augetur vltra primum gradum, inquit, erit hæc caliditas duplo maior, quam caliditas primi gradus, quadruplo maior quam caliditas temperati corporis: rursus si vltra secundũ gradum augenda est caliditas, augēda est necessario secundum duplũ: adeo, vt caliditas, in tertio augmento erit duplo maior caliditate secundi gradus, quadruplo primi gradus, & octuplo caliditate corporis temperat. rursum si augenda est caliditas vltra tertium gradũ, erit etiam

Duo quæruntur circa gradus.

Quid sit gradus medicamentorum.

Quomodo gradus sint inuenti secũdum Alchindum.

hæc

hæc necessario augenda secundum duplum, & ideo hæc caliditas in quarto gradu, erit duplo maior caliditate tertij gradus, quadruplo, secundi gradus, octuplo primi gradus, & sexdecuplo maior caliditate corporis temperati. hęc est summa sententiæ Alchindi, qui conatus est inuenire rationem graduum facultatum medicamentorum. Auer. 5. collect. 58. irridet hanc subtilitatem Alchindi, eo q; si huiusmodi ratio vera esset, sequeretur nos posse progredi vltra quartum gradum: præterea inquit Auer si istud verum esset, sequeretur tertium gradum medicamentorum lęthalem esse, eo q; si tertius gradus caliditatis est octuplo maior caliditate corporis temperati, proculdubio adeo aucta caliditas ad corpus temperatum esset lœthalis. Quare vera ratio inuestigandi gradus medicamentorum est, quam monstrauit nobis Galenus, & secutus est Auer. sed ex effectibus sensui nostro apparentibus nam sicuti dicimus corpus aliquod temperatum esse, quod neque calefacit, neque humectat, neque frigefacit, sic vbi ab hac temperie descíscit, vel descíscit sensibiliter, vel non admodum sensibiliter: si non admodum sensibiliter, appellatur primus gradus, primus recessus a temperato: quod si iste recessus fiat maxime sensibilis, vel est sine læsione, vel cum læsione: si sine læsione, est secundus gradus: si sensibiliter, & cum læsione, vel læsio est corruptiua, vel non corruptiua: si non est corruptiua, dicitur tertius gradus: si vero corruptiua, appellatur hic recessus quartus gradus. Vt exempli gratia, inter calida ea dicuntur in primo gradu calefacere, quæ non admodum sensibiliter calefaciunt: in secundo gradu quæ calefaciunt sensibiliter, sed sine læsione. in tertio, quæ cum læsione, sed nõ corruptiua. in quarto, quæ cum læsione corruptiua: quod dico calefacere. Idem dictũ puta tote de alijs facultatibus primis. Sed isti gradus habent suam latitudinem; quia quæ in primo gradu calefaciunt, calefaciũt, vel intense, vel remisse, vel medio modo: quæ dicuntur remisse calefacere, dicuntur esse in principio primi gradus, quæ intense in fine, quæ medio modo in medio: & quod dico de vno gradu, idem etiam dicendum de singulis, quia tam etsi medici inuenerunt terminos horum graduum, inuenerunt tamen, & quandam latitudinem, merito cuius dicuntur medicamenta esse, vel in principio; vel in medio huius, vel illius gradus.

Auer. refutat rationẽ Alchindi.

Vera ratio inuestigãdi gradus medicamentorum.

Primus gradus.

Secundus.

Tertius.

Quartus.

Gradus habent suam latitudinẽ.

Intensio, remissio, et mediocritas.

Cur medici in secundis, tertijs, & quartis facultatibus non constituerint gradus, vt in primis, duæ sunt potissimæ rationes: vna est, quia cum hæ facultates sequantur primas, primis gradibus constitutis, videntur etiam alijs constituti: altera quia in primis facultatibus magna reperitur latitudo: cuius ratione facile fuit medicis diuidere; atq; proximos quosdam gradus constituere, in alijs facultatibus cum non sit ea latitudo, neq; fieri potuit, neq; commodum fuit

Cur medici tantum in primis facul tat. gradus posuerunt.

Prima solutio.

Secunda solutio.

operationes,

operationes ita diuidere, vt fierent gradus. Sed contra hanc reſolutionem eſt Auerr. diſcurſus. 5. collect. 87. quo in loco ſcribit, medicos conſtituiſſe, inter primas facultates fieri temperamentum, ex gradibus æqualibus, non autem fieri in ſecundis facultatib⁹ & hoc in cauſa fuiſſe, vt in ſecundis non conſtituerint gradus: exemplo rem declarat: medici, dicit, & rectè, putant ſi miſceatur oleum roſ. & camomel. fieri temperatũ, qđ neq; refrigeret, neq; calefaciat, quia oleum roſ. vno gradu frigidum eſt, oleum chamomel primo gradu calidum. putant tamen medici, inquit, oleum ros. et chamom. neq; calefacere, neq; refrigerare, ſed diſcutere, & repercutere, quapropter videtur ex hoc diſcurſu Auerr. conſentaneum fuiſſe, etiam conſtitui gradus in ſecundis facultatibus Dico hanc Auerr. rõnem non valere aduerſus medicos: quia tametſi in compoſitis ex æquali gradu medicamẽtis nõ appareat actio primarũ qualitatũ, apparet tamen actio ſecundarum: nam vt in exemplo ſtemus Auerr. huiuſmodi temperatum medicamentum, ſi adhibeatur in augmento inflammationis, cum res temperatæ, reſpectu calidioris, ſint frigidæ, & reſpectu frigidioris, ſint calidæ, hinc eſt, quod repercutiunt, & refrænant calorem: diſſoluunt, & diſſipant ratione caloris materiã refrigeratam. Hæc eſt ratio propter quam à medicis non ſunt conſtituti gradus in ſecundis facultatibus.

Sed contra ẽ Auerr.

Quõ medicamenta, tẽperata poſſint repercutere, & diſcutere.

Facultates primæ medicamentorum, quomodo vires ſuas in corpora exerceant. *Cap. V.*



Ed circa facultates primas exurgit vtiliſſima, & maxime neceſſaria contemplatio, quomodo hæ facultates primę operentur in corporibus noſtris, de alijs facultatibus non loquor, quia quod dicĩ de primis, dicĩ & de alijs, cum cęteræ, vt ſæpius dixi, operentur virtute primarum. Agitata eſt inter medicos diu hæc quæſtio, an medicamenta facultate calida, & frigida prædita vno, & eodem modo operentur in corporibus noſtris. In qua innumeræ fuere ſcriptorum ſententiæ, propter rei difficultatem, imò propter Galen. vt ſic dicam, inconſtantiam: ne tamen vos iſtis difficultatibus inuoluam, dicam prius, quid ſecundum meam ſententiam ſit ſtatuendum, deinde examinabo Gal. ſententiam. Conſtituo ante cętera, qualitates duas eſſe actiuas, frigidum, & calidum, duas eſſe paſſiuas humidum, & ſiccum: conſtituo ſimiliter, ex his qualitatibus mutuo agentibus, & patientibus fieri me-

Tria præſuppoſita.

Secundum.

dicamentorum generationẽ. conſtituo tertio medicamenta, vbi tẽperantur à natura, ſemper in ipſis ſeruari vel temperiem qualitatum, vel aliquam qualitatem, ſecundum exceſſum, ita vt dicatur medicamentum aliquando calidum, vel frigidum ſecundum exceſſum. Ex quibus omnibus conſtitutis infero neceſſariũ eſſe, vt ĩ quolibet medicamento ſit actu primo aliqua ex his qualitatibus, loquor de ijs medicamentis, in quibus qualitas excedit in temperamento. cum igitur adſit ſemper aliqua qualitas in actu, audite modo cur non ſemper opereť: etenim vbi facta eſt mixtio qualitatum terminatur corpus. qui ſunt termini corporis? qui ſequuntur cõmixtionem: denſitas, craſſities, & durities, adeò vt natura ſemꝑ vbi commiſcuit qualitates, & complexionem fecit, terminet corpus, ſecundum craſſitiem, denſitatem, & duritiem: vbi terminata ſunt corpora, qualitates primæ quæ ſunt in mixto, non poſſunt operari: vt igitur actu operentur, quid agendum? diſſoluendum eſt mixtum, & liberandum ab iſtis terminis, qui ita colligant, ita impediunt, vt non poſſit in ſecundum actum prodire, quapropter modus eſſentialis, quo operantur medicamenta in corpore noſtro eſt, quia à calore natiuo corporis diſſoluuntur hæc impedimenta, craſſities, ſ. denſitas & durities, diſſolutæ qualitates ab iſtis vinculis, quælibet operatur ſecundum ſuam naturam. Atque hic eſt modus verus ſecundum ſententiam meam, quo medicamenta deducuntur ad actum, ſeu operantur in corpore noſtro. An vero in hac diſſolutione forma ſubſtantialis diſſoluatur: fuerunt viri grauiſſimi, qui opinati ſunt diſſolui: ſed duæ ſunt apud me inſuperabiles rationes, quæ conuincunt, non diſſolui formam ſubſtantialem mixti. vna, quia qualitates ſunt accidentia, accidentia non tranſmigrant de ſubiecto in ſubiectum, ſi igitur non tranſmigrant, qui fieri poteſt, vt eædẽ qualitates medicamẽtorũ, poſſint manere, & diſſoluta forma, & nõ diſſoluta. Præterea dãs formã dat cõſequẽtiã formæ: ſi qualitates cõſequũť formã ſubſtãtialẽ, ea abeũte neceſſarium ẽ, vt abeãt facultates. Altera rõ ẽ, q̃a ſi forma ſubalis mixti diſſolueret, nõ darẽtur operationes à tota ſuba: ꝓbať facilè, q̃a ſi v. g. cãtharidibꝰ acceptis, vbi iſtæ à corpe noſtro alterant diſſoluatur ipſarũ forma, ꝓcul dubio operatio q̃ ſequiť hanc formam erit deſtructa, non igitur vlcerabunt veſicã: idẽ dico de rhabarbaro, qđ ſi à tota ſuba trahit bilẽ, trahit ꝑ formã ſubſtãtialẽ: ꝑ iſtos forma ſubbalis diſſoluiť ĩ actuatione, quare abolebitur etiã operõ rhab. Itaq; ſequiť, vt dixi, actuatione diſſolui, ea impedimẽta, nõ aũt deſtrui formã ſubſtantialem: Atq; hoc non ſolũ cõe eſt oĩbus medicamentis calidis, verũetiam frigidis, quia ſicuti vnus eſt modus, quò vtraque à natura contemperãtur, pariter vnus debet eſſe, quo vtraque diſſoluuntur, diſſo-

Tertium.

In quocũq; medicamẽ. excedit aliqua qualitas cã actu adeſſe. & cur nõ ſemꝑ operetur.

Solutio.

An in actuatione medicamẽtorũpereat forma ſubſtãtialis.

Medicam. calida & frigida eodem mõ actuari.

diſſoluta operantur. ſed aduerſus hanc reſolutionē inſurget aliquis

Triplex inſtantia.

veſtrum. primò, quia Gal. in hac determinatione videtur eſſe contrarius. ſecūdò, quia idē Gal. ſibijpſe vī repugnare. tertiò, quia Auer. 5. Collect. 5. & aduerſus nos, & aduerſus Galenum videtur eſſe primo Galenus videtur aduerſari huic ſententiæ, eo quia 3. de ſimpl 20. tractans modum actuationis medicamentorum frigidorum, & calidorum, inquit in hoc cōuenire vtraq;, vt ſint talia potētia non actu, & vt exeant in actum, opus habere alio auxilio: verum differre in modo, quo alieno auxìlio exeunt in actum, quia calida tantum egēt vt caleanr, frigida verò vt diminuantur, & conterantur, & vt motum acquirant aduenticium, adeo vt videatur Galenus manifeſte docere, calida, & frigida differre ſecundum modum quo exeunt in opus.

Galenus ſibi videtur contrarius.

Videtur Galenus quoque ſibi contrarius, quia vt audiuiſtis hoc in loco docet calida ſolum egere vt calefiant in corpore noſtro, ſed 1. de ſimpl. inquit, calida vt exeant in opus neceſſàrium eſſe vt ſubtiliſſime conterantur, & dat exemplum piperis, atq; ſinapis, quæ niſi ſubtiliſſime conterantur, nequaquam calefaciunt, neq; extrīſecus neq; intrinſecus, adeo vt Galenus videtaur hic velle calida egere trituratione, cum in loco nuperrime citat dicat ſolum egere vt calefiant.

Aue. aduerſus ſententiam poſitā, & aduerſus Gal.

Iam vero Auerr. aduerſus Galenum & aduerſus nos eſſe videtur, quia inquit, ſi medicamenta calida, & frigida ſolummodo diſſoluerentur, ſequeretur ea eſſe talia in actu, nō potentia, quod eſt contra veritatem, & contra medicorum dogma. præterea inquit ſi ſecundum Galenum acquirunt medicamenta frigida virtutē refrigerandi a calore noſtro, ſequitur calorem noſtrum poſſe generare frigidum, quod eſt abſurdiſſimum. igitur abſurdum eſt medicamenta frigida acquirere hāc virtutem a calore noſtro, vt videtur cēſuiſſe Galenus. Quod ad primum pertinet, fuit Galenus ab omnibus fere deſertus, eo quia non videtur rationi conſentaneum, vt alio modo actuentur medicamenta calida, & alio modo frigida. ſi tamē aliquid

Defenditur Gal.

dicendum eſt nobis pro Galeno, dicerem ego quod quando 3. de ſimpl. 20. ſcribit medicamenta calida ſolum indigere vt calefiant, loqui de medicamētis valde calidis, quæ antequam aſſumantur in corpus, conteruntur, & diſſoluuntur, quemadmodum locutus eſt primo de ſimpl. 11. quaſi velit dicere Galenus, calida, vt piper, ſinapi, & huiuſmodi, cum in corpus aſſumuntur iam trita, & ſubtiliſſime diſſoluta, non egere niſi vt calefiant, quia ſtatim accenduntur, & operationes edunt vt ipſe probat 3. de temperam. 3. & 4. vbi monſtrat quædam opera adeo eſſe parata, vt qualibet minima acceſſione caloris externi ſtatim accēdant, & vrant: medicamenta verò frigida, inquit Galenus, cum non ita trita aſſumuntur, opus habent vt terantur a calore natiuo, atque contrita, & diſſoluta ſic operentur.

An

An vero sibi contradicat Galen. huiusmodi mea responsione facilè intelligi potest: quia in primo de simplic. loquit̃ de ijs medicamentis calidis, quæ opus habent externa contritione, vt est piper, sinapi, ꝙ etiã habetis ab Alex. primo Probl. 38. ni fallor. 3. vero de simpl. cum præsupponat externam pręparationem, & contritionem, iure dixit, ijs solum opus esse calefactione. Ad Auerr. autem quid dicemus? dico ad primã eius rationem, verum esse qđ omnia medicamenta sint in actu primo: sunt verò in præsentia ad actum secundum: & propterea nihil valet ratio Auerr. aduersus nostram positionẽ, neq; ẽt aduersus Gale. nempè qui minimè dicit medicamẽta frigida acquirere frigiditatẽ à calore natiuo, sed dicit, quod secundã actum refrigerãdi acqrunt à calore. Scilicet, quia a calore natiuo dissoluunt̃ densitas, crassities, & durities, qualitas frigida quæ erat in actu primo operatur cum non amplius est impedita. Sed pulcherrimũ est problema, cur si medicamenta calida, & frigida, vt docet Gal. & omnes, sunt potentia talia, cur inquam reperiant̃ aliqua medicamenta, quæ extrinsecus apposita statim refrigerant, nullũ reperietis medicamentum, ꝙ statim calefaciat, accipiatis argentũ sublimatũ, calchantum, & apponatis extrinsecus, nunquam calefacient, accipiatis sinapi, & piper, nisi conterant̃, & longo tempore contineant̃ non calefacient. Sed accipiatis lactucam, herbas plurimas, statim, atq; apponetis refrigerabunt, & vt vno verbo dicã oĩa fere medicamenta vident̃ actu frigida, nullum actu calidũ Præterea aliqua medicamẽta extrinsecus apposita exulcerant, & valde calefaciunt, intus aũt assumpta non calefaciunt, e. g. cepa si conterat̃, extrinsecus carnẽ exulcerat, calefacit valde, assumpta intus nequaquã calefacit. Circa primũ sciendũ est, calorem in actu in nullo corpore reperiri præterquã in viuente, si igitur non reperitur nisi ĩ viuente, sequitur necessario corpora quæcũq; vita carent, careant ẽt calore actu, cũ careãt calore actu necessario habẽt frigidũ actu. Aduertendum est tamen, aliud esse hoc frigidũ actu, qđ ostendunt̃ extrinsecus, aliud frigidum potentia quo operatur, quia si semper uiuum apponatur carni refrigerabit, secundum hoc frigus externum actu, non secundum frigus potentia. Cur autem solummodo in corporibus viuentibus sit calor in actu, hæc est vera ratio, quia sicuti ignis, vt dicebat Plato in Prothagora, est instrumentum omnium artium, & operationum, sic calor in actu, est instrumentum omnium actionum vitalium, & animalium, quapropter eũ corpora viuentia habeant actiones, opus habẽt hoc instrumento, hoc calore actu: bene verũ est, (& hoc notate, quia Auer. non cognouit,) aliqua habere huiusmodi calorem obscurum, alia non obscurmu, alia euidentissimum: plantæ habent calorem in

Cur cepa extrinsecus exulceret intrinsecus nõ.

Calor differt secundum magis, & minus. *Plantæ, quia habēt alimētum. carent forte calore.*

actu, sed obscurissimum, quia cum calor in actu deseruiat præparationi alimenti, plantæ vt dicebat Aristo. non præparant sibi alimentum, sed accipiunt præparatum a terra, & propterea non opus habent magno calore innato, satis est illis calor tantillus, qui possit inseruire attractioni alimenti, & assimilationi, Pisces habent etiam hunc calorem in actu obscurissimum eadem ratione, quia cum viuant cibo, qui non eget multa præparatione, satis est illis calor non admodum magnus: alia vero animalia quanto magis elaborant cibum, & præparant, tanto magis opus habent calore in actu, & hæc est ratio cur homo sit calidissimus omnium animalium, quia plures habet operationes, & cibi ipsius pluri, & maiore egent præparatione. Ad aliud verò respondet Galen. 3. de tempera. 3 propter tres causas medicamenta aliqua, quæ exulcerant extrinsecus, & calefaciunt intense, neque exulcerare, neque vrere intus, vt cepæ, allia, vnam, quia medicamenta commiscentur alijs cibis, qui impediunt ne vrant, aut exulcerent; aliam quia hæc medicamenta non sustinentur in vno loco, sed modo huc, modo illuc mouentur: tertiam quia hæc statim dissoluta, partim attrahuntur a partibus propter partem alimentarem, partim vero excluduntur statim a corpore.

Cur homines cæteris calidiores. *Respōsio ad ad extrinsecus exulcerantia.* *Prima ratio* *Secunda ratio.* *Tertia ratio.*

Temperatum, ac intemperatum in medicamentis quomodo accipiendum. Cap. VI.



VM hactenus declaratum sit quot sint facultates, & quæ ipsarum natura, superest modo, vt videamus, in quibus hæ facultates reperiātur. reperiemus autem id, si videamus quæ medimenta sint temperata, quæ intemperata, & rursus, qui sint vniuscuiusq; medicamenti intemperati gradus: dicitur enim medicamentum temperatum illud, quod appositum corpori, cōseruat illud in eo statu in quo inuenit, vel potius, quod inducit corpori qualitatē similem ei, quam antea habebat: dicitur autem intemperatum, quòd adhibitum corpori mutat, aut generat qualitatem diuersam ab ea quam habebat. Verumenimuero operæpretium est primo videamus quomodo medicina dicitur temperata, vel intemperata, an scilicet hoc dicatur de medicamento ex sui natura, an potius per comparationem ad aliquod corpus. Fuerunt aliqui, qui existimarunt dici medicamētum temperatum, vel intemperatum ex eo quod ex sui natura habeat qualitates elementorum inter se æquales, vel inæquales: ita vt dicatur medicina temperata, quæ simpliciter habet æqualitatem qualitatum elementorum, dicatur

Medicamētum temperatum, quod dicatur.

An medicamentum tēperatū simpliciter, an ad aliud tale dicatur.

catur vero intemperatam ea; in qua vna, vel plures ex qualitatibus excedunt. Sed hæc sententia omnino damnanda, eo quod multa sunt, quæ ex natura sunt calida, tamen ad sensum videntur frigida, cuiusmodi est vinum vetus, qui ad sensum videtur frigidum actu, est tamen calidissimum: rursum sunt aliqua, quæ actu videntur humida, & tamen sicca sunt, propter quod non possumus recte iudicium facere de facultatibus: quapropter dicendum, medicamenta dici talia, respectu corporis humani, ad quod comparata dicuntur modo temperata, modo calida, modo frigida. Sed Auer 5. collect. cap. 24. duas aduersas hanc sententiam producit instantias. vnam, quod si istud verum esset, sequeretur nullum dari medicamentum temperatum, nisi carnem humanam, aut carnem gallinæ, & carnem hædi, quia si medicamentum temperatum tale dicitur respectu corporis humani, & temperatum est medicamentum, quod inducit similem qualitatem, solæ huiusmodi carnes videntur hoc posse facere. Alteram, quod non reperiretur vllum medicamentum ex terra nascentibus calidius corpore humano, consequens autem est absurdum, ergo & illud ex quo sequitur, quod autem istud sequeretur probat, quia ex terra nascentibus nullum est actu calidum, sola animalia sunt calida actu, si igitur nullum est calidum actu, sequitur nullum reperiri ex terra nascentibus, quod possit calefacere corpus humanum alioqui sua natura calidum. Sed ad Auer. instantias facile est nobis respondere. Primo respondeo, quod similitudo medicamenti ad corpus humanum, vel attendi potest respectu formæ substantialis, vel respectu qualitatum elementorum: si attendatur respectu formæ substantialis, proculdubio nihil dicetur temperatum respectu corporis humani, nisi caro humana, quia est similitudo formæ substantialis. si autem attendatur similitudo penes qualitates elementorum possunt multa medicamenta inueniri, quæ comparantur corpori humano: quæ non inducant qualitatem dissimilem, sed similem: & hoc modo intelligenda est sententia medicorum, quando dicunt, medicinam talem appellari respectu corporis humani. Ad secundam instantiam responderi etiam faciliter potest, quia omne medicamentum dicitur tale, vel secundum actum, vel secundum potentiam: secundum actum sane nullum ex terræ nascentibus debet appellari calidius corpore humano, rationem a me alias audiuistis, tale vero potentia si accipiatur, dico proculdubio multa esse, quæ potentia sunt calidiora corpore humano, quæue in corpore ad actum reducta maiorem caliditatem inducunt in corpus, quam antea erat. Est itaque hoc constitutum, medicamenta dici talia respectu corporis humani. Verum quia humani corporis differentiæ propemodum innumeræ sunt, est consideratione dignum, an me-

Confutatio eorum, qui dicunt medicamenta esse temperata ex se.

Duæ Auer. instantiæ.

Prima.

Secunda.

Resp. Auer

Ad secundam.

Quæstio.

dicamenta dicantur talia respectu alicuius corporis determinati, an cuiuscunque. Fuerunt aliqui inter medicos, qui existimarunt debere appellari talia medicamenta respectu cuiusque corporis: ita vt calidum id dicatur, quod calefacit quodcunque corpus, frigidum quod frigefacit, temperatum quod cuique corpori comparatum est temperatum, sed hæc sententia ab omnibus fere explosa fuit, & iure, quia si hoc verum esset, sequeretur nihil determinate posse dici tale, quoniam cum hominum discrimina sint quamplurima, etiam indeterminata erunt medicamenta secundum qualitates: quapropter verissima est ea sententia, quam habuit Galenus 3. de simpl. 13. & Auicen prima primi cap. de complex. qui omnes vnanimiter dixerunt medicamenta dici talia non comparata ad quoduis corpus, sed solum ad temperatum. Etenim si debeant qualitates, & gradus medicamentorum esse determinati, non possunt esse nisi determinentur ad vnum, inter corpora temperatum solum est vnum: intemperata sunt infinita, ergo si determinandi sunt gradus medicamentorum, & qualitates, non possunt determinari nisi a corpore temperato: accedit etiam quod temperatum corpus, vt docet Galenus est regula & norma a qua regulentur actiones medicamenti: si ita est necessarium est quoque ab hoc corpore temperato regulentur operationes medicamentorum.

Confutatio.

Medicamēta dici talia respectu corporis temperati.

Gal. corpus temperatū esse dicit regulam medicamenti.

Facultatum primarum gradus, siue ordines. Cap. VII.



VIDEAMVS modo quæ sint illa medicamenta in quibus reperitur hæc temperatura qualitatum, & intemperies: & quia hæc sunt infinita superuacaneum esset omnia recensere: proponam autem solum aliqua ex Galeno, & optimis authoribus, quæ erunt tanquam regulæ aliorum. Inter medicamenta igitur temperata sunt asparagus, adiantum, cadmia, cera, cortex citri, faba, glyceriza, lens, lythargirium, oleum dulce, muscus herba, lotus syluestris, zizipha. hæc a Galeno, & ab aliis scriptoribus recensentur inter ea, quæ nullam excedentem habent qualitatem, quæue temperata vocari possunt. Accedo ad intemperata, & primo ad calida, in quibus enumerandis sequar ordinem cuiusque gradus. Inter calida in primo gradu sunt, absinthium, althea, amygdales dulces, buglossa, chamomelum, eupatorium, lini semem, laudanum brassica, agaricum. In secundo gradu

Medicamēta tēperata.

Medicamēta calida in primo gradu.

In secundo.

gradu apium, anethum viride, arthemisia, balsamus, calamus aromaticus, crocus, fœnograecum mastix, nux myristica. *In tertio.* In tertio abrotanum, ammi, asarum, anisum, arum, cyminum, cinnamomum, galanga, nigella, origanum, mentha. In quarto gradu allium, cepa, costus, euphorbium, lepidium, nasturcium, tytimalli, pyretrum, porrum, sinapi, ruta syluestris, piper, sed notare debetis duo, vnum quod, vt dixi, quisque gradus habet suos tres terminos principium, finem & medium, quos non recensebo, quia res nimis longa esset, habetis autem hos apud Galenum. Debetis etiam adnotare non expresse a Galeno in libro de simplic. propositum esse gradum piperis. Auicenna vero dixit, tendere ad quartum gradum. *Frigida in primo.* Inter frigida autem in primo gradu sunt attriplex, hordeum, pruna, malua, myrtus pira, rosa, viola, cotonea. *In secundo.* In secundo acacia, blitum, cucurbita, lactuca, endiuia, persica, plantago, psyllium solamum. *In tertio.* In tertio portulaca, mandragora, hyosciamus; sandali. aliqui etiam posuerunt camphoram, sed quia de hoc magna est controuersia, mentionem non faciam. *In quarto.* In quarto gradum sunt cicuta, papauer, opium. *Humida in primo.* Inter humida medicamenta in primo gradu est buglossa, endiuia, malua, saccharum sesamus. *In secundo.* In secundo attriplex, cucurbita, pruna, lactuca, blitum. portulaca, viola. *In tertio.* In tertio succus cucumeris, cucurbitæ, lactucæ. fuerunt aliqui, qui existimarunt inter humida dari quartum gradum, sed nugæ sunt, eo quia humiditas est omnium qualitatum minime actiua, iccirco fieri nequaquam potest, vt in quarto gradu sit, in quo vt intellexistis, medicamenta sunt lœthalia. *In humidis nō dari quartum gradū, Sicca in primo.* Inter sicca in primo gradum sunt brassica, beta, chamomelum, crocus, fœniculi, hordeum, faba. *Secundo.* In secundo gradu arthemisia, anethum viride, balaustium, cotonea, plantago, lentes, mastix. *Tertio.* In tertio asarum, acacia, aloe, acetum, cyminum, piper, sal. *Quarto.* In quarto allium, sinapi, nasturcium, ruta syluestris. Atque hic est cathalogus graduum omnium medicamentorum secundum qualitates primas: non tradam gradus coniugatos qualitatis actiuæ, & passiuæ, quia vos poteritis ex hac tabellula conferre, & videre quomodo sint calida, & humida, & quomodo calida, & sicca, & similiter. *Medicamēta nulla simplicia, vt Auic.* Cur vero istæ primæ facultates operentur hoc, vel illo modo, non potest efficacior assignari ratio, quam quod habeant hanc, vel illam qualitatem elementorum. quanquam enim huiusmodi medicamenta dicantur simplicia, sunt tamen composita, vt dicit Auic. prima compositione, hoc est composita ex varijs qualitatibus elementorum, propter quam compositionem dicuntur talia, nec talia. *Cōtradictio Gal. de oleo rosato.* Sed antequam deueniamus ad secundas facultates, proponenda est vobis contradictio Galeni circa oleum rosatum. Galen. 2. de

simpl.

Oleum rosatū in primo gradu frigidum, & humidum per accidens.

simpl. cap. vlt. & 3. cap. 10. sermonem habens de oleo rosato: manifeste scribit esse in primo gradu frigidum, & quod si adhibeatur partibus calefactis refrigerat, atque prodest, si autem partibus refrigeratis nocet. Idem tamen Galen. 3. de simpl. cap. 11. & 12. scribit: si corpori temperato applicetur, nullam facere alterationem, solummodo inducere qualitatem similem ei, quam habebat: si vero administretur partibus calefactis, refrigerare, si partibus refrigeratis calefacere, adeo vt manifestissima sit contradictio: quia in primo loco inquit oleum rosatum intemperatum esse, & nocere refrigeratis partibus, in altero esse temperatum, & refrigerare calefactas partes.

Solutio. Oleum rosatum dupliciter parari.

Pro resolutione sciendum est, quod etiam adnotat Galenus, oleum rosatum dupliciter parari posse, vel simplex, & verum, vel non simplex: simplex fit ex succo rosarum, & oleo dulci simplici: non simplex vero fit ex oleo salito, vel ex oleo alijs odoribus permixto. Si primo modo accipiatur oleum rosatum: proculdubio frigidum est in primo gradu, & hoc modo accipit. 2. de simplic. cap. vlt. ratio est, quia oleum dulce simplex est temperatum, & materia capax qualitatum aliarum rerum, propter quod cum succus rosatus sit frigidus in primo gradu, obseruatur hæc frigiditas in oleo simplici: ita vt deinde oleum rosatum refrigeret primo gradu: si autem accipiatur pro non simplici, temperatum est, eo quod oleo traditur a sale vel ab alijs odoribus gradus calorificus, cuius merito in compositione castigatur gradus rosæ, atque ita fit mixtum temperatum, & de hoc sermonem habet Gal. 3. de simpl. 11. & 12. hęc, mea sententia est solutio huius contradictionis.

De secundis medicamentorum facultatibus. Cap. VIII.

De facultatibus secundis.



IXIMVS eas facultates primas, quæ immediate effectus primos producunt, qui nulli alij sunt, quam elementorum qualitatum effectus. eas esse facultates secundas a quibus effectus emanant, qui immediate consequuntur qualitates primas: isti autem effectus sunt densatio, duratio, incrassatio, & alia huiusmodi, quę post factam elementorum complexionem statim in mistis ipsis apparent. Isti porro effectus duum sunt generum, alij qui ad nihil determinati sunt, vt induratio, crassefactio: alij ad aliquid determinati: Illi dicuntur secundarū facultatū effectus: ij vero tertij effectus, & facultatis tertiæ; quæ facultates tertiæ, vel determinantur

terminantur ad certam materiam, vt prouocare vrinam, generare semen, lac, vel ad particulare corporis membrũ, vt purgare pulmonẽ, cephalica medicamenta, iecoraria, hæ oẽs dñr tertiæ facultates. Sed statim aliquis percũctabitur à me, cur tertiæ istæ facultates determinenĩ, vel ad particularẽ materiã, vel ad particularem membrũ: etenim, quæ ad vnũ determinanĩ, consueuerunt aut cognoscere, aut dirigi à cognoscente, medicamenta neque cognoscunt, neque diriguntur à cognoscente. Respondeo id, quod perhibet Auerr. 5. collect. 20. tertias istas facultates, magna ex parte dependere à forma subali: sed dicetis, cur distinguunĩ igitur à facultatibus totius substantiæ? respondeo, distingui, eo, ꝙ tametsi magna ex parte sequanĩ substantialem formã, sequunĩ etiã primas elementorũ qualitates: facultates autem totius substantiæ, à nobis, & à medicis, appellatæ nequaquam sequunĩ qualitates elemẽtorum manifestas. Vt, igitur & harum facultatum plenam cognitionem possideatis, primũ recensebo aliquas, ex secundis qualitatibus: deinde vniuscuiusq;, vt vos exerceam, naturam examinabo. Inter, has prima sese nobis offert, ea, quæ dicitur induratiua. Arabes appellant congelatiuam. medicamenta, in quibus hæ facultates inueniunĩ, sunt, vt docet Gal. 5. de Simpl. semperuiuum, portulaca, psyllum, lenticula palustris; solanum. Ex aduerso huius facultatis, est alia, quæ dicitur mollificatiua ab Arab. μαλακτικὴ, à Gal hæc facultas reperitur in ammoniaco, althea, bdellio, cera, croco, galbano, ladano, semine lini, mastiche, malua, medulla ceruì, vitulina, vrsina, opoponace, oleo, styrace, in adipibus varijs, vt caprina, gallinaceo, anserino, hyrcino. Est quoque inter secundas facultates & altera, quæ dicitur laxatiua, & huius species tot sunt, quot sunt species indurationis, de quibus mox agemus. Est & altera facultas dicta ἀραιωτικὴ, seu rarefactiua, quę inuenitur in althea, anetho, capil. ven. abrotano, chamomel. fœnugraeco. fare hordei, erui, tritici, lini semine, meliloto, cinamomo, oleo chamom. anethi, oleo vetere: cui opposita est, & sua facultas, quæ appellatur πυκνωτικὴ, seu densatoria, atque hæc est in lenticula, psyllio hyosciamo, portulaca, & semperuiuo: neque miremini vni medicamento duas insse facultates, quoniam plerunque contingit, vt non solum duæ insint vni, imò vero plures. Extersoria facultas est in faba, hordeo, melle, eruo, lupinis, iride, semine vrticæ, & scylla. Deobstructoriã facultatẽ, habet absynthiũ, amygdalæ amaræ, asarum, abrotanum, carpesium cubebe, cortex capparorũ, scolopendria, semen vrticæ, radix petros. nitrum, & nitri spuma. Medicamenta autem, quæ pollent facultate huic aduersa. s. obstructoria, sunt acetum, alumen, aloe, balaustium, calcanthum, bolus ar. plan-

Tertiæ facultates determinantur ad materiã, uel ad mẽbrũ.

Cur determinentur.

Tertias facultates ferè à forma substantiali dependere.

De facultate induratiua.

Malactica.

In quib. medicam. est induratio.

In quib. medicam. ẽ mollificat.

Extergẽtia.

Deobstruentia.

obstructoria

armena plãtago, plygonus, coralliũ, lapis hæmat. myrtus, acetosa rob. sanguis drac. terra lẽnia. Quæ autem facultatem apertoriã vo- ratam s. quæ aperit ora vasorum habent, sunt allia, cepe, cyclami nus, fel taurinum, oleum irinum, amaracinum, vnguentorum om- nium subsidentia. Quæ crustam inducunt, sunt calx cinis, argen- tum sublimatum, præcipitatum. Quæ corrodunt sunt hæc, auripig mentum, æs, alumen vstum. Putrefactoria facultas, est in arsenico, aconito, sãdaraca. Discussoria sunt hæc, ruta, camæme. anisũ, fœnic. coriandrum, piper. Inter secundas facultates, non ignobilis est il la, quę maturatiua dicitur, medicamenta huiusmodi appellantur à Gale. ἐκπαιτικὰ, suppurantia, atque hęc sunt, aqua calida, fer- mentum, ficus arida, panis, radix altheæ, butyrum, resina tere- binthi. Hæ sunt facultates secundæ illustriores, apud medicos no- minatę, inueniuntur, etiam quamplurimæ aliæ de quibus Gal. espo suisse 5. de simpl. & Auic. 2. lib. cap. 4. Vt habeatis plenam vniuscuiusque cognitionem, primo examinare incipiamus induratoriam facultatem, quæ est, vt intellexistis ferè prima in ordine, post qua- litatum primarum mixtionem, & propterea hæc vna, cum alijs na- scitur, à qualitatibus primis Galen. 5. de simpl. 10. scribit hanc fa- cultatẽ sequi frigiditatem, & humiditatem, eo ꝙ proprium videt̃ frigidi partes ipsas in vnum cogere, vt proprium est caloris partes eliquare, & diffundere, ita, vt secundum Galenum, medicamen ta hac facultate prædita sint frigida, & humida, exemplum habetis de semperuiuo, portulaca, psyllio, & alijs. Sed aduersus hanc Galen. sententiam est Auerr. qui 5. collect. 7. damnat Galen. ꝙ dixerit in- durationem fieri, à frigido humido, duabus rationibus, satis leui- bus, prima, ꝙ humiditatis proprium est humectare, igitur non est, inquit eius proprium indurare, itaque malè Galen. voluit humidi- tatem indurare. Alia, ꝙ si vlla qualitas passiua copulanda est frigi- do, quæ induret, proculdubio est siccitas: quia siccitate, inq̃t, efficitur durities cruditatis: rationibus Auerr. possunt adijci duæ aliæ authoritates, vna Galen. altera Auic. Galenus, enim 5. in 6. Epid. tex. 26. declarans, quomodo Hipp. dixerit frigiditatem indu rare ea, quę sunt in ventre, producit omnes causas, quæ efficiunt in- durationem: nam primo damnat eos, qui putabant indurari fœces in corpore à frigido ambiente, eo ꝙ inquit, fieri non potest, vt in corpore viuente sit frigiditas, adeò intensa, quę induret fœces, vt extrinsecus indurantur corpora à frigore: post Galenus docens, quomodo, à frigore fœces in corpore nostro indurentur, inquit, hoc modo fieri, quia musculi claudentes foramen ani, à frigore co gantur, coacti repellunt fœces ad superiora, ita, vt fœces necessa- rio retineantur, retentæ exiccentur, exiccatæ indurentur. ore quo

Galeni

Crustã ĩdu- centia corro dẽtia putre facientia.

Discussoria.

Suppurãtia idest matu- ritate.

Induratio se quitur frigi- ditatẽ, & hu miditatem.

Instantia Auerr.

Galen. autho qua inis sup posita vide- tur contra- ria.

Quo fœces à frigore ex terno in vẽ tre inducen tur.

Galeni diſcurſu manifeſte apparet, frigiditatem, & ſiccitatem indurare, non autem humiditatem. Eſt porro authoritas Auicen. in qua manifeſte docet ex Galeni ſententia congelationem, & indurationem fieri a calido exiccante, & a frigido exprimente: adeo vt a rationibus Auer. & authoritatibus Galeni & Auic. comprobatum videtur male a Galeno ſcriptum eſſe, indurationem fieri a frigido humido. Vt autem Galenum ab Auer. defendamus duo ſunt reſpondendi modi; vnus quod Galenus nequaquam loco citato dicat frigida, & humida medicamenta ratione humiditatis indurare, ſed ſolum indurare, quaſi hæc ſit conſtans Galeni ſententia, quæ vere indurant eſſe quidem frigida, & humida, ſed non ratione humiditatis indurare, verum ratione ſolius frigiditatis, quare ergo humida dixit Galenus? quia ſi frigidum indurare debet, oportet eſſe efficax, vt autem ſit efficax magis facit humiditas, quam ſiccitas, quia frigiditas in ſummo, vt docet Ariſtot. & Peripat. reperitur in rebus humidis non autem ſiccis, quare prudentiſſime dictum eſt a Galeno contra Auer. vere indurantia eſſe frigida, & humida. Alter modus reſpondendi eſt ex Galeno 5. de ſimpli. 10. quo loco traditur indurantia eſſe duplicia, alia, quæ proprie & vere indurant, alia quæ indurant, ſed non proprie: Illa ex Galeno ſeruant totam indurati corporis ſubſtantiam, & hæc ſunt frigida, & humida, quæ cum indurant nihil perdunt ſubſtantiæ. Hæc vero indurando, ſubſtantiam perdunt corporis indurati, id quod efficitur duobus modis, vel per expreſſionem, vel per exiccationem, quorum vtrunque pręſtatur a frigido ſicco: Itaque quando Auer. aduerſus Galenum inquit, indurationem potius fieri a frigido ſicco, verum eſt de induratione improprie dicta, in qua amittitur ſubſtantia corporis indurati, & hęc fafacultas ſic appellata potius dicitur congelatoria, quam vere duratoria: vbi vero Galenus perhibet indurationem ſequi frigiditatem, & humiditatem, loquitur de induratione proprie vocata, non autem de congelatione, pręterea eſt Galeni ſententia, quod induratio communiter accepta efficitur a multis rebus, a congelatione, ab exiccatione, a repletione, quę vel ex humoribus eſt, vel a flatibus; vnde apparet manifeſte apud Galenum indurationem quandoque accipi communiter, & differre a congelatione: quę congelatio, vt optime a vobis cognoſcatur quomodo fiat, & in quibus, & propterea diſtinguatur a duratione, ſciendum eſt, omnia, quę congelantur humida eſſe, quę humida vel ſunt aerea, vel aquea, vel etiam terrea: ſi ſint aerea, non proprie congelantur, ſed condenſantur, idque tum a frigido ſicco, tum a frigido humido: a frigido ſicco condenſatur oleum, a frigido humido butyrum, adeps: quę vero aquea ſunt, congelantur a frigido ſicco, & eo vel moderato,

Auic. ſententia de induratione.

Duo modi reſpondendi Auer.

Alter modus reſpondendi.
Indurantia eſſe duo.

rato, vel immoderato, vt eſt vinum, aqua, nix, glacies, clyſtallus, ſtannum, plumbum: quum vero ſunt humida, & terreſtres partes habent admixtas, congelantur frigido ſicco moderato, vel immoderato, vt lutum, adamas, ferrum, argentum, aurum, congelantur etiam a calido, ſicco, vt lutum, lateres, ſal, & manna. Itaq; manifeſte videtis congelationẽ fieri tũ a calido, tum a frigido. Ex quo diſcurſu poteſtis reſpondere auctoritatibus Galen. & Auicen. nam Gale. 5. illo Epid. in 6. loquitur non de vera induratione ſed ſolummodo de congelatione: vel ſi volumus ipſum etiã loqui de vera induratione, dico Galenũ iure ſiluiſſe humiditatẽ, propterea quòd loquebatur ſolummodo de cauſis effectricibus indurationis: iam vero humiditas, vt dixi, non eſt effectrix, ſed cauſa quædã concomitans, quia ſcilicet vbi frigiditas humiditati copulatur magis actiua eſt. Ad authoritatem Auic. reſpondetur, Galenum vere dixiſſe etiam caliditatem, & ſiccitatem indurare, ſed non propria induratione, verum induratione impropria, quæ congelatio dicitur.

Ea facultas quæ a Græcis dicitur μαλακτικὴ latinis mollificatiua, vt docet Galenus, & Auer. ſequitur caliditatem & ſiccitatem, non quidem inſignem, ſed modicam, quæ ſcilicet non excedit ſecundum gradum, vel principium tertij. habet hæc facultas, & aliud, quod poſita eſt in emplaſtica materia. Circa quod duo ſunt animaduertenda: vnum quod mollificatiua medicamenta, neque magis calida, neque magis ſicca eſſe debent, quam dictum ſit, quia ſi magis calefacerent aut ſiccarent, tam etſi in principio emollirent, in progreſſu deſiccarent magis, & exinanitis partibus ſubtilibus, ſolum craſſæ, & terreſtres remanerent, propterquod Auer. adhuc inſtat aduerſus medicos dicens, quod cum tot ſint diſcrimina in rebus mollientibus, ſatius eſſet, vt in ipſis conſtituantur proprij gradus, nam bdellium inquit, & ammoniacum magis emolliunt, pinguedines omnes minus, inter pinguedines anſerina magis emollit, quàm gallinacea. Alterum aduertendum eſt, quod cum dictum ſit emollientia eſſe calida, & ſicca, loquor de emollientibus, quæ proprie emolliunt ea quæ proprie indurata ſunt, ideſt, quæ a frigore, præſertim cum humido ſunt coagulata, nam quæcunque congelantur a calido ſicco, ſi congelata ſint a calido immoderato, nunquam emolliuntur, vt ſunt lateres, ſi a calido moderato, emolliuntur, vt dixi, vt ſal, lutum manna, quæ omnia emolliuntur, tum ab humido frigido, tum a calido humido.

Mollientia calida, & ſicca moderate.

Virtuti mollificatiuæ finitima eſt, quæ a Græcis dicitur χαλαστικὴ: appellant Arabes laxatiuam: hæc non videtur propria facultas eſſe eo quod cum corporibus tenſis adhibeatur, corpora quæ tenduntur, aut tenduntur propter exiccationem, aut propter congelationem,

nem, aut propter repletionem : si propter exiccationem, mollescunt, humectatione, si propter complexionem laxantur emollitione, si vero propter repletionem tensa sint, ab euacuatione relaxantur : adeo vt hæc facultas laxatiua nihil proprium, & peculiare habere videatur.

Rarefactoria facultas ἀραιωτικὴ vocata a Græcis sequitur caliditatem, & siccitatem, modicam tamen, & cum partium tenuitate : nam vt dicebat Aristot.in cap.de qualitat.in prædicamen.rarum est illud, cuius partes sunt distantes : igitur quæ rarefaciunt debent facere, vt partes distent, non possunt hoc facere nisi penetrent, & penetrando, materiam quæ est inter partes absumant : quapropter necessarium est, vt rarefacientia sint calida, & sicca, & tenuium partium.

Ex aduerso est facultas ea quæ πυκνωτικὴ vocata est, seu densatoria, & sequitur frigidum aqueum, & ratio est, quia si partes debent propinquæ esse, vt fit in denso, necesse est, vt vel cogantur, quod fit a frigido, vel vt distantia repleantur, quod fit ab aqueo. *Densatoria.*

Sequitur ea facultas, quæ dicitur a Græcis ῥυπτικὴ, appellant latini extersoriam. hæc, vt docet Galenus 11.method.13.& quinto de simpli.a quo postmodum accepit Auicen. depellit humiditatem viscidam ab ore vasorum in superficie, & sequitur caliditatem cum partium crassitie, ac propterea dicitur etiam abluere, quoniam ratione crassitiei, & caliditatis deradit humiditatem ab ore vasorum, vt dixi. Sed hoc in loco oritur difficultas, an scilicet hæc facultas semper sequatur caliditatem, ratio difficultatis est, quia reperiuntur frigida, quæ tamen detergunt, nam aqua fluuij Cydni apud Tarsum est aqua gelidissima, & tamen detergit efficacissime, immo vero Plutarch. in libro de defectu oraculorum, scribit ferream Machæram Apollinis in Tarso solum hac aqua potuisse detergi : preterea hordeum, vt clarum est apud omnes detergit, tamen apud Galenum, & omnes est frigidum in primo gradu. Facultas igitur detersoria non sequitur caliditatem. Dico verum esse, quod scriptum est a Galeno facultatem omnem detersoriam quantum est ex se semper sequi caliditatem. Aqua verò huius fluuij detergit propter nitrum, quod immiscetur, quanquam enim hęc aqua tota substantia sit gelidissima, tamen quemadmodum aqua Nili detergit propter nitrum sibi admixtum, ita & aqua huius fluuij. De hordeo autem respondeo, quod scribit ipse Galenus, modicum quid habere detersorię facultatis, & vt modicum frigidum est, ita etiam exiguum, quia detergit. Sed statim contra instabit quis, succus ptisanę hordeaceę proculdubio detergit, immo vero Galenus,

An extergẽtia omnia sint calida.
Aqua Cydni fluuij detergit, & tamen est gelidissima.
Solutio.

lenus, & omnes nihil magis prædicant, quam detersionem ptisanæ, vnde dicebat primo de facult. aliment. sordes faciei elui mirifice a succo ptisanæ: ita vt mangones, vt pueros venustiores efficerent quos vendere volebant, detergebant ipsorum faciem succo ptisanæ. Si igitur ptisana hordeacea maxime detergit, atque eadem etiam refrigerat, vt omnes testantur, præsertim Aristot. primo proble. 37. videtur quod hæc facultas non sequatur caliditatem. Dico idem euenire ptisanæ, quod etiam multis alijs, vt scilicet diuersas facultates habeat propter partium diuersitatem, nam dicit Galenus 2. de composi. medic. per genera. sal detergere, & adstringere; adstringere tamen, vt audietis suo loco, est effectus frigidi: vnde prouenit hoc propter diuersitatem partium. sic dicendum est de hordeo, & de ptisana, quod habet etiam aliquas partes calidas, propter quas, & propter crassitiem, quam acquirit in confectione fit, vt valde detergat.

Quare mangones puerorum facies ptisanæ succo abluerẽt.

Proxima huic facultati est, & altera appellata a Græcis ἐκφρακτικὴ, nos deobstructoriam dicimus, quæ fere eadem est cum extersiua, differt in hoc, quod deobstructoria dicitur proprie, quæ internos meatus exterget: extersiua quæ externos, & quia externi meatus sunt strictiores, quam interni, hinc fit vt extersoria intimius penetrare oporteat, hoc autem facere non possent, nisi essent magis calida, & tenuia, quam ea quæ deobstruunt. Notat Auer. 5. Collec. 9. (& fuit etiam sententia Galeni 5. de simplic.) aliqua deobstruentia, & detergentia magis operari intus, alia magis extra, alia æqualiter. Intus magis operantur, quam extra, quæ modice adstringunt, vt est absinthium, quod magis intus detergit, quam extra ratio est, quia meatus interni sunt lati, propter quod absinthium sponte penetrat, quia vero adstringit, diutius manet in meatibus, & propterea efficacius operatur. Extra vero minus extergit, quia cum adstringat, non potest ita angustos cutis meatus penetrare. Extra vero magis operantur, quæ crassiuscula sunt, nec salsedine carent. Dixi crassiuscula, quia aliqua etiam subtilitas necessaria est, vt scilicet possint angustos meatus penetrare. Intus vero & extra detergent, quæ medio quodam modo se habent, ita vt nihil adstringant, atque salsedinem aliquam habeant, vt est radix lilij: Addit Auer. hoc in loco non esse indifferenter eadem detersoria, seu deobstruentia ijsdem visceribus, quia alia vnum detergunt, alia aliud, propter quod inquit Auer. coguntur etiam medici ponere gradus in secundis facultatibus.

Facultas deobstructoria, quæ sit.

Contrariæ his facultates sunt, & aliæ duæ admodum similes, quarum vna dicitur a Galeno συνακτική, seu obstructiua, alia στυπτική, seu adstrictiua. hæc contrahit, & constringit ora vasorum,

idque

idque vel sola adstrictione, vel oppletione quadam, quia. s. cum perhibeat euaporationem insensibilem, efficit, vt partes ipsæ impleantur, atque ita impletæ demum obstruantur. Sequuntur hæ frigiditatem vna cum siccitate, & cum partium crassitie. Sed animaduertunt Galenus, & Auerroes necessarium esse, vt quæ adstringere, vel obstruere debeant, careant omni mordacitate, ratio huius est, quia quæ mordicant stimulant virtutem expulsiuam, vnde expultrix stimulata deponit ea antequam possint obstruere.

Obstruētia, debent omni carere mordacitate.

Itaque hæc facultas obstructoria fundata est in frigido sicco, atque terrestri: sed dubitatio est de calchanto de quo Gal. 9. de simpl. miratur quomodo maxime adstringat, & generose calefaciat, si quod enim est medicamentum, quod valde obstruat, & astringat est calchantum; est tamē calidissimum, nō igitur videtur, ꝙ hæc facultas sequatur frigiditatē, & siccitatē. Respōdeo de calchanto id quod nuperrimè dixi, esse corpus, ex cōtrarijs naturis omnino cō flatum, cum enim habeat partes igneas, & terreas frigidas, ratione partis terrestris frigidæ adstringit valde, ratione vero ignearum valde calefacit. Est etiam hoc loco animaduertendum, non eadem medicamenta accommodari ijsdem membris obstruendis, eo quia dactili oppilant iecur, & tamen aperiuut pulmones, absinthium adstringit ventriculum, aperit tamen iecur, id quod solummodo proficiscitur ex diuersitate naturæ corporum patientium

Quæ aperit ora vasorum ἀναστομωτικὴ, dicitur a Gal atq; hęc est ea facultas, quæ foramina, & ora vasorum recludit, quia vero, vt intellexistis, clauduntur propter frigus, necessarium est, vt aperiātur ratione caloris Itaq; hæc facultas sequitur caliditatē, atq; ēt acrimoniā cum partium terrestritate, acrimonia quidē vt excitetur partis cōclusæ expulsoria facultas, cum terrestritate vero, vt acrimonia, & caliditas sint efficaciores. scribit Auerr. hanc tres habere gradus, primum abstergēdi: secundum aperiēdi. tertium vero dilatandi ora venarum, & demonstrare se profitetur, ex hoc loco etiam medicos cogi ponere gradus in his facultatibus. sed facilè patere potest error Auer. quia gradus, quos ipse facit, non sūt vnius facultatis, sed diuersarum, quoniam si in his medicamentis inuenitur detersorium, est propter facultatem detersoriam: si aperitiuum, propter aperitiuam.

Tres sunt facultates, quæ caliditatem summam consequuntur, quarum vsus maximus est iu medicina facienda.

Harum vna Ἐσχαρωτικὴ, a Græcis nuncupatur, hoc est crustæ effectrix, qua vtimur sæpè in cauterijs administrandis: Huius

Huius proprium eſt, vt dicebat Auicenn. abſumere ſubtilem partem, quod fieri non poteſt niſi adſit caliditas, cum parte terreſtri. Secunda eſt, καθαιρετικὴ, vt dicunt Arabes corroſiua, *Corroſiua.* hæc quoque caliditatem ſummam ſequitur, ſed cum tenuitate partium, quoniam cum hæc facultas non debeat multum penetrare, neceſſarium eſt, vt ſit in parte, quæ citò diſſipetur, cuiuſmodi ſunt partes omnes tenues. *Putrefactiua.* Tertia facultas, σηπτικὴ, ſeu putrefactiua dicitur, quæ abſumit, & colliquat carnem teneriorem in ſummo, quapropter fundatur in ſubſtantia paulò terreſtriori, quam ſubſtantia corroſiuæ, & ſequitur caliditatem, & ſiccitatem, ſed ſecundum intenſionem minorem, quam corroſiua. Animaduertere hoc in loco debetis, *Inflãatiua.* præter has facultates, quæ ſequunt caliditatem, in ſummo eſſe & alteram, quæ dicitur inflammatiua: ſed huius pauciſſimus eſt vſus in medicina: *Medeæ pharmacum.* erat enim hmõi pharmacum illud Medææ à Galeno 2. de temp. nominatum cap 2. quo combuſſit caput patris Iaſonis, qđ conſtabat in ſulphure, & humido bitumine. Animaduertenda ſunt hoc loco, alia duo, vnum eſt duplicem eſſe putrefactionem, alteram propriam, alteram verò impropriam. Propria putrefactio, primo humidum radicale cõſumit, quo euaneſcente calor natiuus abolet̃, & hæc efficit̃, a reb⁹ calidis, & humidis. Sed de hmõi putrefactione non ſunt intelligenda, quæ diximus. Alia eſt putrefactio, in qua primum calor natiuus ab externo hebetat̃, & conſequenter humidum conſumitur, hæ putrefactio efficitur à calidis, & ſiccis, & de hac intelligenda *Corrodẽtia etiam putrefacere.* eſt ſententia noſtra, & Gal. Aliud eſt animaduertendnm, ꝙ docet Auerr. corroſiuam facultatem, etiam putrefacere, eo, ꝙ vt dicit Auerr. omni calori externo neceſſario aliquid ineſt putrefactorij, ſed quia medicamenta corroſiua caliditatem intenſiorem habent, hinc eſt, ꝙ prius corrodant, quam putrefaciant, & iccirco potius appellantur corroſiua, quam putrefactiua. *Diſcuſſoria facul.* Succedit, & alia facultas, quæ à Galen 13. meth. nuncupata eſt διαφορητική .i. diſcuſſoria, appellat hãc Auic. frangentem ventum, ſeu ventoſitatem cuius illud eſt proprium: vt materiam conuertat in aerem, & exinde totam conſumat. hoc vero fieri non poteſt, abſque caliditate, *Dubitatio,* & ſiccitate, quare huiuſmodi facultas copulatur ſemper caliditati, & ſiccitati. ſed eſt hoc in loco dubitatio: quia à ſcriptoribus vidẽtur diuerſæ allatę ſententiæ circa ea, quę diſcutiunt. Gal. 12. meth. cap. vlt. ſcribit allium maximum eſſe flatus diſcuſſorium, *Allium flatus diſcutit, & gignit.* propter quod dicit eſſe appellatum a ruſticis theriacam. de hoc tamen allio diuerſa videtur ſentire Hippocrates, & Ariſtoteles. Hippocrates enim, ſiue author ille 4. de acutis tex. 90. ſcripſit allium flatus excitare, Ariſto. decimatertia particula, probl 6. querens,

cur

cur ab allio fœtida reddatur vrina, inter alias causas hanc vnã reddit, quod flatus excitat, qui penetrantes ad vrinam, eam fœtidam reddunt. Ex quibus omnibus videtis dictum esse ab antiquis modo allium esse flatus discussorium, modo flatus excitare: quam contradictionem, vt soluatis: debetis hæc costituere; ea quæ calida sunt *Solutio.* & sicca, flatum semper discutere, siue sint in tertio gradu talia, siue etiam in quarto: sed varietatem esse interdum materiæ, quia vbi materia crassa est, & viscida, facultas calida, & sicca agens in hanc materiam, flatus gignit crassos, qui cum nequeant faciliter resolui, diutius in corpore remanent, adeò, vt quando hæc medicamenta flatus gignunt, est ratione materiæ viscidæ, crassæ, & multæ; quod si materia non sit viscida in corpore, non sit copiosa, sed solum flatulenta, tum medicamenta calida, & sicca, flatũ dissoluunt, adeò vt dicantur vere discussoria, & efficaciter tunc operantur, quando iam flatus in corpore factus inuenitur. atque hac etiam ratione potestis intelligere, cur à Galeno gingiber sit repositum inter flatum excitantia, quia s. cum facultas gingiberis sit posita in viscida quadam humiditate, vbi actuatur in corpore, agens gingiber, & in propriam humiditatem crassam, & etiam alienam excitat flatus, ꝓpter quam humiditatem crassam inuenitur etiam interdum perforatum gingiber. *De simpl.*

Superest postremò loco ea facultas, quæ suppuratoria dicitur medicamenta, in quibus hæc reperitur, dicuntur à Galeno ἐκπυΐσκοντα. & hæc est facultas, quam propriè tumores, præter naturam in saniem conuertit, quoniã verò conuersio in saniem, vt docet Arist. 4. Metheor. cap. 2. est quędam species coctionis, coctio verò fit a calore, sequitut hæc facultas calorem, & humiditatem, sed vtcunque calori natiuo similem. Addit vnum Auic. huiusmodi medicamenta debere esse stiptica, hoc est viscida, & crassa: quoniam *Suppurantia debere esse viscida.* cum necessarium sit, vt medicamenta suppurantia adhæreant, atq; contineant tenues humores, ne diffluant, necessarium est, vt viscitatem habeant, atque etiam crassitiem, vt possint magis adhærere, & humorũ effluxus magis cohibere, propter quod iure medici, vt supperent semper emplasmata, valde crassa apponere debent. Est hic illustris dubitatio, à nemine hactenus tractata, à quonam calore efficiatur suppuratio, nam quando dicimus facultatem hoc, vel illud facere, non intelligimus solam eam facultatem, quę est in medicamento id agere, sed etiam adiunctam alicui alteri. Est igitur dubitatio, an hæc facultas sequatur calorem ipsum natiuum, an potiùs externum. Auerr. 5. collect. cap. 6. duo maximè *A quo calore fiat suppuratio.* animaduertenda docet: vnum est, quod humores qui in pus vertendi sunt, non debent peccare qualitate, sed sola quantitate. hoc

enim

enim apud medicos eſt compertiſſimum, ex humoribus vitioſis ſaniem veram nunquam generari, ſed virulentam, itaq; qui debet in ſaniem conuerti humores, neceſſe eſt, vt ſolum peccent quantitate. Alterum, quod humores quando, vel quantitate, vel qualitate peccant, non poſſunt à natura ſuſtineri, vnde ab ea in aliquam partē deponuntur, vbi ſunt depoſiti in eā partē, incipiunt putreſcere, ī qua putrefactione, ſi materia diſpoſita ſit vt benigna euadat, à calore natiuo conuertitur in partem vtilem, humor verò, qui non poteſt reduci ad benignum, tandem putreſcit, & ad nihilum redigitur. Ex quo diſcurſu infert Auerr. medicamenta, quæ ſuppurare debent, eſſe temperata, & natiuo calori ſimilia. Vnde colligitur manifeſte, ex Auerrois ſententia ſuppurationem fieri à calore natiuo.

Tres eſſe ſpecies alterationis.

Eandem ſententiam videtur habuiſſe antea Galenus 5. de ſimpli. cap. 6. quo in loco ſcribit tres eſſe ſpecies alterationis, vnam naturalem, qualis eſt coctio, alteram præter naturalem, qualis eſt putrefactio: tertiam mediam, qualis eſt maturatio, ſeu ſuppuratio: differentiam tradens vniuſcuiuſque alterationis, dicit naturalem hoc habere, vt fiat a calore natiuo, atque etiam in materia familiari, & vtili, putrefactionem vero fieri a calore alieno, & in materia inutili, mediam autem, ſiue ſuppurationem fieri quidem a calore natiuo, ſed eum calorem non prorſus vincere materiam: Ex quibus elicitur clariſſime ex ſententia Galen. ſuppurationem fieri a calore natiuo. Auerr. & Galen. ſententia videtur tota capta ab Ariſt. 4. meth. cap. 2. quo in loco docens philoſophus coctionem eſſe perfectionem a calore natiuo, & propterea terminari ad aliquem finem, inquit, duos eſſe huiuſmodi perfectionis fines, vnum vt materia cocta in animalis nutrimentum conuertatur, in qua cōuerſione mutatur rei forma ſubſtantialis: Alterum verò in quo mutatur tantum forma accidentaria, & res mutata eſt ad aliquid vtilis: in hoc poſtremo fine ponit Ariſt. ſuppurationem, ita vt manifeſte videatur etiā philoſophus velle ſuppurationem totam fieri a calore natiuo.

Secundum Gale. & Auerr. fit a calore naturali.

Aduerſus has ſententias, videtur eſſe ſententia magni illius Auēzoar. li. 1. ca. 9. tract. 9. quo in loco vult magnus ille medicus ſuppurationem fieri, tum a calore extraneo, tum a natiuo, qui ſimul agentes in humorem partim digerunt, partim diſſipant, nam inquit calor naturalis, ſolus non conuertit materiam in pus, ſed in nutrimentum, calor etiam externus non deducit ſolus materiam ad pus, ſed corruptionem facit materiæ, quam paulatim natura membri expellit, colliquat, & diſſoluit: ſequit̄ igit̄ ex ſententia Auenzoar, quod neque a ſolo calore natiuo, neque a calore ſolo externo, ſed ab vtriſque fiat ſuppuratio. ſententiæ Auenzoar videntur duæ rationes conſentire, vna eſt, quod ſolus calor natiuus

Auenzoar, dicit fieri ab vtroque calore.

natiuus quando operatur, ſemper materiam ad aliquem vſum deducit,ſed materia ſuppurata ad nullum vſum eſt,quoniam tota expellitur, ergo non videtur hęc materia facta eſſe a ſolo calore naturali: nec dicatis Ariſto.dicere eſſe vtilem, quia materia non eſt vtilis, ſed materię expulſio eſt vtilis. Altera ratio. Opera ſolius caloris natiui ſunt opera blanda, omnis moleſtię expertia, videmus enim co-ctiones omnes fieri in animalibus,ſine vlla moleſtia,blandiſſime.ſed ſuppuratio efficitur cum febre, vt dicebat Hippoc cum dolore,cum moleſtijs, itaque non fit a ſolo calore natiuo. Pro reſolutione huius difficultatis dupliciter reſponderi poteſt, vno modo, maturationem fieri principaliter, & perfectiue a calore natiuo, diſpoſitiue autem fieri etiam ab externo: dico diſpoſitiue, quia niſi prius materia ſuppuranda putrefiat aliquo modo nunquam conuertitur in ſaniem. Alio modo reſpondere poſſumus, ſuppurationem dupliciter intelligi, vel pro tota actione a principio putrefactionis vſque ad finem, vel ſolummodo pro ea extrema perfectione, in qua materia acquirit albedinem, & ęqualitatem. Si ſecundo modo accipiatur, fit ſolum a calore natiuo, atque de hac loquitur Auerroes, Ariſtoteles, & Galenus, atque etiam in hoc non fiunt dolores, neque febres. propterea quod iam ceſſauerit putrefactio, atque ſolum calor natiuus tingit, & ęquat materiam ſine vlla moleſtia. Si verò accipiamus maturationem pro tota actione, efficitur maturatio, tum a calore interno, tum ab externo, & de hac loquitur Auenzoar: nam vbi materia propter quantitatem in loco pręter naturam eſt congregata primo in ipſa excitatur calor alienus, qui incipit putrefacere, quoniam vero partes in putrefactione euaporant rebelles maturationi, calor natiuus tum inſurgit, atque materiam relictam, & diſpoſitam ad maturationem æquare, & conficere intendit. adeo vt in tota hac actione, & calor externus, & internus agant. Quamobrem Ariſtot.loco citato maturationem appellat putrefactionem, quia eſt quædam portio putrefactionis non quod Ariſtot. (vt docent nonnulli interpretes) abuſus ſit voce putrefactionis pro concoctione, vt faciebant veteres: nam Ariſtot. non conſueuit huiuſmodi translatis vti, immo vero in libro de generatione animal.damnat Emped.quod lac appellaret pus: damnat etiam eundem 4 Topicor.6. quod appellaret vinum aquam in ligno putrefactam, ideſt concoctam, atque hic eſt finis tract.de facultatibus ſecundis.

Solutio.

Suppuratio dupliciter intelligitur.

Cur Ariſto. appellat ſuppurationem putrefactionem.

De tertijs medicamentorum facultatibus. Cap. IX.



SEQVVNTVR facultates tertiæ, quas dicebam sequi qualitates primas elementorum, sed in hoc differre a secundis, quia secundæ ad nihil determinantur: tertiæ vero, aut determinantur ad peculiarem materiam, aut ad particulare membrum, vt est facultas quæ lapides frangit, quæ mouet vrinam, menstrua ciet, purgat pulmonem, quæ generat lac, & semen, quæ generat carnem. hæ facultates, & aliæ multæ quæ referuntur a scriptoribus, vt cognoscere potestis, habent propriam quandam materiam, habent proprium membrum circa quod versantur. Quæ lapides minuit, sequitur, vt docet Galen 5. de simpl. & Auer. 5. collect. 20. caliditatem modicam, & modicam humiditatem, cum subtilitate partium, vt est asparagus, saxifragia, cicer rubeus, amygdalæ amaræ, carpesium, cyperus, gramem, asplenum: adnumerat inter frangentia lapidem etiam balsamum Auenzoar lib. 2. tract. 2. cap 7. Cur autem hæc facultas sequatur has qualitates ea est ratio, quia lapides, vt docet Galen. 3. aphor. 26 fiunt a caliditate insigni, propter quod inquit Galenus, quanquam falso mea sententia, in senibus raro fiunt lapides. in pueris frequenter. Cum igitur fiant lapides ab insigni caliditate, atque etiam siccitate, sequitur vt dissoluantur a frigido humido per regulam Aristot. 4. method. sed dicet aliquis vestrum, quomodo fieri possunt lapides a calido sicco insigni, cum in corporibus nostris non fiat calor adeo intensus, qui excoquat materiam perinde, ac ignis fornacum? Dico quod quamquam in corpore nostro non is fiat calor secundum intentionem, fit tamen calor, qui secundum extensi nem, & tempus paulatim excoquens, & paulatim absumens materiam in lapidem coagulat, itaque cum fiant a calido sicco, vt intellexistis, dissoluuntur a rebus moderate calidis, & humidis; dicetis ergo non est verum, quod vt scribit Arist. quæ coagulantur calido & sicco, dissoluuntur frigido, & humido: respõdeo, si ea quæ sunt moderate calida comparentur calori efficienti lapidem, habent rationem frigidi, & ideo videmus acetum, & succum citri extrinsecus lapides colliquare, vt refertur de Cleopatra & Hannibale, etenim huiusmodi succi non solum dissoluunt lapides, eo quod sint tepidi, & humidi, sed quod sint corpora tenuissima, merito cuius tenuitatis cum penetrent angustos corporum meatus, faciunt, vt partes ipsorum discindantur, & dissiliant. Dubitabit hoc in loco aliquis ve-

Facultas lapides frangent.

Nü possint fieri lapides in corpore.

Acetum, & succus citri exterius lapides frangere.

strum

ſtrum ſi verum eſt, quod hæc facultas ſequatur modicam caliditatem, & humiditatem, quomodo ſanguis hircinus, qui a medicis vocatus eſt manus Dei, adeo mirifice lapides confringat, eſt enim ex ſententia Galeni 4. de ſimpl 6. adeps hircinus adeo calidus, vt acrimoniam igneam poſſideat, quod ſi talis ſit adeps, eo magis debet calidus eſſe ſanguis, quia ſemper ſanguis eſt calidior adipe: pręterea cantharides inter medicamenta quæ lapides minuunt recenſentur, tamen ſunt calidiſſimæ, igitur non videtur hæc facultas ſequi modicam caliditatem, & modicam humiditatem. Reſpondeo de ſanguine hircino, eſſe frangentem lapidis non quidem proprie ex caliditate, aut manifeſta alia qualitate, ſed potius a tota ſubſtantia, vt Auicen. dixit eſſe lapidem Iudaicum, adeo vt licet hic ſanguis feruidiſſimus ſit, non hoc feruore operatur, ſed tota ſubſtantiali forma. De cantharidibus autem dico, nequaquam exhiberi a medicis, vt frangant lapides, quoniam hæc ipſarum non eſt facultas, ſed vt docet Galenus, commiſcentur huiuſmodi cantharides medicamentis lapidem frangentibus, vt vehant medicamenta ad renes, vel ad veſicam, quæ eſt propria, & peculiaris ipſarum facultas.

Sanguis hircinus cum ſit valde calidus quomodo lapides frangat.

Cãtharides tantum vehunt medicamenta ad veſicam.

Quæ mouet vrinas, & a Græcis vocatur διουρητικὴ, eſt ea, quæ copioſe vrinas, & præter conſuetudinem educit, hæc autem ſequitur caliditatem, atque ſiccitatem inſignem, ratio eſt quam adfert Galenus 5. de ſimpl. 12. ſ. quod cum ad prouocationem vrinæ requiratur, vt ſerum a ſanguine ſegregetur, neceſſarium eſt, vt fiat aliqua colliquatio, hæc autem fieri non poteſt ſine inſigni aliqua caliditate, eapropter quæ mouere debent vrinas debent eſſe calida, & ſicca, vt ſunt ſemen apij, aſarum, acorum, daucus, ſemen fœniculi, betonica, radix aſparagi, meum, ſmyrnium, polium, & aliqua quæ enumerantur a Galeno. Auer. declarans, quæ ſit hæc facultas, inquit eam duo facere; primum adiuuare virtutem diſcretiuam iecoris, vt dignoſcat ſerum a ſanguine. Prętereà adiuuare virtutem renum attractricem, adeo vt his ſimul concurrentibus efficiatur vrinę prouocatio. Sed duos errores commiſit Auer. vnum quòd virtuti naturali tribuat cognitionem, quod quidem quantum ſit a philoſophia alienum, vnuſquiſque nouit; alterum, quod putet diuretica operari in iecore; nam licet concedamus diuretica ſegregare ſerum a ſanguine, non tamen propter hoc appellantur talia, quia iſtud operantur in iecore, eo quia ſerum in iecore ſeparatum poteſt diſtribui per vniuerſum corpus. Itaque diuretica non operantur in iecore, ſed extra, & in renibus ipſis.

Facultas diuretica ſequitur caliditatem, & ſiccitatem inſignem.

Aue. inquit diuretica duo facere.

Duo errores Auer.

Proxima facultas diureticę, eſt ea quę menſes in mulieribus mouet, quęue ab illa non differt in alio, niſi, quod ſiccitatem minorem poſtulat, vt eſt aſarum, ammonium, ariſtolochia, arthemiſia,

Menſtrua prouocãtia.

adiantum, radix asphodeli, cicer, calamus aromaticus, myrrha, piper, petroselinum, ruta, radix rubeæ, sabina, atque alia plura enumerata a Galeno: Auerroes scribit ea quæ menses mouent esse eiusdem generis cum ijs, quæ gignunt lac, sed error est Auerrois, quia quæ generant lac, vt intelligetis, nequaquam sunt sicca: immo vero generare lac, & educere menses videntur res plane contrariæ, quia si lac fit, vt intellexistis a me, ex sanguine menstruo, educere sanguinem, extra corpus, & generare lac videntur omnino contraria. Si tamen placet Auerroem tueri, possumus dicere, eum intellexisse id quod scribit Galenus quinto de simplic. 20. scilicet, quæ faciunt lac, & quæ mouent menses, similitudinem quandam habere in operationibus, & facultatibus, quæ similitudo posita est in caliditate, & in motu, quia facultas menstrua mouens mouet sanguinem ad vterum: quæ facit lac mouet sanguinem ad mammas, ita vt inter hæc medicamenta sit similitudo facultatum, & operationum. Sed contra hanc determinationem sunt nonnulla dubia, an diuretica sint calida, & sicca, vt dixi. etenim experientia constat semina, quæ frigida vocantur, vrinam ciere, vt semina melonum, cucurbitæ, citrulli; præterea Galenus secundo aphoris 11. scribit vina aquosa vrinam maxime prouocare, appellat autem vina aquosa illa, quæ non solum colore, sed viribus aquam referunt. huiusmodi vina dicuntur a Galeno frigida, itaq; etiam frigida secundum Galenum prouocant vrinam. postremo Aristote. prima proble. sectio. 40. quærens cur aliqua medicamenta moueant aluum, aliqua vesicam, inquit, quæ sunt humida, & aqua plena si sint medicamentosa vesicam mouere, ex quo loco clarissime colligere licet, frigida aquea, & humida prouocare vrinam. Pro huius resolutione debetis animaduertere, aliud esse vrinam mouere, aliud vrinam facere: vrinam generant omnia ea quæ materiam aqueam habent, eo quod tota hæc materia penetrat ad vesicam, & ad renes, atque sic loquitur Galenus primo de natu. facult. circa finem, vbi scribit eos, qui multum bibunt, & καθαρίζοντες vocantur, id totum per vrinam reddere, quod bibunt; sic etiam intelligenda est authoritas Galeni secundo aphor. 11. & Aristotelis. alia sunt, quæ non generant vrinam, sed materiam vrinæ ad vesicam mouent, & hęc propriȩ vocantur diuretica, quę rursum duplicia sunt, aut enim moderate mouent vrinam, aut vehementer, moderate, quę sunt moderate calida extergentia, cuiusmodi sunt frigida semina, quæ haud ita appellantur, eo quod refrigerent, sed quia alijs seminibus collata videntur frigida: mouent vero vrinam vehementer ea, quę sunt calida, & sicca, & de his intelligenda est Galeni sententia, & Auerrois, quando scribunt facultatem

Error Aue. de mēstrua cientibus.

Quæ menstrua mouēt & lac generant quomodo similia sint.

Dubia.

Aliud esse vrinam facere, aliud vrinam mouere.

Diuretica duplicia.

tem

tem diureticam ſemper comitari caliditatem, & ſiccitatem: id, quod etiam intellexit Ariſtotel quando in Problem. ijſdem ſcripſit ſemina odorata prouocare vrinam, quia calida ſunt.

Eſt, præter has facultates, & alia, quæ generat lac, & ſemen. Et hæc quoque ſequitur caliditatem in ſecundo gradu ad ſummmum, abſque vlla ſiccitate, & huiuſmodi facultas, vt plurimũ reperitur in cibis, & potibus, quia ſi vere ſemen, & lac ſunt gignenda, non ex alio poſſunt naſci, quam ex optimis cibis, & potibus: ſunt tamen aliqua partim medicamenta, partim cibi, in quibus hæ facultates inueniuntur, cuiuſmodi eſt eruca, fœnic. anethum ſmyrnium, apium, ſion, polium, & hæc proprie lac generare dicuntur: ſemen autem generant ſcynchus, ſatyrium eruca, ſemen fraxini, lini, ſemen, canabis, Sed circa hæc quatuor ſunt a vobis animaduertenda, vnum eſt hæc medicamenta debere eſſe viridia, non ſicca, eo quod ſicca medicamenta actu, & præſertim, quæ calida ſunt, exiccant: vbi generare volumus lac, aut ſemen, cauendum eſt a rebus exiccantibus. Alterum eſt, quod quæ ſemen, aut lac producere diximus, non vere faciunt ſemen, & lac, ſed prouocant: quia materiam deducunt ad vaſa ſeminaria, aut ad mammas, vbi deinde fit lac, & ſemen.

Semen generatiua.

Medicamẽta hæc debere eſſe viridia.

Tertium eſt ea, quæ flatum gignunt appellari, etiam a Galeno, πολυσπέρματα, quaſi multum ſemen generent, ſed non vere efficiunt ſemen, ſolum autem materiam ſeminariam replent ſpiritu, & flatibus, quæ materia flatu repleta extenditur, atque ita videtur in molem maiorem augeri, non quod vere materia ſeminis augeatur. & propterea, qui res flatulentas ſumunt, vt ſemen copioſus reddant, valde falluntur.

Sed dicetis, cur igitur hyppiatri, quando volunt ex equabus prolem facere, ſaturant eas cicere, & faba? dico hoc facere, non quod hæc legumina gignant ſemen, ſed quia magis excitant libidinem, ſemen ſpiritu magis replent, vnde ſtimulata iumenta, magis huic negocio incumbunt.

Quartum animaduertendùm eſt, quòd ſcribit Galenus, pauciſſima omnino eſſe medicamenta, quæ poſſint ſemen, & lac verè generare, & ratio eſt, quia huiuſmodi medicamenta debent eſſe valde temperata; temperata in medicamentis, quæ aſſimilentur humanæ temperaturæ, rariſſima ſunt.

Facultas, quæ a Galeno σαρκωτική, ſeu carnis generatiua, dicitur, ſequitur, vt idem docet 3. Metho. capit. quarto, & 5. de ſimpl. facultatem extergentem, & exiccantem in primo gradu vel paulò plus. i. caliditatem, & ſiccitatem moderatam, vt eſt lachryma *Sarcotica.*

chryma abietina, fuligo thuris, iris, lentiscus, myrrha, pix arida, resina thereb. styrax, thus, cadmia, colophonia, hordei farina, & alia plurima, quæ enumerantur a scriptoribus. Auicen. libr. 2. cap. 4. Tract. primo. scribit de hac facultate, medicinam eam sarcoticam dici, cuius proprietas in vlceribus carnem efficit, propter quod habebat complexionem partis, & sanguinis, simulque sanguinem ipsum coagulabat: vnde facilè colligere potestis medicamenta sarcotica, non quod ipsa carnem faciant, sed quia disponunt materiam, vt in carnem conuertatur, atque etiam calori natiuo, in hac operatione auxiliantur dicebat enim Hippocrates in libr. illo de carnibus, seu potius de principijs, & Galenus, 3. Metheor. carnem facere, & solidare esse opus solius naturæ, & solius natiui caloris, medicamenta verò nihil aliud pręstare, quam quòd repellunt ea, quæ impediunt carnis generationem: est tamen illud in hac re animaduertendum, quod quamquam dixerim hanc facultatem sequi caliditatem, & siccitatem moderatam, haud tamen eadem mensura harum qualitatum requiritur in omnibus partibus, quoniam vt idem docet Galenus 3. metho. quæ generant carnem in membro vno, non itidem generant in altero, quia membra humidiora, magis exiccantia requirunt, propter quod iure dicit Aristotel. 31. part Probl. 7. Vulnera in sinistra aure, & in iuuenibus difficilius sanari, facilius autem in senibus, atque etiam in aure dextra, s. propter humiditatem maiorem.

Cur medicamenta dicãtur sarcotica.

Non eadem medicamẽta in omnibus partib. carnem generare.

Facultas, quę purgat pulmonem, & pectus, sequitur incisionem, & digestionem sine forti calore, quoniam etsi medicamenta vehementer incidant, si tamen vehementer calefaciant, materiam magis exiccant, & proinde contumaciorem ipsam efficiunt. Notat Auer. & recte etiam, interdũ ea, q̃ leniunt, & viscida sunt pectus expurgare, quando. s. humores adeo sunt subtiles, vt refugiant, & circumcursitent aeri impellenti, sicque expelli non possint.

Quæ purgant pectus primo modo sunt hysopus, glyceriza, prassiũ, farfara, capillus ven. Quæ vero secundo modo sunt nuclei pinei recentes, amygdalæ, butyrum, tragacantha, mel cannæ, & multa alia, q̃ licet vobis reperiri apud medicos scriptores. Sunt quamplures aliæ facultates tertiæ adnumeratæ a Gal. 5. de simpl. & ab alijs, sed satis sit vos in harum exemplis hactenus exercuisse.

De quartis medicamentorum viribus. Cap. X.



Equuntur quartæ facultates, quæ vt docet Auerr. 5. collect. 25. non appropriantur qualitatibus elementorum, vt primæ, ſecundæ, & tertiæ: ſed nulli alteri poſſunt appropriari, quam ſubſtantiali formæ, propter quod modo vocantur proprietates a tota ſubſtantia, modo occultæ, modo operationes a forma ſubſtantiali: nec dubitandum eſt, has formas, ſeu facultates dari, quoniam licet Ariſt: Alex. Aphr. & fere Peripa. omnes non cognouerint has facultates ſubſtantiales, quandoquidem ſolam elementorum temperiem videntur cognouiſſe, tamen apud medicos conſtantiſſimum eſt, huiuſmodi formas dari: immo verò Theopraſtus inter Peripat. nō minimus, primo de cauſis plāt. 23. maniſeſtiſſimis verbis cognouit formam hanc, quam appellabat totam, ſeu ſubſtantialem. Auerr. etiam ipſe ex ſententia medicorum, has facultates quartas concedere coactus fuit. Sed quoniam ſola quadam experientia videntur nobis cognitæ, ea ꝓpter rariſſimi fuerant, qui intimam harum facultatum rationem tradere ſint aggreſſi. Cum itaq; ſolummodo cognoſcantur per experiētiam, videamus, quæ ſint earum operationes. Operantur facultates quartæ, vel per alterationem, vel per motum localem: per alterationem, quia alterant corpora noſtra, aut ad bonum, aut ad malum: aut extrinſecus adhibita, aut intrinſecus: quæ operātur ad malum, ſunt venena omnia, & pręſertim quæ appellantur vere deleteria, nam docui vos ex Galeno, quæ ſit vera differentia inter lethalia, & deleteria, quod ſ. deleteriorū nullus vnquam eſt vſus in medicina, igitur proprietates occultæ, quæ alterant ad malum, ſunt hæc venena: & quāquam ſint quædam pharmaca, quæ operātur alterando ad magicas operationes, & incantamenta: tamē eſt malus vſus medicamentorum non quod ex ſe ſint deleteria. Quæ alterant ad bonum, de quibus dixi, vel extrinſecus adhibētur, vel intrinſecus. De intrinſecis habetis quamplurima tradita a Galeno, a Plinio. lib. 30. ab Auenzoar in principio ſui libri, a Rabbi Moyſe, in aph. a Democrito in lib. de antipathia, & ſympathia, & etiam a numquam ſatis laudato Fracaſtorio, & vt aliqua exempla habeatis. Capita leporina intus accepta, dicuntur tremorem curare hac proprietate, cerebra paſſerulorum, dicuntur coitum iuuare, pulmo vulpinus, apud Galenum hac proprietate, aſthmaticis ſuccurrit. Dies me deficeret ſi enumerare vellem hæc infinita medicamenta

De facultatibus quartis.

Exempla eorum, quæ proprietate agunt.

camenta extrinsecus alterant, omnia collo appensa in epilepticis, quãquam Galenus conatus sit manifestam huius adferre rationem, sed in vanum. Similiter smaragdus epilepticis appensus iuuare dicitur: corallium laboranti stomacho appensum, & alia multa, quæ narrare supersedeo.

Facultates vero, quæ operantur, per motum localem, vel operãtur pellẽdo, vel retinẽdo, vel attrahẽdo, quę operantur impellẽdo sunt, quæ a proprietate expellunt vermes e corpore, vt est corallina quę repellunt venenum, & expellunt e corpore, vt est cornum Vnicornis animalis, & quamplurima alia.

Retinendo. Quæ retinendo operantur, sunt ea, quæ iuuãt retinẽdo partui, vt est lapis aetites alligatus coxæ; vt est apud Scribonium Larg. fi- *Attrahẽdo.* mus asininus, ad retinendum sanguinis e naribus fluxum. Quæ operantur attrahendo, vel attrahunt humores, vel alia corpora ab humoribus, vt dictamũ Creten. quem putatum est trahere sagittas e corpore. Attrahentia humores, aut attrahunt vnum, vt docet Gale. aut plures. Attrahentia vnum humorem sunt aloe, cassia, mãna, myrabolani citrini, succus ros. thamar: quæ omnia videntur solam bilem attrahere. Similiter collocintis, semen cnici, hermodactili, euphor. cucumis asininus myrobal. chebuli, emblici, bellirici, turbith. thitimalle, elleborus albus attrahunt pituitam. Quæ attrahunt melancholiã sunt lapis arm. epith. lapis lazuli, elleb. niger, myrobalani nigri indi, polypodium sena.

Quæ attrahunt plures humores, hæc & multa alia nominantur, rhab. agaricus scammonium, quæ bilem vtranque, & pituitam educere existimantur. An sint, quæ attrahant sanguinẽ, Gal. in lib. de purg. med. 4. videtur confiteri, quod reperiatur huiusmodi medicamenta, sed incognita esse; narrat. n. historiam quam ibi legere potestis, imò Theophrastus etiam 4 de plãtis. ca. 15. tradit non solum reperiri herbã an q̃ sanguinem sistat, attrahat, & colligat, sed etiam quæ expellat, & diffundat, sed an hoc verum sit, duabus rationibus non adduci possum, vt credam, vna quia humanæ nequitiæ nihil hactenus inexcogitatum fuit, cum igitur omnia scelerum genera sint inuenta, & herbarum facultates temporibns nostris sint notissimæ, vix existimare possum, si reperiretur hæc herba, ꝙ non haberetur. immo dicit Gal. eo in loco eam herbam fuisse popularem, & copiosissimam. Altera ratio est, ꝙ si, vt audietis suo loco, medicamenta operantur a similitudine, deberet reperiri aliqua herba quæ esset eiusdem generis cum sanguine, qđ apud me absurdissimũ est, sed quicquid sit non est hoc loco disputandum.

An simplic. medicamenta attrahãt sanguinem.

Humo-

Humores quomodo a medicamentis attrahantur. Cap. XI.



Quæ sit proprietas ob quam medicamenta trahunt humores.

Sed ad vos pertinet breuiter intelligere quomodo fiat hæc attractio medicamētorum, quæ sit hæc proprietas ob quam medicamenta trahunt hunc, vel illum humorem. Mesues videtur huiusmodi fuisse sententiæ, quod sit quædam proprietas cęlestis Auicen. in lib. de viribus cordis. cap. 10. opinatus est hanc proprietatem esse aliquid, quod sequatur, & elementorum complexionem, & influxus cœlestes, sed quia virtutes cęlestes, & influxus orbium operantur in hunc nostrum mundum medio materialium facultatum, adhuc dubium est secundum Auic. & Mesuem, quæ sit hæc proprietas virtutum cœlestium. Itaque dimittamus hanc opinionem. Arist prima probl. sect. 43. argutissimam sane de medicamentis purgantibus habet opinionem: quo in loco scribit medicamenta purgantia non alia ratione ducere humores nisi, quia a calore corporis nostri non superantur, sed incocta manent, & quia aliqua manent incocta propter qualitatem, alia propter quantitatem, inquit Arist. proprie medicamenta purgantia ea nuncupari quæ incocta manent propter qualitatem rebellem, non propter quantitatem; quemadmodum serum lactis, mel, purgant, quia incocta manent propter quantitatem, non propter qualitatem. Modus quo hoc fit dicit Arist. est, quod primo medicamenta dissoluantur in corpore, dissoluta penetrant corporis partes, quas vbi penetrarunt, cum non possint a natura vinci, retrocedunt, in retrocessione ducunt secum humores obstantes, & ita fit purgatio: & quia poterat aliquis Aristoteli dicere; æs, aurum, ferrum, penetrant corpus, non coquuntur, non tamen purgant, respondet ad hoc vt purgent necessarium est, vt dissoluantur, sed quia hæc non dissoluuntur in corporibus nostris, hinc fit, vt non purgent. Dixi hanc sententiam esse ingeniosam, sed certe nihil ad rem medicam, quia dato, quod medicamenta non superentur a natura, vt etiam fatentur medici omnes, tamen vellem intelligere rationem cur hoc medicamentum ducat illum humorem, & non alium, nam si fieret purgatio hac ratione, a quolibet medicamento quilibet humor duceretur indiscriminatim, sed hoc non est verum, ergo neque vera est sententia Aristotelis: Auer. quinto Collect. 21. quasi admirans operationes medicamentorum inquit videri, quod medicamenta, operentur cognitione, quia cum ingrediantur intimas, & angustissimus

Arist. opinio de medicamentis purgantibus.

Refutatio Arist.

Auerroes opinio.

corporis partes, atque a sanguine secernantur peculiares humores, videtur, (inquit) hoc opus esse cuiusdam cognitionis, sed tradens deinde vere sententiam suam, inquit, totam hanc medicamentorum operationem fieri propter caloris proprietatem: nam cum necessario si debeant humores exire, debeant quoque aperiri ora venarum, fieri id non potest sine calore. quare concludit Auer. necessario esse calorem in medicamentis, qui aperiat: sed quia ducuntur peculiares humores, necessarium est in calore cuiusque medicamenti esse quandam proprietatem, propter quam calor duci faciat hunc, vel illum humorem. & quia videbat instantiam, quod medicamenta superpurgantia ducunt non solum familiares humores, sed etiam alios, hinc præter proprietatem caloris, necessariam esse inquit mensuram caloris, vt operetur, & propterea quia in superpurgationibus debita mensura medicamentorum egreditur, hinc fieri, vt etiam calor egrediatur propriam operationem. hæc sententia Auer. non multum est dissimilis sententię medicorum, est tamen dissimilis, & propterea non vsquequaque acceptanda, quia calor non vere attrahit, medicamenta vero fatentur omnes, quod attrahant, immo ipsemet Auer. probans quod attrahant, dat exemplum scammonij, quod, cum curet formicam pedum, non potest hoc facere nisi attrahat materiam etiam ex ipso pede: quod vero non attrahat calor vere, satis probatum fuit mea sententia, & vere ab Argent lib. 2. de morbis. & addo rationem vnam, quam non habet Argent. quod calor est instrumentum facultatis attractiuæ, si instrumentum ergo non est facultas, sed de hoc alias. Vera itaque ratio qua medicamenta purgant, est ea, quam Galenus nobis reliquit 3. de simplic. 25. 5. de simpl. 21. lib. de purgan. med. & 3 de temp. & alibi, scilicet quod hæc facultas attractiua medicamentorum tota sit posita in similitudine inter medicamentum attrahens, & humorem attractum, nec solum requiritur similitudo, sed etiam calor, ea ratione, quam attulit Auer. vt scilicet aperiantur vasa, quibus apertis, postmodum humores trahantur a medicamento, & ideo iure dictum est a Galeno lib. de purgan. medicamentis. omnia purgantia calida esse, sed dicetis, quæ est hæc similitudo, & si est similitudo, cum omne simile attrahat simile: cur non potius attrahuntur medicamenta? respondet Galenus, similitudinem esse in forma substantiali, sed non esse identitatem, nam carnes attrahunt sanguinem ad sese similitudine formæ ipsius substantialis non autem identitate, quia hæc est inter carnem, & carnem, & inter sanguinem, & sanguinem. iam vero neque caro carnem attrahit, neque sanguis sanguinem. Est itaque hæc similitudo in forma substantiali vtriusque. Cur igitur non attrahitur medicamentum ab humore? quia inquit Galenus vis similitudinis maior

Auer. sententia non differt sententia medicorum.

Vera ratio qua medicamenta purgant.

Cur medicamentum non trahitur ab humore.

maior est in medicamento, quam in humore: Nam si duo sint, qui trahant robustior attrahit ad sese imbecilliorem. sic magnes attrahit ferrum, quia vis attractrix per similitudinẽ robustior est in magnete, quam in ferro, pariter in medicamentis maior est vis attractrix, quam in humore, adeo vt similitudo quidem intercedat, sed maior vis est in forma substantiali attrahentis, quam attracti. Itaque videre potestis, quam iure huiusmodi operationes sint appellatæ a veteribus nostris sympathiæ, qui veteres tantum tribuerunt huiusmodi facultatibus occultis, vt sæpe ante Hippoc. medici solis mederentur his quartis facultatibus.

Medicamentorum facultates inuestigandi ratio per experientiam. Cap. XII.



OSTQVAM facultatum medicamẽtorum theoriam absoluimus, relinquitur vt modum ipsas inuestigandi edoceamus, non potest enim perfecta componendorum medicamentorum haberi notitia, nisi quomodo facultates eorum sint inuestigandæ intelligatur. dicebat autem Auer. 5. collect. cap. 24. duos esse modos quibus inuestigantur hæ facultates: vnum vt cognoscatur quæ in medicamentis facultates adsint: alterum quæ sint causę earum facultatum. Inuestigare causas potius ad philosophum naturalem pertinet, quam ad medicum, nos igitur tantum docebimus, quomodo intelligere possitis, an illę, vel istę facultates in propositis medicamentis sint, neque enim alio modo cognosci possunt facultates, quam illo, quo cętera omnia cognoscuntur, siquidem cum velo corporeo simus, vt sic dicam, obtenebrati, res cognoscimus, aut sensu, aut ratione, quare & facultates medicamentorum non possumus alio modo cognoscere, quam vel sensu, vel ratione, & hoc est quod docet vos Galenus in primo de simplic. & Auicen. 2. lib. scilicet facultates medicamentorum inuestigandas esse, vel per per experientiam, vel per ratiocinationem. Surget statim aliquis aduersus me, quomodo ratiocinatione dicuntur res cognosci, quoniam omnis nostra cognitio dependet a sensu, experientia fit sensu, quare videtur omnis nostra cognitio fieri per experientiam. Dico differentiam esse inter experientiam, & ratiocinationem, quoniam etsi omnis nostra cognitio dependeat a sensu, dependet tamen aut immediate, aut mediate, quæ dependet immediate a sensu dicitur proprie experientia, quę mediate acquiritur a sensu vocatur ratio-

De modis quibus inuestigantur facultates.

cinatio. Exemplo rem vobis declaro, vbi per sensum tactus cognoscimus hunc effectum medicamenti, scilicet calefacere, sine vlla alia inuestigatione appellatur hæc cognitio per sensum, & per experientiam, quia immediate per sensum cognoscimus hunc effectum calefactionem, vbi autem non per sensum tactus immediate, sed per aliquid aliud cognoscimus medicamentum calefacere, exempli gratia, quod cito inflammetur, quod saporem acrem habeat, & similia, vtimur discursu quodam, & ratiocinatione, & licet etiam vtamur sensu, per sensum tamen istum non immediate, sed mediate ducimur ad cognitionem facultatis calefactoriæ. Itaque habemus quomodo acquiratur cognitio per experientiam, & quomodo per discursum: quoniam autem semper cognitio per experientiam præcedit cognitionem per discursum, & quemadmodum dicebat Aristot. 8. Physicor. vbi sensus fidem facit infirmitas est intellectus quærere rationem: eapropter ab experientia tractatio nostra inchoabit.

Triplex genus experientiæ.

Experientiæ vt docet Galenus lib. de sectis 2. triplex est genus: aliud casuale, aliud voluntarium, aliud imitatorium. Casuale genus experientiæ dupliciter adhuc est, vel naturale, vel fortuitum: Exemplum adfero, ex spontaneo, & naturali sanguinis e naribus fluxu per experientiam cognoscitur sanguinis e naribus fluxu febres curari: est hæc experientia naturalis, quia per effectum naturalem acquiritur. Fortuita experientia est quando a fortuna experimur aliquid prodesse. Exemplum, capra laborans suffusione, cum forte fortuna secundum oculum sauciata esset a iunco, factum est vt ex eo vulnere curata sit cataracta, vt habetis in eo libro, qui sub nomine Galeni inscribitur Medicus, ex hac fortuita experientia, acquisita est experientia remedij depositionis cataractæ.

Depositio cataractæ, sed desumpta.

Experientia voluntaria duplex.

Genus experientiæ voluntarium duplex adhuc est, vel experimur moniti ab aliquo externo, vel natura propria voluntate moti. Ab aliquo extrinseco, quemadmodum Galenus monitus in somno de incisione arteriarum temporalium in affectibus oculorum expertus est remedium: nostra propria voluntate moti experimur, quando aliqua ratione impulsi experimur, an hoc sit in illo, vel an hoc prosit, an non.

Experientia imitatoria.

Tertium genus experientiæ, quod imitatorium dicitur est, quando experimur ea quæ a maioribus explorata sunt, vel natura, vel fortuna, vel voluntate impulsis: hæc experientia, vt respicit exemplum maiorum, appellatur historia, vt vero propriam experientiam, dicitur obseruatio. Cum tot sint genera experientiæ, nos in explorandis facultatibus medicamentorum non alio vtimur quam voluntario, quia ratione discendi mouemur ad experiendum, an hoc medicamentum sit huius, vel illius facultatis. Sed interrogabit statim aliquis

quis

quis vestrum a me, an omnes facultates medicamentorum possint cognosci hac experientia, nunquid.s.possimus solo sensu immediate perscrutari omnes quatuor medicamentorum facultates? quæ res ita mihi videtur definienda, ꝙ secundæ facultates medicamentorum ratiocinatione potius, quam sensu cognoscuntur, quia cum sequantur primas qnalitates immediate, vt docui vos, acquiritur ipsarum cognitio ex cognitione primarum, ita vt sensu, quidq; cognoscatur, sed medicamẽtorũ.tertiæ facultates cognoscũtur magis experiẽtia, quam discursu: qm̄ ꝙ medicamentum aliqd̄ aperiat, possumus quidem comprehendere ex discursu, ꝙ aperiat autem vel venas iecoris, vel vias renum, non discursu, sed sola experientia acquiritur. Primæ facultates acquiruntur, tam discursu, quam experientia: sed magis experientia.

Quartæ vero facultates, quæ sunt rerum proprietates, vt docet Auerr. 5. collect. 25. considerantur dupliciter, vel in medicamentis simplicissimis, vel in compositis. In compositis acquiritur cognitio harum proprietatum, & per experientiam, & per discursum. cœterum in simplicibus acquiritur solummodo per experientiam. adfert rationem magnus Auerr. quia huiusmodi qualitates quartæ sequuntur proportionem, & harmoniam elementorum, quæ est nobis incognita: aliæ facultates sequuntur commixtionem primam elementorum. Cum itaque experientia per ipsos effectus sensu patentes, nos conducat in cognitionem facultatum medicamẽtorum, tria sunt, quę concurrunt ad quemlibet effectum, patiens, agens, & tempus: quoniam autem etiam circa effectus sensibiles contingunt deceptiones, immo verò sceptici philosophi probabant, ꝙ a sensu non potest haberi vlla cognitio, iccirco, ne hæc inuestigatio sit erronea, & falsa, circa hæc tria sunt nonnullæ obseruationes habendæ, & primo, circa patiens sunt tria obseruanda in explorandis per experientiam medicamentorum facultatibus. primum obseruandum est, vt experiamur medicamentum non in quolibet corpore: sed in humano. Intellexistis aliàs a me medicamenta dici apud medicos talia, vel talia, corpori humano comparata: cur in corpore humano solum debeat fieri experientia duplex est ratio ab Auicenn. nobis significata, vna quia quod corpori humano calidum est, contingit interdum corpori brutorum esse frigidum, exemplum adfert de rhabarba. quod dicit, calidum esse respectu hominis, frigidum verò, respectu equi, sic Theophrastus memoriæ prodit triticum esse cibum humano generi familiarissimum, equos verò interimere, si plus edatur, quam par sit, quasi facultas tritici, respectu hominis sit temperata, respectu equi sit validior, quam conue-

Tria ad quę libet concur runt effectũ

Prima obseruãda circa patiens.

niat,

niat. Altera ratio est, quia proprietates brutorum, & hominum, non modo diuersæ sunt, verum etiam interdum, planè contrariæ; exemplum: napellus est homini venenum, tamen reperiuntur animalia, quæ eo nutriuntur. Sic dicebat Lucretius, cicutam esse homini lethale venenum, barbigeras pecudes ea pinguescere. Itaque propter has duas potissimum causas, fit, vt debeamus inuestigare per experientiam facultates medicamentorum in corpore humano solum. Altera obseruatio est secundum Auic. vt experiamur medicamenta, non in quolibet corpore humano: sed in ægro, nec in quocunque ægro, sed in eo, quod solum simplici, & non composita ægritudine tentatur, ratio huius obseruationis multiplex est; primo enim explorandum præcipit medicamentum Auic. in corpore ægro, quia medicamenta exploramus gratia curationis, curatio non potest adhiberi, nisi in corpore ægro, quo fit, vt si finem nostrum adipisci velimus, debeamus explorare in corpore ægro. Altera ratio est, quod quicunque experiri vult medicamentum aliquod, debet eniti, vt id agat sine periculo, vel cum minimo, si experiamur in sanis, maius impendet periculum, si in ęgris, aut nullum, aut exiguum. Quod potiùs in simplici ægritudine, quam composita sit facienda experiētia ratio est, quia cum morbi componũtur, vel alijs morbis, vel suis causis, frustrabitur experientia nostra, si quis enim laboret febri, & tumore pituitoso, velimusque experiri, an chamomelum calefaciat in hoc corpore, non poterimus; quia si curabitur febris, nō poterimus tuti esse, an etiam curato tumore pituitoso factum hoc sit, propter caliditatem chamomeli, an propter qualitates temperatas, an refrigerantes, quia vt qualitates refrigerantes curant febrem, sic calefacientes curant tumorem pituitosum: pariter etiam si curabimus febrem, cuius causa sit pituita, & velimus experiri, an medicamentum, vt cichoreum, sit refrigerās, an calefaciens, nō erit tuta experientia, quia si curetur morbus a cichoreo, poterit fieri, quod curatus sit, quia caliditate cichorei dissipata sit pituita, vel quia eiusdem frigiditate sit feruor febrilis extinctus: ita vt secundum Auic. non sit tuta experientia, nisi fiat in corpore humano ægro ægritudine simplici non composita:

Sed statim dubitatio non leuis circa hoc oritur, primo, quia videtur experientia esse facienda in corpore temperato, non in corpore ęgro; est sententia Gal. & omnium medicorum, corpus temperatum esse metrum, & mensuram, qua regulantur omnes medicinæ actiones, igitur debet etiam a corpore temperato regulari hęc cognitio facultatum medicamentorum: ad hæc est clarissima Galeni sententia, lib. 3. de temperam. medicamenta esse exploranda in

corpo-

corporibus temperatis, igitur non est verum, quod dicit Auicen. esse exploranda in corpore ægro. Postremò, idem Galenus. 3. de simpl. docens, quomodo facienda sit experientia aquæ, vult, quòd tam in corpore intemperato, quam in temperato sumatur, quasi non possit haberi certa experientia, aut notitia facultatis aquæ, nisi experiamur ipsam in corporibus temperatis, & intemperatis, sed quod Galenus dicit de aqua, idem existimandum est de alijs.

Pro resolutione huius rei, quæ maximi momenti est in medicina facienda: sciendum est, experientiam medicamentorum sumi a medicis propter duos fines, vnum vt solummodo facultas intelligatur, vt. s. cognoscamus an hoc medicamentũ calefaciat, an aperiat obstructiones, an emolliat: alterum, vt exploremus, an noceat, vel profit: si exploranda sunt nobis solum medicamenta, propter vtilitatem intelligendi, vel potissimum propter vtilitatem, non solum propter cognitionem, dico inuestigandas esse facultates in corpore ægro, vt docet Auicen. Ratio est, quia vt cognoscamus, an lœdat, vel profit medicamentum, experiendum est in corporibus illis, quę postulant iuuamentum, nõ autem in illis quæ conseruanda sunt, vt sunt sana: sin autem experiri placeat medicamenta solum propter primum finem, vt. s. cognoscamus facultates, nulla habita ratione vtilitatis, vel nocumenti, tum vel indagamus facultates in vniuersali, vel facultates, & gradus facultatum: si solum facultates in vniuersali inuestigemus, dico experienda esse medicamenta, tum in corporibus sanis, tum in ægris, tum in temperatis: atque hoc modo intelligenda est Galeni authoritas. 3. de simpl. vbi loquitur de aqua. Si verò quæramus facultates medicamentorum, & gradus ipsorum intelligere, dico faciendum esse solum experimentum in corporibus sanis, & temperatis, & sic intelligẽdus est Galenus. 3. de temperamentis, quia per applicationem medicamenti ad corpora temperata possumus feliciter explorare, non modo facultates in vniuersali, verumetiam quoslibet facultatũ gradus. Sed dicetis, non inueniuntur corpora temperata, quid igitur agendũ? Galenus (si verum est, quòd dicit) scribit, in regionibus Hipp. & suis, inuenta esse multa corpora temperata, tempore nostro filius gallinæ albæ est, qui est temperatus; tamen quia sunt corpora, quæ licet exquisite temperata non sint, proxime tamen accedunt, ea sunt in experimentum trahenda.

Solutio.

Experiẽtia medicamentorum sumitur propter duos fines.

Facultatũ gradus, in quo corpore indagandi sint.

Prostrema conditio, est circa patiens obseruanda. vt experiamur medicamẽta in corporibus ægris contraria ægritudine laborantibus, cur hoc? est ratio allata a Galeno 3. de temp. cap. 5. quod scilicet cognoscere possumus, an hæc facultas, vel illa sit essentialis medicamenti, vel accidẽtalis e g. si volumus experiri, an lactucæ refrige-

refrigeratoria facultas sit essentialis, vel accidentalis ipsi debemus explorare, tum in corporibus febricitantibus, tum in refrigeratis: quia si per se lactuca refrigerat febricitantes, erit facultas refrigerandi sibi essentialis, si vero per accidens calefaciat corpora refrigerata. s. repercutiendo, facultas calefactoria inerit lactucæ accidētalis, cognoscitur autem hoc ex permanentia, quia si refrigerat lactuca a principio, & perduret, erit essentialis operatio: si calefaciat a principio: sed non duret, erit accidentalis.

Conditiones ex partē agentis vt ser uandæ. Conditiones ex parte agentis obseruandę in experiendis medicamentis duæ sunt; vna, vt medicamenta quæ debemus explorare, sint ab omni qualitate acquisita, & accidentaria libera, e. g. si lactucam experiri velimus, an sit frigida, neque refrigerari debet neque calefieri, vt scilicet sit omnis qualitatis accidentariæ expers: qualitates autem in medicamentis tribus modis acquiruntur, vel per alterationem, vel per mutationem substantiæ, vel per viciniam, aut commixtionem. Exemplum adfero; mutantur medicamenta, & acquirunt qualitatem per alterationē, quando aqua aut calefit, aut frigefit, olea, & omnia medicamēta. acquiritur qualitas per mutationem substantiæ, quando medicamentum corrūpitur, vt si oleum amygdalæ sit explorandum, & rancidum euaserit, proculdubio noua qualitas erit, acquisita per illam corruptionem, & rancorem: acquiritur qualitas per viciniam, & per cōmixtionem, quando medicamenta, vel sale, vel aceto, vel simili aliquo condiuntur, coriandrum aceto conditum, proculdubio nouā qualitatem habet: pisces sua natura frigidi sunt, sale conditi mutant qualitatem. itaque necessarium est, vt medicamenta exploranda sint ab omni accidentaria qualitate denudata. Dicet aliquis, cur igitur Galen. 3. de temp. cap. 5. præcipit, vt medicamenta exploranda tepida fiant? respondeo, Gal. mentem esse, quòd quæ sunt exploranda sint actu omnis frigoris, & omnis caloris expertia, hoc enim significat tepor. Dico in explorandis medicamentis, quia vt docet idem Galenus in curatione secus agendum est.

Galen. præcipit vt medicamenta exploranda sint tepida.

Secunda cōditio. Secunda conditio obseruanda ex parte agentis est, vt quando volumus experiri in corpore ægro medicamentum, exhibeamus facultatis æqualis ipsi corporis morbosi: exempli gratia, si corpus morbosum fuerit calidum in secundo gradu, & velimus experiri medicamenta, quæ refrigerent, debemus adhibere medicamenta quæ refrigerent in secundo gradu, nam si in minori gradu adhibeamus, nulla erit actio, si in maiori maior erit actio, quam vt possimus rectam facere experientiam.

Video vos statim dicturos? est apud philosophos celebratissima ꝓpositio, ab æquali non prouenire actionem, non igitur videtur hic

modus

modus tutus? respondeo duplicem esse actionem, alteratiuam scilicet, & corruptiuam siue perfectiuam: ab æquali non prouenit actio corruptiua, aut perfectiua, prouenit tamen alteratiua, & ex hac metimur hasce facultates: quo in loco debetis etiam adnotare, æqualia esse medicaměta, in morbis dupliciter contingere posse, vno modo secundum molem, alio modo secundum vices: secundum molem dicitur, quando vno, & eodem tempore medicamentum æquale in gradu administratur, & hoc apparet verum esse, vbi corpora valida nobis corrigenda offeruntur: in quo casu, vt docent omnes medici possumus administrare medicamenta æqualia in gradu, quia actionem illam alteratiuam sustinent. Æqualia secundum vices sunt, quando administrantur medicamenta virium paulo inferiorum, sed pluribus vicibus. Exempli gratia, si volumus refrigerare secundum duos gradus, exhibebimus medicamentum, quod sit frigidum paulo plus primo gradu, & non vna vice, sed pluribus, & hoc fit in corporibus debilioribus, quæ non possunt sustinere validam actionem medicamenti æqualis secundum molem: hæc postrema conditio non solum seruari debet in explorandis medicamentis, immo magis in curatione, quia nisi obseruetur, lœthales, atque perniciosissimi committuntur errores; atque hoc est, quod oraculo quodam nobis significauit Hippo. 3. de acutis 39. & 3. de fracturis 116 vbi dicebat, quod aqua biliosis natura conuertitur in bilem, quia si in corpore vehementer calido pauca aqua administretur, fit ea aqua fomes caloris, & bilis, propter quod in ardentibus febribus vbi volumus refrigerare, aquam copiosam administramus, quod si pauca administretur magnum detrimentum adfertur: idem quoq; innuere voluit Auer. 5. collect. vbi scribebat aquam cucumeris in ardentibus febribus inflammari, & bilescere. idem etiam testatus est C. Aurel. 2. de acutis 21. & Alex. in cap. de pleuritide: adeo vt perspectissimum esse possit semper medicamenta administranda, æqualia esse debere, vel secundum molem, vel secundum vices. Circa tempus sunt duæ aliæ conditiones obseruandæ propositæ a Galeno, & Auicen. nam actiones medicamentorum variari possunt multipliciter, vel quia operantur statim, vel paulo post applicationem, vel quia post applicationem statim vno modo agunt, deinde alio modo operantur, vel quia a principio vsque ad finem vno, & eodem modo agunt. Si medicamentum operetur a principio vsque ad finem vno & eodem modo, signum est illam esse illius facultatem. Exempli gratia, cicuta applicata statim refrigerat, a principio vsque ad finem, quare necessario colligendum est, facultatem cicutæ esse refrigeratoriam: quod si medicamentum experiundum vno modo a principio operetur, & alio modo post principium, proculdubio anceps

Ab æquali nō prouenit actio quomodo intelligendum sit.

Medicaměta esse morbis æqualia dupliciter.

Circa tempus aliæ conditiones obseruandæ.

est experientia, quia fieri potest vt prima operatio sit per se, secunda per accidens, potest etiam fieri, vt prima sit per accidens, & secunda per se. exemplum adfero nix. primo occursu statim refrigerat, paulo post calefacit, operatio prima est per se, secunda per accidens. Econuerso aqua calefacta bibita primo occursu calefacit, paulo post refrigerat, prima operatio est accidentaria, secunda essentialis. Cum igitur sit hæc ambiguitas in hoc genere experientiæ, quid agendum est? modus dignoscendi propositus ab Auicen. est, quamquam obscure, vt videamus vtra actio remaneat abeunte agente nam si remaneat posterior actio, signum est primam esse per se, posteriorem per accidens. Exempli gratia, remota niue a manu, remanet calefactio, signum est igitur, calefactionem esse facultatem accidentariam niuis, refrigerationem verò primariam, & essentialem, quod si non remoto agente remaneat actio posterior, signum est priorem actionem fuisse accidentariam, posteriorem autem esse per se, & essentialem, exemplum est de aqua calefacta, quæ potata, & remanens in ventriculo frigefacit, quamquam primo calefecerit, atque hoc signum est refrigerationem esse ipsi essentialem, calefactionem accidentariam. Sed dicetis quomodo potest aqua calefacta refrigerare in ventriculo: nam primo est calefacta extrinsecus, in ventriculo quoq; calefit. non videtur igitur posse vlla ratione refrigerare. Alta sane speculatio, & diu etiam disputata a medicis antiquis: breuiter tamen hæc est sententia mea: calefactionem omnem, quæ est in aqua non alia ratione esse, nisi, quia non est in sua propria natura, naturam propriam deponit propter admixtionem alterius rei, quare aqua calefacta calefit propter admixtionem alicuius rei, vbi igitur redierit ad propriam naturam, hoc est vbi deposuerit alienas res, propter quas calefit, consentaneum est rationi, vt secundum naturam operetur & propterea refrigeret. quid est autem, quod miscetur aquæ calefactæ? sunt vapores, vbi autem aqua aliquo tempore in ventriculo permanserit, beneficio caloris natiui deponit hos vapores, quibus depositis rediens ad propriam naturam, frigefacit: hac contemplatione soleo ego pulcherrima problemata soluere, & præsertim cur aqua motu, & nitro refrigeretur, & multa alia, sed de his non est locus nunc differendi.

Quomodo aqua calefacta refrigeret in ventriculo.

Secunda & vltima conditio circa tempus obseruanda est, vt attendatur quando experimur medicamentum, an semper eam operationem faciat, & an in omnibus corporibus, ratio est, quia quod tale est per se, dicunt philosophi, semper & vbicunque esse tale, si igitur cicuta semper refrigerabit, & omnia corpora refrigerabit, vt facit clarum erit refrigerare esse propriam facultatem cicutæ, quapropter debetis illud obiter adnotare, fefelisse interpretem Auerr. 5. collect.

Secunda cõditio circa tempus obseruanda.

Error interpretis Auerrois.

collect. qui dum interpretaretur hanc vocem haarmel, transtulit cicutam, atque dixit calefacere tertio gradu, dico fefellisse interpretem, quia non est vero consentaneum Auer. adeo cœcutijsse, vt longe aberrarit in facultate cicutæ. Atque hæc est ratio cognoscendi medicamentorum facultates per experientiam.

Medicamentorum vires, vt per discursum inuestigentur, & primum ex prioribus effectibus. Cap. XIII.



EQVITVR vt videamus quomodo per ratiocinationem, & discursum facultates medicamentorum inuestigare possimus: si enim meministis, docui vos differre hanc inuestigationem ab ea, quæ fit per experientiam, quoniam experientia tota posita est in sensu immediate, ratiocinatio vero quamquam a sensu proficiscatur, tamen mediate, non autem immediate oritur a sensu, quoniam totus hic modus cognoscendi facultates est ex effectibus cognoscere causas. Exempli gratia, cum sapor, odor, congelatio, & condensatio, sint effectus ipsarum facultatum, ab istis deducimur ad cognitionem facultatum, & hæc cognitio vocatur ratiocinatio, quo in loco duo debetis adnotare, vnum est, quemadmodum dicit Auer. hanc viam non esse tutam, neque demonstratiuam, sed quia medici meliorem habere non possunt, eapropter dicit Auer. amplectendus est hic modus, & commendandi sunt medici, qui hanc viam monstrarunt: Alterum, quod in hac inuestigatione medici nunquam vtuntur sensu tactus, & ratio est, quia per sensum tactus cognoscimus eas facultates, quæ sunt in actu, medici vero indagant eas, quæ sunt in potentia, non autem, quæ sunt in actu. Cum igitur inuestigatio, vt dixi, sit ex effectibus ad causas, videndum est nobis, quot, & qui sint effectus, qui nos conducant ad cognitionem harum facultatum: nam vt habetis ab Aristot. 4. Meteor. calidum & frigidum sunt qualitates, quæ agentes in humidum, & siccum, varios, & diuersos producunt effectus, quorum alij sunt priores, & omnibus partibus similaribus communes, alij proprij, & posteriores. Communes sunt, vt congelatio, inflammabilitas, visciditas, tenuitas, & alij plurimi, qui numerantur ab Aristot 4. Meteororum. Posteriores vero sunt illi, qui post hos primos oriuntur, vt sunt color, odor, & sapor. Sed dicet aliquis vestrum

Quomodo per discursum facultates medicamentorum inuestigentur.

Viam per ratiocinationē non esse tutam.

Medicus in inuestigadis facultatibus non vtitur tactu.

Effectus cōmunes.

cum ad effectus producendos concurrant & alia, veluti est tempus, locus, regio, & nutrimentum in rebus animatis. nonne etiam ab his licet inuestigare facultates medicamentorum? nam orientales plagæ dicuntur calidiores, septemtrionales frigidiores. pulegium, quia in solstitio floret potest dici calidum, sic plantæ nutritæ salsis humoribus possunt dici calidæ, & siccæ, ex quo intelligere licet locum, tempus, regionem, & nutrimentum conducere ad hanc cognitionem. Respondeo, quod quamquam hæc omnia aliquid conferant ad inuestigationem, tamen per se sola nihil faciunt, sed solum alijs copulata. propterea nos etiam de his aliqua tractabimus. Cum itaque priores effectus, qui videntur oriri ex primis qualitatibus, sint inflammabilitas, & congelatio, iure merito Galenus primo de simplic. & Auicen. primo canone sui libri, de huiusmodi passionibus tractarunt, reliquas autem dimiserunt, quia ex his potest quis facile discurrens per regulas, intelligere ex vnaquaque passione facultatem ipsam efficientem. Est itaque sententia Galeni, & Auicennę, quod inflammabilitas ostendit caliditatem corporis inflammabilis, difficultas vero inflammationis ostendit, vel diminutam caliditatem, vel potius frigiditatem: nam medicina, quæ inflammatur faciliter extrinsecus, siue ab igne, siue a manuum confricatione, dicitur calidior, vt quæ minus inflammatur, minus calida: quo in loco debetis adnotare, quod vt huiusmodi propositiones medicorum verificentur, necessariæ sunt quædam conditiones vt docuit nos Galen. 2. de simpli. & Auicen. vna, vt agens semper sit idem, quia licet aliquod corpus magis accendatur ab igne, quam a manu, propter hoc tamen non est dicendum magis calidum, & ratio est, quia non est idem agens. Altera conditio est, vt substantia corporis inflammabilis sit eadem: identitas autem substantiæ penes tria consideratur, raritatem, & densitatem, aqueitatem, & terrestreitatem, visciditatem, & friabilitatem: nam potest aliquod corpus esse calidius altero, & tamen non inflammabitur æque, eo quia corpus ipsius densius est. Exemplum adfero. lignum ficus proculdubio est calidius ligno salicis, tamen lignum salicis citius inflammatur, ratio est, quia ligni ficus substantia densior est. Sic etiam potest aliquid esse altero calidius, & tamen difficilius inflammari ob terrestreitatem, & visciditatem: itaque vt verificetur huiusmodi propositio necessaria est identitas materiæ, & corporis passibilis. Tertia conditio, vt corpora inflammabilia nullam habeant proprietatem aduersariam agenti; exemplum de salamandra in promptu est. nam perspectissimum est salamandram esse calidiorem cicuta, tamen cicuta facilius inflammatur salamandra, nec vlla est ratio, nisi proprietas quædam igni aduersaria, quam habet salamandra; quocirca tametsi

Inflammabilitas quid indicet.

Conditiones necessariæ, vt propositiones dicta verificētur. Prima.

Secunda

Idētitas sub stātia penes tria considerātur.

mersi videamus paleam extrinsecus faciliùs inflammari, quam piper, propter hoc non est iudicandum esse calidiorem, quia difficultas inflammationis in pipere nascitur ex diuersitate substantię, & ex diuersitate agentis. Atque hic est modus cognoscendi medicamentorum facultates ex inflammabilitate, qui modus, vt dixi ex Galeno est admodum incertus, & fallax.

Sequitur congelatio ex qua etiam medici inuestigare consueuerunt medicamentorum facultates, in qua re obscurissimus, & valde prolixus fuit Auicenna. rem tamen vobis breuiter explicabo. *Quomodo ex congelatione inuestigentur facultates.* Congelata, sic enim appello etiam ea quæ coagulata dicuntur, sunt quæ cum mollia, aut humida prius essent, indurata sunt: indurãtur verò huiusmodi corpora, vel a frigido solo, vel a calido solo, *Congelationis causa.* vel a frigido simul, & calido. si enim a frigido solo indurentur, aut prius inspissata sunt a calore naturaliter agente, vt sunt ossa, cornua panniculi; atque hæc omnia frigida sunt, & sicca; aut non fuerunt prius a calore inspissata, quale est argentum viuum, & similia, atque hæc, vt optime docet Auicenn. frigida sunt, & humida. Si a calido sint congelata, vt salnitrum, & huiusmodi sunt calida, & sicca, quod si pręter hoc etiam habeant exuberantiam in se partium terrestrium, frigida sunt, & sicca, vt ait Auicenn. de ferro, & alijs plurimis metallis.

Eodem pacto inuestigandæ sunt facultates ex inspissatione, nam *Inspissatio.* quæ inspissantur a calido, & sunt aerea, aut aquea, aut vtraque hęc omnia sunt calida, vt butyrum, gummata, olea plurima, sperma. si inspissentur a frigido, ita tamen vt priùs passa sint a calido, sunt humida, & calida, vt ius pingue, adeps.

Quod si a frigido inspissentur, nec prius calor egerit in ipsa, omnia frigida sunt, & humida, exemplum dat Auerr. de lacte, quod multa frigiditate densatum sit, est enim sententia Hippocr. 4. de morbis, lac etiam ab immodico frigore congelari; Atque qđ dico de huiusmodi passione, idem etiam dicitote vos de multis alijs.

Circa quas duo animaduertenda sunt, vnum est vt verificentur hæ *Duo aduertenda.* propositiones apud medicos, necessarias esse conditiones, quas nuperrimè audiuistis, & præsertim substantiæ identitatem. Alterum quod notat Auerr. 5. operationes calidi, & frigidi in huiusmodi rebus posse esse aut naturales, aut accidentarias. si operatio sit naturalis debemus etiam existimare facultat esse naturalẽ. E. g. operatio calidi, & frigidi in metallis est operatio quędam naturalis, similiter condensum spermatis intra corpus est naturalis, quare sequitur etiam facultates, quas venamur ex his operationibus esse naturales. Ex aduerso si actio calidi, & frigidi fuerit accidentaria, erit etiam facultas nobis inuenta accidentaria, vt de musto di-

cit

cit Auerr. nam spissitudo in musto est accidentaria, eapropter facultas inuenta ex spissitudine in musto erit facultas accidentaria. Quod si corpora inspissata sint & a calido, & a frigido, erit facultas horum corporum temperata ex aqua, & aere, vt dicunt de oleo. Viscidítas, & lenitas ostendunt nobis pariter facultates, quia vbi viscíditas est, ibi necessario partes aqueæ, & terreæ sunt, necessario igitur inest frigiditas, ita vt vbi viscidum est, demonstretur adesse facultatem frigefactoriam. Ex aduerso vbi est friabilitas necessario ibi adest facultas aerea, cum aliqua terrestritate. Mollities signum est facultatis humidæ, lenitas calidæ, & aereæ, aut igneæ, vt in aqua ardente. Atque hic modus inuestigandi facultates per effectus vniuersales, & communes, potest vos manuducere ad cognitionem omnium facultatum, ex contemplatione aliarum passionum, quibus referendis medici supersederunt, quod intellecta vna, facilè patet aditus ad cætera omnia.

Viscíditas, quid ostendat.

Friabilitas.

Mollities.

Medicamentorum facultates inuestigandi ratio ex posterioribus effectibus, & primum ex colore. Cap. XIIII.



TRadendus est modus inuestigandi facultates ex effectibus posterioribus, qui præcipue sunt color, odor, & sapor: appellantur autem effectus posteriores, quia post elementorũ mixtionem, & post effectus, quos audiuistis in mixtis fiunt: an fiat primo color, an sapor, an odor, est subtilis disputatio, puto tamen ego si quæ inter hos effectus est danda prioritas, ꝙ primo sapor, deinde odor, postremò color fiat. Incipiamus itaq; primum a colore, qui tametsi aliquid conferat ad inuestigationem harum facultatum, tamen minima est vtilitas, quam habemus ex coloribus, quatuor ob rationes, quarum prima est quod cum facultates medicamentorum in plantis potissimum sint collocatæ, plantę oẽs videntur vnũ habere colorem viridem, sub quo non est dubium quin diuersæ, & pene contrariæ lateant facultates; altera est quia in medicamentis contrarijs sæpè vnus, & idem est color, in sale enim, & nitro est color albus, in camphora color albus, camphora tamen & sal contrarias pene facultates habent, adeò vt ex colore nihil commodi acquirere valeamus. Tertia ratio est, quam videtur adferre Auic. quod colores obuiant sese sensibus nostris, sine materia, & quamquam Plato in Thimeo, & in Memnone dixerit

Ex coloribus parua habetur facultatum cognitio.

xerit

uerit colorem esse defluxum quendam rerum visui congruentium, & sensibilium, ille tamen defluxus apud Platonem est res quædam spiritualis, non materialis. quarta ratio est, quod vt dicebat Aristotel. lib de sensu, & sens. color est superficies corporis terminati, vnde magnus Auerr. 5. collect. 29 dicebat, quod cum color medicamentorum sit in superficie, sæpè contingit, vt alius sit color superficiei, alia verò complexio corporis colorati. sed statim insurget aliquis vestrum ductus author. Hipp. in principio lib. de humoribus, vbi scribit, colorem esse iudicem humorum dominantium, quemadmodum in floribus, quem locum dum exponeret Galen. si tamen liber eius est, quod non credo: dicebat, colorē corporum indicare complexionem ipsorum: quod si verum est, videtur rationi consentaneum, vt possit nos color manu ducere ad cognitionē facultatum. respondeo dupliciter, vno modo, ꝙ sententia Hipp. intelligenda est de corporibus animalium, non autem plantarum, & quod hoc sit verum demonstrat exemplum Hippocra. quod adfert de floribus; nam si loqueretur etiam de stirpibus, frustra dedisset exemplum stirpium, iam verò animalia cum habeant calorem in actu quo priuantur stirpes, facilius fieri potest, vt beneficio huius caloris temperaturę corporum indicia sese offerant in superficie; possumus & alio modo respondere, sententiam illam Hippocr. non esse veram, vt plurimum: sed interdum. vera autem est, vt etiā doctissimus Curtius dicebat, de humoribus existentibus in superficie. s quod color nobis demonstrat hos humores, non humores latentes in penetralibus corporis.

Obiectio.

Solutio.

Colorum, vt omnes norunt, duo sunt genera extrema, album & nigrum, ex quibus constant deinde media, quæ an sint simplicia, vt opinati sunt nonnulli, an verò composita ex extremis, non est locus disputandi.

Quæ facultas ex albedine deprehendatur.

De albedine, videtur Auicen. hanc habuisse sententiam esse, aut in rebus humidis, aut siccis: si est in humidis, dicit Auicen. indicium est facultatis frigefactoriæ: si sit in corporibus siccis, dicebat, argumentum esse facultatis calidæ. Idem dicit de colore nigro, quod aut est in rebus humidis, aut siccis: in humidis significat caliditatem, in siccis frigiditatem. Sed hoc in loco occurrit dubitatio de colore vini. Galen. 12. Meth. 4. & 4 de simpl. 23. scribit omnia vina alba esse frigida, cui etiam videtur attestari Auicenn. regula nuperrimè allata, sed contra Galenum est quotidiana experientia, quoniam videmus vina alba calidissima: præterea Auer. 5 collect. 29. scribit vinum nigrum frigidum esse, iam verò si omne vinum album est frigidum vt dicit Galenus, et omne nigrum frigidum, vt ait Auerr. præterquam quod erit contra experientiam, nullum ferè

Dubitatio de colore vini.

vinum

Solutio. vinum calidum inuenietur. Dico domini id quod soleo sæpissime dicere, de facultatibus vinorum nos nullam habere posse certitudinem ex antiquis scriptoribus, propterea quod cum quisque locutus sit secundum propriam experientiam, & secundum regiones proprias, facilè fuit, vt ignoratis alienis moribus, decepti fuerint, nam hoc etiam videtur innuisse Galen. 3. de acutis. 8. vbi loquēs de vinis Ægypti, dicebat ea esse interdum frigida, & tenuia, quamquam regio sit calidissima; accedit quod in Germania, & in Gallia videbitis vina albissima, quæ tamen sunt calidissima, & Patauij sunt vina nigra plurima, frigida. Itaque dicendum est ex colorib' neque de vinis, neque de alijs medicamentis posse vllam certitudinem haberi, vnde quod dicit Auerr de colore rubro, quod significet calidam facultatem, propter partem igneam in plurimis etiam falsum proditur, vt in corallio, in fragis, & multis alijs, tam stirpibus, quàm metallis, quorum colores sunt rubri, facultas tamen frigida.

De odoris natura, & differentia. Cap. XV.



Ideamus modo, postquam colores nobis parum auxiliantur ad inquirendas has facultates, an odores auxiliari possint, in qua re, ni fallor, audietis pulcherrima. Quod odores magis ad hoc conferant, est vna potissima ratio, quia magis petunt sensus nostros cum materia, quã colores, id quod testatur Galen in libr. de sim pl. testatus est etiam Democritus, & Lucretius, qui odorem cum corpusculis multiplicari per aerem tradiderunt. sed quamquam petant sensus nostros, vt dixi cum aliqua corporea materia, vti videbitis, vbi naturam eorum tractabimus, tamē multo minus hoc agunt, quam sapores, quapropter cum saporum vtilitas non sit maxima in inuestigandis facultatibus, sequitur vt odorum sit multo minor: accedunt quatuor rationes his. vna est, quia vt docet Arist. lib. de Sensu, & Sens. nec non Theophrast. lib. 6. de causis plant. cap. 26. homo habet odoratum deterrimum omnium animalium: cum itaque parum polleat homo hoc sensu, non etiam possunt odores opitulari ipsi. secunda, quia multa corpora in vsum medicum veniunt, quæ carent odore, sunt multæ plantæ, multa folia, plurimi fructus, inter quos est ficus, alioquin iucundissimus omnium: sed præter hæc, animalia ipsa carent odore, si igitur tot corpora medicorum carent odore, videtur omnino inutilis esse hæc inuestigatio ex odoribus. Tertia ratio est, quia inuenietis

Quatuor de causis odor parum confert indagãdis facultatibus.

in

in plantis partes maximè diuersas secundum odores, in alijs enim olent fructus, vt persico, in alijs flores, vt violis, rosis, iasmino, in alijs folia, vt serpillo, ocymo, in alijs radices, vt pino, in alijs cortices, vt cinamomo, in alijs ligna, vt sandalo, agalloco, guaiaco, cypresso, & multis alijs, adeo vt certa nulla regula possit adferri ab ipsis odoribus circa facultates. quarta ratio, quia sæpè contingit vt in re praua & insipida sit odor bonus, vt in spondilij floribus est odor gratissimus, est tamen sapor valde grauissimus, quid longè exẽpla petimus? muscus, vt nostis, est odoratissimus omnium corporum, veruntamen existimo ego venenum esse, si vt medicamentũ intus capiatur, adductus hac ratione, quoniam muscus quando nõ dum est adulteratus, sed syncerus, si naribus apponatur statim ꝑplicit sanguinem, quare si exhiberetur muscus in corpore eo modo, quo dantur alia medicamenta: sum ego huius sententiæ, quod traheret sanguinem, neque enim absurdum est, vt alias docui ex Galeno reperiri medicamenta quę sua facultate sanguinem trahant, quamque muscum non facultate familiari, & propria sanguinẽ ꝑplicere existimo, sed ui quadam insigni qua pollet in aperiendo vasa vel ob tenuitatem, & acrimoniam substantiæ.

Muscum si intro sumeretur traheret sanguinem.

Tot ergo rationibus impellor vt existimem cum Auerr. & alijs paruam omnino esse commoditatem quam habemus ex oboribus ad perquirendas medicamentorum facultates, quia tamen est aliqua, neque prorsus contemnenda, enitendum est nobis, vt inueniamus quomodo ex odoribus possimus hoc obtinere. Sed antequam ad odorum naturam breuiter explicandam descendam, tria pulcherrima problemata sunt explicanda circa ea quæ diximus, vnum: an verum sit animalia non olere, & si verum sit, quæ sit ratio. secundũ, cur homo habeat deterrimum odoratum cœterorum animalium. tertium cur in alijs corporibus sit odor in floribus, in alijs in ligno, in alijs in cortice, & sic de alijs. Circa primum est sententia Arist. in lib. de sensu & sensa. nec non 31. part. problem. 4 animalia nõ olere, præterquam pãtherũ hanc eandem sententiam habuit Theoph. 6. de causis plant. 26. f. animalia non olere, excepto panthera, sed notare debetis cum dico animalia non olere me intelligere de odore grato, non autem de ingrato, quia hirci, oues, & multa animalia male olent, forsan etiam aliqui homines: præterea non est obijciendum huic, quod gantella animal, quod facit muscum, & mures nonnulli bene oleant, quia odor horum animalium non oritur ex corporibus, sed ex excrementis: quare hoc constitutũ esse debet apud vos, nullum animal bene olere excepta panthera; ratio huius rei adfertur ab Aristot. & Theoph. locis citatis, quia scilicet in plãtis adest humor, & terrea pars concocta, desiccata, & depu-

Tria problemata.

Animalia nõ olere prę ter pantheram.

rata, in animalibus autem nequaquam adest talis ficcitas, aut humiditas, propterea quod dicit Arist. & Theophr. plantæ carent excrementis, quibus animalia abundant, excrementa autem faciunt fœtorem, vbi fœtor, non poteſt eſſe bonus odor, & ideo iure dicunt iſti, in corporibus plantarum adeſt bonus odor, in corporibus animalium nequaquam: alia etiam adfertur ratio, quia animalium corpora calida ſunt, & humida, plantarum potius calida, & ſicca: iam vero cum conſiſtat odor, vt intelligetis ſuo loco, in ſicco tenui perſpirabili, huiuſmodi conditiones ſunt potius in plantis, quam animalibus. Hæ rationes quamquam ſint philoſophorum maximorum mihi tamen non videntur demonſtratiuæ, & forſan minus, quam probabiles, quia animalia quædam reperiuntur multo magis ſicca, quam pleræq; plantæ, & quod ad puritatem humoris dicebat Arist. in lib. de longit. & breuit. vitæ, humidum hominis eſſe puriſſimum omnium: accedit & illud, quod in animalibus fiunt optimæ coctiones propter caloris beneficium iure etiam itaque debent fieri optimi odores, & ne rem longius protaham, ſum omnino huius ſententiæ, verum non eſſe propter has rationes, animalium corpora non bene olere, ſed duæ ſolummodo a me adferuntur, quarum, vna tacta eſt a Theophr. altera eſt inuentum meum. Dicit Theophraſtus non eſſe verum animalia carere bono odore, ſed huiuſmodi odores a nobis non percipi ob odoratus infirmitatem, & Theophraſto multa opitulantur hac in re primo, quia murium odor percipitur a felibus, odor leporum, perdicum, & coturnicum a canibus. Itaque ex his patere poteſt, odores etiam habere animalia, ſed a nobis non percipi: Altera ratio mea eſt, quod quamquam odores aliqui ſint in ipſis animalibus, ij tamen non ſunt boni, neque grati, ſed familiares, & chari aliquibus animalibus propter naturæ proprietatem, vt odor leporum, murium. In pleriſque animalibus nullus eſt bonus odor, & ratio eſt, quia vt intelligetis, odores ſunt propter cibum, quæ non debent eſſe cibi, neque etiam debent habere odores: cum autem animalia non ſint ad hoc præſertim deſtinata, vt ſint cibi inter ſeſe, hac ratione carent odoribus, & hac ratione fuerunt a natura temperata, vt eſſent expertia bonorum odorum, quod ſcilicet non aliunde proficiſcitur, quam a peculiari quadam temperie. Homo vero habuit odoratum infirmiſſimum omnium animalium propter duas rationes, quarum alteram attulit Hippoc. in lib. de locis in homine: alteram vero Theophraſtus Hippocratus eo in loco ſcribit hominem melius audire, quam odorare, quia circa aures habet foramem in membrana cerebrum veſtiente, circa nares autem priuatur huiuſmodi foramine; ita vt non poſſint odores æque penetrare ad cerebrum, vt ſoni, ſed loco huiuſmodi foraminum habuit

ſubſtantiam

ſubſtantiam quandam ſpongioſam, vt etiam demonſtrat Galen. 8. de vſu part. Ratio allata a Theophraſto eſt, quod odor, vt dixi, eſt gratia cibi, animalia bruta, vt poſſint diſcernere, & perquirere cibos opus habuerunt odoratu exquiſito, vt ſcilicet longe, lateque poſſint ſibiipſis odorum beneficio comparare cibos, homo qui præditus erat ratione, inſtructus innumeris artibus, minime opus habuit huiuſmodi odoratu, & propterea, quod omiſit natura in hoc ſenſu, ſuppleuit ratione, & alijs.

Erat tertium problema, cur odor interdum reperiatur in floribus ſolis, interdum in lignis, interdum in fructu, aut cortice. reſpondet Theophraſtus, non aliunde hoc proficiſci, niſi ex coctione, quoniam a natura comparatum eſt, vt in varijs ſtirpibus fiat coctio modo in flore, modo in ligno, modo in cortice, hoc tamen fere perpetuum eſt, vt odor in floribus exiſtat: & ratio eſt, quia calor in ſubſtantia hac tenui magis miſcet, & coquit. Sed percunctabitur aliquis veſtrum a me, ſi hoc verum eſt, cur ligna odorata ſint, & tamen flores non oleant, vt in cypreſſo, in ligno aloes, in ſandalo, in ligno guaiaco? nam hæc omnia ligna ſunt odorata, flores tamen nequaquam: vt huius euentus rationem nobis redderet Theophraſtus dixit (& eſt ratio ingenioſa) quod odor fit per coctionem, cum autem in floribus eadem materia, quæ eſt ligni coquatur, per hanc coctionem fit neceſſario tranſmutatio ſubſtantiæ, & qualitatum, quæ cum non poſſint in melius perfici, neceſſario in deterius, vergit, & ſic ex re odorata fit non odorata. ſed parcant mihi manes Theophraſti, hæc ratio non videtur euentibus reſpondere, neque rationi, quia ſi hoc verum eſſet, ſequeretur pari ratione, quod nulla arbor odorata faceret fructus odoratos, hoc autem eſt falſum; probatur conſequens, quia ſi per Theophraſtum non redduntur odorati flores, quia iterum coquitur materia odorata, & coctione amittit odorem idem etiam contingeret vbi coquuntur flores, & redduntur odorati: nam in ijs etiam arboribus non eſt negandum, quin fiat coctio. Itaque dimiſſa ratione Theophraſt dico ego ob duas rationes hoc contingere, vt ſcilicet flores arborum odoratarum non reddantur odorati: vna eſt, quia in ijs arboribus odor poſitus eſt in materia terreſtri, quæ coquitur quidem in arboribus, ſed non in floribus. Altera ratio eſt, quia interdum odor in arboribus poſitus eſt in materia tenui, quę vbi coquitur in floribus, facile euaneſcit, adeo vt remaneant flores inodori. Colligamus igitur ex hac diſputatione naturam odoris nihil aliud eſſe, niſi exhalationem quandam humidi mediocriter exiccati, eleuatam per calorem, aut frigus, vel potius dicamus eſſe paſſionem ſicci factam ex humido cum mixtione moderata, etenim an odor ſit aer, an ſit fumus, an

 vapor,

vapor', nolo nunc in controuersia ponere. Plato in Thimeo dixit odorem esse fumum, aut nebulam; vtcumque autem sit, clarum est, ad constituendam odoris naturam tria concurrere, ex Aristotel. & Theophrast. siccitatem, tenuitatem, & coctionem. Appellaui odorem exhalationem, quia clarissimum est, quæcunque sit odoris natura fieri per halitum, & exhalationem quandam. est tamen exhalatio duplex, vt docet Aristotel. 4. Metheor. Humida alia, alia vaporosa, vbi autem appello exhalationem, intelligo fumidam. An verò hæc exhalatio sit quid corporeum, an incorporeum, ita vt odores multiplicentur, vel cum materia, vel sine materia, longa est disputatio inter philosophos, & medicos; placet autem mihi, vt sequamur placita medicorum, qui existimarunt omnino odorem pertingere ad sensum nostrum cum materia aliqua corporea, & hanc esse sententiam medicorum. ex hoc verò patere potest, quod existimamus, atque etiam experimur odores nutrire: Testatum hoc habetis ab Hippocr. in libr. de alimento, ab Auicenn. pluribus in locis, sed præsertim 2. de anima, ne numerem vobis infinita argumenta, quæ Lucretius in quarto de natura sectatus Democritum, Hippocratis præceptorem nobis proposuit, vt demonstraret odorem necessario pertingere corporeum ad sensus nostros, quamquam etiam videtur hæc fuisse sententia Aristot. interdum, & Theophra. quorum ille 12. part. problem. iste verò 6. de causis plant. adferentes rationem cur interdum res odoratæ magis oleant a longè, quam propè, dicunt, quod interdum odores sunt in materia terrestri, quæ cõseruat ipsos in proximo loco, vbi autem longiùs fertur, dicunt isti, aut attenuatur, aut in itinere amittitur, atque ita odores perueniunt puriores ad odoratum; ex qua sententia facilè est colligere non solum secundum medicos, verumetiam secundum philosophos odores peruenire cum re corporea.

Dixi etiam fieri odores per moderatam exiccationem humidi, quoniam neque humidum exuberans, neque siccum immoderatum quicquam confert ad odorem.

De humido, apparet, quia in locis paludosis, & aquosis res, quæ producuntur, sunt plerunque innodoratæ, scilicet, propter nimiam humiditatem, & hinc fit vt plantæ vbi sunt proximæ ortui minus oleant, quia magis abundant humido, sic etiam quod nimia siccitas officiat odoribus, inde patet, quia vbi flores, aut herbæ sunt nimis exiccatæ, minus etiam olent, vnde, vt dicebat Theophrast. senescentes plantæ minus olent: in meridie, & post meridiem flores minus olent, quia scilicet sunt nimis exiccati; adeò vt clarissimum esse possint, neque hu-

midum, neque ſiccum immoderatum concurrere ad odorum generationem, ſed humidum moderatè ſiccatum. ſed video ſtatim uos contra me dubitare, ſi hoc verum eſt, cur igitur repe- *Dubitatio.* riuntur, & herbæ, & flores, qui magis olent exiccati, quam virides. & econuerſo, alia ſuauius olent viridia, quam ſicca? re- ſpondeo ex Theophraſ. odorem quidem ſemper poſitum eſſe in ſic- *Solutio.* citate moderata, verum aut odor interdum eſt debilis, & exilis, aut robuſtus: vbi eſt exilis, qui fundatus ſit in materia tenui, & ſubtili ſtatim euaporat, & ideò planta magis olet dum eſt viridis: ſi autem eſt validus magis tum plantæ olent exiccatæ, ratio eſt, quia vbi ſunt virides humiditas obſcurat odorem, vbi autem ſiccantur, odor conſeruatus in parte terreſtri magis apparet. Vnde flores violę, & gariophyllorũ, vbi ſiccati ſunt ſtatim amittunt odorẽ, poma, cytonia, & crocus magis olent ſiccata: roſa olet quidem viridis, olet etiam ſicca, eo quod odor poſitus eſt in ſubſtantia lenta, & viſcida. Dixi poſtremo odorem fieri per calidum & frigidum, non qđ frigus præcipuè concurrat ad generationem odorum, ſed quia concurrit calor modo maior, modo minor, & minor calor habet rationem quoquopacto frigoris, quod enim non concurrat frigidum poſitiue, patere poteſt ex eo quod tradit Ariſt. & Theophr. ſcilicet temporibus, & regionibus frigidis, plantas minimè naſci odoratas, immo neque etiam bruta hoc tempore percipiunt odores ferarum, eo quod gelu, & frigus condenſat corpora, quæ condenſata non poſſunt exhalare, & ideò frigus nocet potius odoribus, calor autem propriè author verus eſt omnium odorum. Cum itaque hæc ſit natura odorum, vt teſtatum habetis apud Galenum. 4. de ſimpl. & apud Theophr. in lib de odorib. duo ſunt vera, & ſum- *Sunt ſumma genera odorum.* ma genera odorum; quorum vnum dicitur a Græcis, εὐοσμία, nos poſſumus dicere fragrantiam, aut bonum odorum. Alterum verò δυσοσμία; dicamus latine fœtorem, aut malum odorem. Inter hæc duo genera ſunt etiam alia, quæ tamen a ſcriptoribus non ſunt proprijs nominibus dotata, ſed nominantur noĩbus ſaporum quos ſequuntur, ita namque legetis odores appellari modo acres, modo acerbos, modo amaros, modo dulces, ſed hæ appellationes non ſunt propriæ odorum, ſed ſunt nomina ſaporum, vt audietis ſuo loco: & aduertatis quod tametſi non ſint nominatæ differentiæ odo- *Differentiæ plures, quã ſaporum.* rum, ſunt tamen multo plures, quam ſaporum, tum quia vt dicebat Theophr. odor eſt gratia cibi, tum quia materia odorum eſt ſiccum tenue, quod plures varietates, & mutationes recipit quam ſiccũ illud quod eſt ſubiectum ſaporum.

Medicamentorum uis, vt ex odoribus innotescat. *Cap. XVI.*



X his igitur generibus odorum medici nostri nitũtur inuestigare facultates medicamẽtorũ, Auerr. 5. collect. 28. quem etiam videtur sequi Auicen. scribit odores bonos, & aromaticos necessario facultatem calorificam ostendere, propter quod Auicen. prodidit huiusmodi odores tentare caput, quoniam sua facultate calorifica percutiunt cerebrum, atque membranas, sicque dolorem inducunt. sed Aristot. in lib. de Sensu, & Sens. dixit huiusmodi odores potius conferre cerebro, quoniam cum homo multum cerebri habeat, idque frigidissimum, & humidissimum, a calore rerum odoratarum, vtilitatem percipit, vnde dicebat Arist. hominem vnum maximè omnium, animalium delectari odoribus. Idem Auerr. & Auicen. dixerunt malos odores indicare facultatem frigorificam ab humiditate extranea, cum calore putrefactiuo. Sed contra Auerroem, & Auicenam videtur esse sententia Galeni. 2. de simpl. cap. 3. vbi scribit, res odoratas non necessario calidas esse, neque res malè olidas necessario frigidas: accedit & experientia, quoniam Castoreum fœtidissimum est, assa fœtida, fœtidissima, & tamen hæc facultatam habent insignem calefaciendi: similiter rosa, & camphora sunt odoratę, tamen refrigerant, igitur malè dictum est ab Auerr. odores bonos necessario indicare facultatem calidam, malos verò frigidam. Vt conciliemus hos scriptores, & vt rei veritas habeatur, debetis adnotare, quod monuit nos Galenus, medicamenta omnia mixta esse ex varijs, & dissimilibus partibus, & propterea non licere ex vno accidente, plantæ iudicium facere de tota planta, exemplum est rosa, quæ cum habeat partes calidas, & frigidas, dicit Galenus, eos male agere, qui ex odore rosæ volunt colligere temperiem totius rosæ: cum igitur plantæ omnes sint mistæ ex dissimilibus partibus, vt audiuistis, semper bonus odor sequitur calidam facultatem, malus autem frigidam, sed secundum partem, non secundum totum necessario; hoc s. pacto quod vbi adest bonus odor in aliquo corpore, necessario, ibi adest aliqua pars a calore exiccata, meritò cuius, & non alterius fit ille odor, sed ex hac parte calida non licet arguere supra totum, quia etsi in rosa sit aliqua pars calida, merito cuius est odorata, sunt tamen & in ipsa aliæ partes frigorificæ, pariter in ca-

Tres mali indicent.

storeo

ſtoreo ſunt partes quædam putrefactæ, & refrigeratæ, meritò quarum fit fœtor, & malus odor, ſed ex hac parte non poſſumus colligere temperiem totius corporis caſtorei, propterea quod his partibus commixtæ ſunt & aliæ plurimæ partes calidæ, quæ quia exuperant, reddunt totum illud corpus calorificum. Itaque vt optimè monuit Galen. atque etiam Auic. non eſt admodum tuta via inueſtigandi facultates medicamentorum ex odoribus.

Eſt Ariſtotelis ſententia a Theophraſto & Galeno noſtro confirmata, magnam eſſe inter odorem, & ſaporem cognitionem, immo verò vnam atque eandem eſſe vtriuſque affectionem, quoniam vterque mixtionem elementorum conſequitur, ex quo nullum inuenitur elementum odore, aut ſapore præditum: præterea quemadmodum odor poſitus eſt in ſubiecto ſicco ab humido paſſo, ita, vt videbitis ſuo loco, ſapor fit ab humido, quod paſſum eſt a ſicco: accedit poſtremo quod odor, & ſapor, ita ſe mutuo conſequuntur, vt ferè nullus ſine alio inueniatur, & ideò ſumma ratione fecerunt medici, qui cum nominare non poſſint odores medios, nominarunt nobis nominibus ſaporum, vt docuit nos paſſim Ariſt. in lib. de Senſu, & Senſ. Theoph. item & Gal. Sunt itaque hi odores medij vocati a medicis nominibus ſaporum. Vnde alius dictus eſt amarus odor, alius dulcis, alius acidus, alius acerbus, & ſic de cæteris, ita vt hac ratione liceat etiam vobis tueri Archigenē aduerſus Galenum, qui reprehendebat ipſum. 2. de locis aff. quod appellaſſet odores nominibus ſaporum. *Magnā eſſe ſaporis, & odoris cognitionem.*

Ex his medijs odoribus conantur etiam medici inueſtigare facultates medicamētorū: nam ſcribit Auic. li. 2. tract. primo. c. 3. odores omnes mordicatiuos, & eos, qui inclinant ad dulcedinem, facultatem calidam oſtendere, acetoſos autem, & inſipidos, quos roralés appellat, frigidam. Sed dicetis, quomodo verè poſſunt vlli odores oſtendere facultatem frigidam? eſt enim ſententiam Ariſto. & Gale. quod omnis odor eſt a calido. præterea ſi odor eſt effumatio vt ſtatutum eſt a nobis, ſecundum medicos, effumatio fieri nō poteſt, ſine caloris opera, ideò videtur neceſſarium omnem odorem ſequi calidum, non frigidum. Notate hanc reſolutionem; odor poteſt conſiderari duobus modis, vel ſecundum ſui generationem, vel ſecundum materiam in qua reperitur: ſi conſideremus odores ſecundum ſui generationem, procul dubio omnis odor etiam malus fit a calore, ſiquidem efficitur odor, quando ſiccum & humidum ita calor temperat per coctionem, vt extenuatum ſiccum, & exiccatum humidum conuertatur in halitus, adeò vt ſi ſpectemus primordia, & originem, proculdubio omnis odor fit, à calore, ſi autē conſideremus odores ſecundum ſubiecta, quæ conſequuntur, dico *Odor dupliciter conſideratur.*

ſic

ſic odorem poſſe ſignificare, & eſſe a frigido, quia tametſi ſemper odor bonus ſit poſitus in materia calida, ſæpè tamen hæc materia coniungitur materiæ frigidæ, a qua etiam ſuperatur, propter quã rationem poteſt dici, quod odor hic vel ille ſignificat facultatem frigidam, exemplum eſt de odore acetoſo, & inſipido, quia huiuſmodi odores, tametſi fiant a calore coquente, ſemper tamen inueniuntur in corporibus ijs, quibus plus dominatur materia frigida, quam calida. Sed ex hac noſtra reſolutione dico ſubnaſcuntur digna maxima diſcuſſione: vnum an ſit verum id quod ſcribit Theophr. in lib. de odor. atque etiam Ariſt. omne odoratum eſſe per coctionem, & omne fœtidum per putrefactionem, aut etiam per cruditatem, vt explicatiſſimè ſcribit Ariſt. 13. part. problem. quod n. facit difficultatem hac in re eſt, quia muſcus fit putrefactione, & tamen odoratiſſimum eſt corpus, fungi nonnulli naſcuntur ex putrefactione, & tamen benè olent, acetum fit ex putrefactione odor cius eſt gratiſſimus. E conuerſo iuniperus, & ficus Aegyptia sũt maximè ſtirpes concoctæ, quia habent ſaporem dulcem, tamen ficus ægyptiæ, vt dicit Theoph. odor eſt ingratiſſimus. quodnam corpus eſt melius concoctũ quam humanum? tamen corpora noſtra minimè bene olent, niſi dicamus, quod fuit dictum de Alexandro, aut quòd ſcribit Lucretius. 4 de natura, etiam corpora noſtra eſſe odorata, & perſentiri ab anſeribus.

An omne odoratũ fiat per coctionẽ & fœtidum per putrefactionem.

Alterum diſcuſſione dignum eſt, an odores conſequantur ſapores, ita vt qualis eſt odor, talis ſit ſapor, & qualis ſapor, talis odor, nam Galenus. 4. de ſimpl. 23. ſcribit in odoribus prauis hanc eſſe conſecutionem mutuam, vt quæ ſunt fœtida ſint etiam guſtui ingrata: in odoratiſſimis verò inquit Galenus, nequaquam eſt hæc conſecutio, vt ſcilicet quæ ſunt ſapore grata ſint etiam odore grato, vt in roſa eſt odor iucundiſſimus, ſapor autem amarus, & vt dicit Galen. neque in cibis, neque in medicamentis placet, niſi tamen excipiamus quædam animalia, quæ a proprietate delectantur quibuſdam amaris, vt capræ, quæ folijs ſalicum oblectantur, ſic etiam odor citri gratiſſimus eſt, ſapor accerrimus & ingratus, dicebat Plinius. Ficui nullus ineſt odor, quid autem iucundius ficubus, vt noſtis omnes? multa etiam ſunt animalia, quæ necantur ab optimis odoribus, vt teſtatur Theophr. 6. de cauſis plant. cap. 4 adeò vt ex his omnibus videatur, neque verum, neque perpetuum eſſe, quod odores ſequantur ſapores, vnde etiam non debebitis vos ſtatim dicere, hæc res eſt boni odoris, aut inodora, igitur aut eſt bonus cibus, aut non.

Odores ſequantur ſapores.

Pro reſolutione primi quęſiti dicendũ eſt omnem odorem, ſiue bonum, ſiue malum, neceſſario fieri a calido, atque etiam a coctione.

Omnem odorem fieri per coctionem.

De opti-

De optimis odoribus non est ꝙ vobis persuadere nitar, sed tantũmodo id monstrabo de malis. Scribit Aristo. 13. part. problem: ꝙ res quæ male olent quanto magis calefiunt, & mouentur, tanto magis odorem edunt: non alia ratione, nisi quia omnis odor est exhalatio quædam facta a calore: quid dicemus igitur quando Theophr. & ipse Arist. scribunt, fieri a putrefactione, & cruditate? dico verum id esse, sed in generatione odorum duo tempora considerãtur, vel tempus, quo odores fiunt, & ad odoratum pertingunt, vel tempus in quo materia solummodo disponitur ad odorem: si primo modo consideretur tempus odorum, semper odores fiunt a calido coquente, & hoc modo locutus est Arist. loco nuperrimè citato: si secundo modo, sic odores praui fiunt per putrefactionem, & cruditatem, quia antequam odor prauus perueniat ad nares, vel putrefactio, vel cruditas excrementi præcessit, sed ex hac cruditate excrementi, & putrefactione concoctum est aliquid a calore, qđ odorem edit, & prout fuit putrefactio, aut cruditas maior, vel minor, sic in coctione post putrefactionem relictus est odor modo prauus, modo deterior. *In odorum generatione duo tempora cõsiderãda.*

Quomodo igitur, dicetis, fit etiam a frigido? dispositiuè, non per fectiuè, quia frigus facit, vt materia vel recrudescat, vel putrefiat ex qua postmodũ putrefactione, & cruditate per calorẽ oritur odor. *Quo fiat odor à frigido*

De saporis natura, & generatione. Cap. XVII.



Ccedo modo ad sapores, qui quoniam omniũ maximè conferunt ad cognitionẽ simplicium facultatum, eo quia penetrant magis cum materia ad sensum, operepreciurn est, vt propter vestram vtilitatem huiusmodi tractationem lu culentius, & largius tradam. Comprehendam verò huiusmodi tractationẽ tribus capitibus. primo ostendam, quid sit sapor, & quomodo generetur: secundo quot sint saporum differentiæ, & quales: Tertio quo pacto ex vnaquaque differentia saporum valeamus venari veras medicamentorum facultates. *Tria capita*

Sapor a Græcis duobus nominibus vocatur Χυλὸς, & Χυμὸς, Gal. 1. de simpl. cap. 36. scribit, hæc duo nomina differre, eo quod Χυμὸς, propriè dicatur facultas saporum gustatrix, in lingua. Χυλὸς vero sit qualitas in rebus gustabilibus, sed vtcunque sit de nomine, sapor, vt docet Aristotel. nihil aliud est, nisi qualitas quædam quæ gustatum nostrũ afficit, nec solũ nostrũ, verũẽt brutorũ: seu potius, vt dicit Arif. in principio lib. de sensu. & sens. est affectio *Sapor.*

Gustus vbi fiat. quædam facultatis gustatricis: iam verò gustus vbi fiat controuersum est inter authores antiquos, qui tamen possunt faciliter conciliari a medicis. Plato in Thimæo vult gustum fieri, quando sapores penetrantes venas linguæ, ad cor pertingunt, vbi iudicium ipsorum efficitur, quæ sententia est quidem proposita a Galeno, sed non refutata. Aristot. 2. de part. animal. vlt: videtur fuisse huius sententiæ, gustatricem facultatem proprie fieri in summa linguæ parte. Lucretius in quarto de natura posuit sensum gustus in tota lingua vsque ad extremum palati, vnde ille Nigrinus solebat dicere se mirari, cur homines propter voluptatem quatuor digitorum, quæ est mensura linguæ, compararent sibi ex voracitate, tot molestias. Galenus autem noster, qui facultatem gustatoriam posuit in ipsius linguæ, temperie, voluit 16. de vsu part. cap. 2. gustatum fieri in lingua palato, & dentibus, adeò vt ad gustatum efficiendum concurrant etiam dentes; sed id hactenus non potui perfectè intelligere, quoniam multi sunt edentuli, quorum tamen gustatus non est minor, quod signum est non concurrere dētes ad gustatū ipsum.

Caussæ saporum. Caussæ, quæ naturam saporum constituunt, quatuor sunt, vt & in reliquis, forma, finis, materia, & efficiens. De forma disputatum est a nobis nunc reliquum est vt aliàs tres causas contēplemur. *Finalis.* Finalis causa saporum, vt dicebat Arist. 2. de part animalib. vlt. nulla alia est quam cibus, cum enim necessarium esset vt animalia nutrirentur, atque vt scirent discernere nutrientia a non nutrientibus, excogitati sunt a natura sapores, qui manu ducunt, & quoquo pacto trahunt animalia ad dignoscendos, & capiendos cibos, ita, vt finis totus intentus a natura sit cibus, vt cibum scilicet cognoscant, & quærant. Sed video vos statim duo aduersus me di- *Obiectio.* cturos, vnum, sapores institutos non esse in hunc finem, quoniam scribit Galen. 4 de simpl. cap. 10. dulcia solum nutrire; quare non *Obiectio.* videntur reliqui sapores instituti gratia nutrimenti. Alterum, reperiri quosdam sapores, qui non solum non nutriunt, immo potius interimunt, cuius locupletissimum testem habetis Theophr. qui li. 6. de causis plant. cap. 4 scribit multa reperiri, & dulcia, quæ venena lœthalissima sunt, cuiusmodi est solanum, papauer, hyosciamus, & multa alia quæ subdulcia videntur, & tamen nos iugulant. Pro huius rei resolutione notandum sapores nutrire vllo modo falsissimum esse, quoniam cum sapor sit qualitas, qualitas nequaquā nutrire potest, igitur quando dicimus hunc vel illum saporem nutrire, non est intelligendum illam qualitatem, illum saporem nutrire, sed quòd substantia in qua est ille sapor nutriat. hoc ita constituto dupliciter responderi potest ad primum. primo modo quòd quā- *Dupliciter ad primū respondetur.* do Galen. & alij dicunt dulcia solum nutrire, sub nomine dulcium

intelli

intelligunt quæ suauia, & familiaria sunt. videatis quæso, discursum Galeni qui est, quod cum nutrimentum factum sit, vt suppleatur, id quod quotidie deperditur, cum deperdatur substantia nostra, id quod supplendum est, amicum, & familiare substantiæ nostræ esse oportet, hoc autem dicit Galen. non potest esse nisi sit iucundum, & gratum, adeò vt quę nutriunt semper debeant esse grata, & iucunda, & hoc est quod diuinus ille senex oraculo quodam nobis reliquit, quando scripsit 2 aph. suauem cibum & potũ semper præferendum esse insuauiori. Si igitur sub nomine dulcium intelligamus suauia, & grata, dico verum esse sapores factos esse propter cibum, quia vnusquisque sapor est gratus alicui animaliũ generi, nam alia delectantur amaris, alia acidis, alia acrioribus, plura etiam dulcibus, immo verò, vt dicit Gale. 4. de tuen. val. 7. sunt etiam inter homines, qui delectantur potiùs alijs saporibus, quam dulci.

Altera responsio quæ potest adferri est ex Theophra. quod scilicet dulcia sola dicuntur nutrire, quia res dulces magis sunt accommodatæ nutriendis corporibus, quam vllæ aliæ res alterius saporis, adeò vt dulcia semper plus nutriant, & melius, quam reliqua; & hoc est quòd Arist. 21. Sect. prob. 13. quærens, cur multis rebus frequenter vtimur sine fastidio, aliquibus autem vti non possumus, inter cætera dicit, dulcia parere nobis fastidium, eo quia multum nutriunt, & multum replent corpora nostra. Ad secundam autem quòd reperiantur res dulces venenatæ, & lœthales, verum est id ꝙ dicit Theophr. sed propter hoc non sequitur quin dulcedo sit semper posita in re nutribili, quoniã si examinemus hæc corpora in q̃bus adest dulcedo, & venenum, dulcedo quæ consequitur mixtionem elementorum proculdubio posita est in corpore mixto, & nutriente, sed uis illa venenosa, & lœthalis consequitur formam specificam, non mixtionem elementorum. Itaque constitutum sit hoc apud vos, causam finalem esse cibum. *Altera responsio.*

Materialis autem duplex est, altera remota, altera vero propinqua: materiæ remotæ saporum, vt docet nos Theophr. 6. de causis plãt. cap. 3. quem secutus est Galen. ferè in omnibus, triplex est genus. primum est animalium, nam clarum est, partes animalium, siue sint carnes, siue humores peculiaribus saporibus esse dotatas secundũ est plantarũ, quod enim plantæ saporem habeant clarissimum est immo scribit Aristot. in lib. de Sensu & sens. maximè sapores elucere in stirpibus, eo quod humor stirpium aptissimus est omnium corporum ad recipiendam coctionem, & saporum generationem. Tertium est eorum, quæ arte parantur, aut sponte mutantur. Arte parantur obsonia, condimenta omnino ciborum, & tandẽ omnia *Caussa materialis saporum.* *Materia saporũ triplex.*

quæ gulæ fautrix culina inuenit. Quæ autem sponte alterantur sunt omnia ea, quæ putrefiunt, nam acetum est vinum putrefactum, qui habet proprium saporem, carnes etiam rancidæ sunt putrefactæ, quæ proprium habent saporem. Ita vt omnes sapores qui in rerum natura inueniuntur, comprehendantur sub his generibus a Theophra. positis. dixi potissimum, quia ipsemet Theophr. scribit etiam metalla, & lapides aliquos habere peculiares sapores. exemplum habetis de sulphure, & calchanto, argentum etiã, & aurum, & ferrum aliquos sapores habere videntur.

Obiectio. Sed dicet statim aliquis vestrum, si sapores in tot generibus reperiuntur, cur igitur Auerroes quinto collect. capitulo vigesimoprimo. scribit, sapores solum dominari in animalibus, & plantis? respondeo, Auerroem notanter dixisse dominari, quia tametsi in metallis sapores inueniantur, illi, tamen sunt admodum obscuri, ita vt dominari nequaquam videantur. Quod autem mentionem non fecerit artificialium, atque puputrefactorum est, quia quæcunque condimenta parantur arte, necessario parantur, vel ex rebus quæ pertinent ad plantas, vel ex ijs, quæ pertinent ad animalia, sic etiam quæ putrefiunt, & sapores habent, vel pertinent ad animalia, vel ad stirpes. Ex his itaque clarissimè constare potest vobis subiecta remota saporum necessario debere esse corpora mixta, siue sint imperfecta, siue perfecta. hæc dico quia corpora simplicia oĩno sunt saporibus orbata, nisi dicamus id quòd videtur dixisse Galenus, & Plinius, aquam etiam habere proprium saporem, quem appellabant aqueum, sed sapor ille, aut est ex genere dulcium, vt docet Galenus 4. de simpl. 4. aut potius est quidam sapor priuatiue, non positiue, perinde, ac si dicamus carere omni sapore.

Sapor aqueus.

Materia immediata saporum. Materia immediata saporum, vt docuerunt nos Aristotel. Theophrast. & Galenus, nil aliud est, nisi siccum terrestre dilutum aqueo humore, vt enim quando res sapidas, vel coloratas abluimus aqua aut color, aut sapor in ea remanet, sic quando natura partes terrestres diluit, & percolat aqua, tum sapores facit. Nemo est qui ignoret etiam terram exustam, & aridam, si per aquam excoletur, aquam illam sapore inficere. idem propemodum facit natura in saporum fabricatione, adeò vt materia saporum qua vtitur natura, nil aliud sit, nisi pars terrestris sicca, diluta, & transcolata per humorem aqueum. An aqua sit vehiculum partis terrestris in sapore, vt voluerunt nonnulli, an verò pars saporis, sum ego huius sententiæ & partem esse, & vehiculum.

Caussa saporis efficiens. Caussa agens saporum est calor. nam vt optimè secundum sententiam nostram videtur statuisse Aristotel. 4. Metheoro. calor est author,

thor, & pater omnium mixtorum. frigus ſi ingreditur opera naturæ, non ingreditur, vt agens, ſed vt temperans, vel vt cogens. Cæterum quiſnam calor faciat ſapores, non eſt admodum inter authores conſtans, & certum, quia cum ſint multi calores, elementaris, natiuus, calor ſolis, & vniuerſi, calor oris: videntur ferè omnes iſti calores, aliquam partem poſſidere in ſaporum generatione. ſed puto ego duos potiſſimum concurrere ad generationem ſaporum, vnum natiuum, alterum verò ſolis: dico potiſſimum, quia in artificialibus certiſſimum eſt apud omnes calorem elementarem maximam partem habere, quia rariſſima ſunt condimenta, rariſſimi ſapores, qui non eliciantur e rebus opera huius caloris ignei, ita vt ad artificiales ſapores producendos igneus calor concurrat. ad naturales autem ſolum, vel natiuus, vel cœleſtis: natiuus concurrit, & author eſt ſaporum in animalibus, cœleſtis in plantis, & fructibus, nam qui generat plantas, procul dubio generat & ſapores, calor vniuerſi producit plantas, itaque vt ſapores producat neceſſe eſt. Sapores fructuum nemo eſt tam ſtupidus quin videat a ſolo calore ſolari produci, quia quanto huiuſmodi calor efficaci r eſt, & maior, eo magis videmus fructus varios, & diuerſos adipiſci ſapores.

Caloris differentia.

Igitur ſaporum naturalium author eſt calor natiuus, artificialium verò igneus. Colligamus igitur ex his omnibus ex ſententia medicorum, & philoſophorum, calorem agitantem partes terreſtres corporum, per aquam tranſcolare, atque in hac tranſcolatione eam qualitatem produci, quæ ſapor dicitur. quæ tranſcolatio, ſi attendatur opus caloris, appellanda eſt coctio, & hinc videmus ſemper Theophraſt. loquentem de generatione ſaporum dicere, eos fieri per coctionem; ita vt ſapor nihil aliud ſit, niſi ἀπόμορξις, ſiue emunctatio, aut excolatio ſicci terrei per humorem aqueum.

Omnes ſapores fieri coctione.

Sed inſurget ſtatim aliquis veſtrum, quomodo poſſint ſapores effici per coctionem a calore, nam Galenus quarto de ſimplic. capit. 15. proponit multos ſapores, qui efficiuntur a frigido, vt eſt acerbus, acetoſus, & alij de quibus ſuo loco, præterea dicit idem Galenus, multos eſſe ſapores, qui fiunt ex materia tenui; dico ſapores omnes, vt iam conſtitutum eſt, fieri neceſſario a calore, ſed differentia eſt, quia alij fiunt a calore immoderato, vt ſapor acris, & amarus, alij a moderato, vt dulces, & pingues, alij a debiliore, vt acidus, & acerbus, vnde diminutus calor a Galeno, & ab alijs appellatur frigidum, & quamquam dicant frigidum perficere aliquos ſapores, non intelligunt de frigido poſitiuo, quia frigidum iſtud ſummum, & poſitiuum

Obiectio.

Solutio.

sitiuum non ingreditur opera naturę per se, sed intelligunt pro frigido calorem debiliorem, exemplum est de aceto, in quo sapor acidus fit a calido, quia videmus æstate summa vina acorem contrahere, ratio est, quia immodicus aeris calor corrumpit calorem natiuum vini, quo corrupto corrumpitur & vinum, corrupto vino fit noua generatio, in qua inducitur a calore debili sapor acidus, qui calor debilis, quia non potest perfectè coquere, vt dicit Galen. diminute coquit, & in hac diminuta coctione exurgit sapor acidus, adeò vt clarissimum fit etiam, saporem acidum a nullo alio fieri, quam a calore. Idem possumus dicere de materia immediata saporum, quæ semper est terrestris, sed modo tenuior, modo crassior, & hinc fit vt alij sapores gignantur ex materia crassiore, alij ex tenuiore. Sed dicetis, cur igitur reperiuntur aliqua corpora, quæ nullum saporem habent, nisi ab igne eliquētur? exemplum est de calchantho, quod vbi solidum est, obscurissimum habet saporem; sulphur habet saporem. si eliquentur hæc corpora igne, ita vt oleum extrahatur, videbitis, liquorem esse acidissimum, tam sulphuris, quam calchanti: dico dupliciter, vno modo quod sapores, qui fiunt in his corporibus, sunt obscurati, & veluti confusi, propter partium duritiem, & condensationem, vbi beneficio ignis istæ partes auferuntur, elucet sapor proprius eorum corporum. Vel dicere possumus, in his corporibus illum saporem non inesse, sed potius ingenerari ab igne. Sed de hoc sapore habebitur disputatio dilucidissima.

Quomodo vina acorē contrahant.

Cur aliqua corpora non edant saporem nisi eliquata ab igne.

De saporis differentijs. Cap. XVIII.



CIrca saporum differentias variæ fuerunt antiquorum sententiæ. Plato in Thimæo, qui primus saporum theoriam consecutus est, septem solos sapores facit, acerbum, austerum, acidum, amarum, acrem, salsum, & dulcem. Arist. autem quasi Platonem secutus. 2. de anima tex. 105. sapores etiam 7. facit. & quamquam videatur philosophus cognouisse saporem pinguem eum tamen sub dulci comprehendendum iudicauit, Theophr. grauissimus. post hos duos scriptor. 6. de causis plant. 4. septem, & ipse sapores constituisse visus est, sed diuersus fuit ab Arist. quia sicut ille saporem dulcem, & pinguem coniunxit, salsum verò, & amarum distinxit, sic Theophr. discreuit pinguem & dulcem, copulauit autem amarum, & salsum, quamquam etiā

dicat

dicat, posse amarum, & salsum separari, atque ita esse octo sapores. vnde Plutarchus in quæstionibus naturalibus. quasi Theoph. sectatus octo saporum genera esse supponit.

Cæterum Plinius lib. 15. cap. 27. tresdecim esse scribit species saporum, dulcem, suauem, pinguem, amarum, austerum, acrem, acutum, acetosum, salsum, vinosum, acerbum, lacteum, & insipidum, seu aqueum. Verum si hæc Plinij sententia expendatur, videtur omnino vanè tot sapores enumerasse, eo quia lacteus, pinguis, & insipidus sub dulci comprehenduntur, acris & acutus vnus & idem est, adeò vt sine ratione, & sine necessitate tot saporum species fecerit. Cæterum medici, vt habetis apud Auicen lib 2. tracta. 2. cap. 3 apud Gal. 4 de simpl cap. 4. apud Auerr. 5. collect. cap. 27. nouem fecerunt saporum species, inter quos præter dictos ab Arist & Theoph. apponunt aqueum, siue insipidum, qui dupliciter reperitur in rebus, vere scilicet, vt dicit Galen. in aqua in gramine, in hordeo viridi, & secundum sensum in calchanto, & in aliis metallis, quamquam, vt aliàs etiam dixi, sapor iste aqueus potius debet dici priuatiuus, quam positiuus. statuendum est itaque secundum medicorũ placita octo esse veros sapores, acerbum, scilicet austerum, acidum, dulcem. pinguem, salsum, amarum, & acrẽ, vnum verò esse saporem non verum, sed priuatiuum potiùs, scilicet aqueum, siue insipidum. Sed dubitabit aliquis vestrum, nunq̃d inter sapores debeat adnumerari ille qui hodie vocabulo nostro vocatur picans, seu racens, nam videtur sane sapor esse, quia si sapor est qualitas, quę gustum afficit, profectò huiusmodi qualitas gustum afficit, itaque videtur esse sapor.

Medici, nouem faciũt saporũ differentias.

Saporẽ aqueum non esse vere saporẽ.

Sapor picãs ad quos reducatur.

Ex altera parte cum nemo veterum mentionem huius saporis fecerit, non videtur inter eos esse recensendus. De hoc sapore pereruditа temporibus nostris scripsit Hieronymus Confortus Brixien. medicus doctissimus, & omni laude dignus, quare licebit vobis eius sententiam explorare; pro nunc tamen dico huiusmodi saporem non esse simplicem, sed mixtum, & propterea iure non esse à veteribus inter sapores nominatum; dixi mixtum esse, quia componitur modo ex duobus, modo ex tribus saporibus, componitur enim ex acri, quia mordet vnde dicitur picans, ex dulci quia delectat, interdum ex pingui, & acri, adeo vt semper huiusmodi sapor sit commixtus, & propterea non recensendus inter simplices sapores. Vt autem pleniorem vniuscuiusque cognitinnem habeatis, operæprecium est ipsorum naturam diligenter explicare. In qua re, vt habetis apud Theophr in principio 7. de causis plant. tres fuerunt apud veteres modi, vnus Democriti, alter Platonis, tertius Peripateticorũ. Democritus Hip. nostri pceptor sectat⁹ Leucippũ,

Tres modi, quibus veteres conati sunt explicare natura saporum.

& post

& post Democritum Epicurus, & Lucretius in ea fuerunt sententia, omnes res naturales constitui ex minutissimis quibusdam corpusculis, atq; ex vacuis, & prout est conuenientia, & disconuenientia inter hæc corpuscula, & vacua, sic etiam varias, & diuersas esse rerum sortes: idem etiam senserunt in saporum generatione, constituerunt enim ipsos ex huiusmodi corpusculis vario modo figuratis, atque etiam ex vacuo, adeo vt vbi hæc corpuscula figuras habent læues, & planas, atque vacua accommodata, & conuenientia, fiant sapores grati: vbi autem figuræ huiusmodi corporum sunt asperæ, & inconuenientia vacua, ingrati, atque inter hos vbi figuræ sunt aduncæ, faciant sapores asperos, acerbos, acres, vbi verò acutæ, acutos, pungentes, & acetosos. Hæc opinio Democriti satis refutata est a Theoph. quare non est, vt ego nitar eam refellere Plato autem in Thimeo alia ratione conatus est naturas saporū nobis explicatas relinquere, quo in loco ad duo genera cōmunissima reduxit omnes saporum species, nimirum ad contractionem sensus, gustus, atque ad dissipationem eiusdem, scribit enim, vt ēt Galen. noster confirmat primo de simpl. cap. 35. austera ea esse, quę contrahunt, & desiccant linguæ venas, quod si agunt moderatè inquit Plato, simpliciter vocantur austera, sin autem immoderatè, dicūtur acerba, quo in loco id nos admonet aduertere Galen. 5. sub nomine acerbi apud Platonem eum saporem comprehendi, qui στυπτικός, & adstringens dicitur, & de quo agemus suo loco. Ex aduerso inquit hic philosophus, quæcunque abluunt, & abstergunt linguam, amara sunt; quæ vero dissipant, & hæc omnia agunt, sed minus, nuncupantur salsa. Similiter quæcunque ori applicata liquefiunt, & liquefacta calefaciunt linguam, nec non ad caput feruntur ita vt omnia obuia incidant, acria dicuntur, quæ verò per putrefactionem in linguam illabuntur, illapsa mouent, agitant, miscent aeria terreis, & veluti ampullas edunt, & fermentant acida vocantur. Ex quo loco debetis adnotare, apud Platonem acidum saporem per putrefactionem semper fieri. postremo dicit Plato, quæcunque laxas partes lingue leuiter cogunt, & constrictas blande diuidunt, ita vt omnia ad naturalem statum redigant, dulcia, iucunda, ac violē-tarum passionum remedia esse.

Platonis opinio de saporum natura.

Acidus sapor secundū Platonē fit semper per putrefactionem.

Itaque vt videre potestis, Plato per has duas passiones declarat omnes sapores fieri, scilicet per constrictionem, & dissipationem. Peripatetici, inter quos semper primi extiterunt Aristot. & Theoph. diuerso modo saporum naturas declarare sunt conati, per quasdam magis particulares affectiones, quàm sint, vel figuræ Democriti, vel constrictio, & dissipatio Platonis, dicunt enim Peripatetici, vt in principio 6. de causis plan. docet Theoph. Saporē dulcē

Peripateticorum de saporum natura opinio.

esse

esse qui, qui cognatum linguæ humorem vnit, atque vnitum conseruat, atque etiam lenit, quo in loco debetis adnotare Græcum, & latinum contextum deprauatum esse,& vbi legitur in vulgatis codicibus, quod hic sapor discernit, & diuidit, legendum est,quod vnit. Acerbum saporem, seu vt barbari vocant ponticum dicũt Peripatetici esse illum, qui desiccat, & leniter eundẽ linguæ humorem condensat, sub quo sapore, vt videre potestis, & acidum comprehendunt. Acrem autem dicunt esse,qui mordet,& humoris cognati calorem depellit, qui calefacit, & urit. Salsum qui siccat, & mordet, nec non etiam corrumpit. Amarum verò, qui abstergere potest sensum gustus, aut humorem cognatum, aut superficialem mordere, & exiccare. Atque hæc fuit ratio, qua Peripatetici tentarunt saporum naturas nobis explicatas relinquere. Cæterum Galen. qui diligentissimus fuit,lib. primo de simpli. cap. 37. scribit,difficillimũ esse naturas saporum ita explicare, vt perfecta habeatur notitia, si quis tamen sensum diligenter adhibeat, vt ex toto non possint cognosci, posse tamen aliquo modo intelligi. Modus vero,quo intelligendos esse sapores docuit Galen. hic est, quod sapor stypticus sit ille qui ex omni parte æqualiter condensat & constringit linguam, ita vt partes superficiales videantur quodammodo intro pelli: huius saporis exemplum proponit Galenus in multis corporibus, præsertim vero in myrto, in mespilo, galla, rhu obsoniorũ. Quæ omnia si gustentur faciunt hos effectus, quos nobis descripsit Galenus reperiri in sapore adstringente. *Modus dignoscendi sapores ex Galeno.*

Austerus sapor est,dicit Galenus, qui non solum cogit, & intro pellit, verumetiam penetrat, atque asperum quendam,& inæqualem sensum mouet, exemplum huius proponit. 4. de simpl. in vino amineo. 2. autem de locis aff. 8. proponit idem exemplum in cydonijs, necnon in quibusdam granatis. Acerbus sapor, secundum Galen. est qui valde linguam desiccat, contrahit, & in multam profunditatem penetrans exasperat, cuius exempla habetis in prunis syluestribus immaturis,necnon in corneis; sed notate id quod dicit Gal. hunc saporem esse fere eundem cum austero, sed differre solum secundum intensionem, & remissionem, immo verò huiusmodi sapor sicut & austerus sæpè comprehenditur sub nomine adstringentium saporum. Salsus appellatur a Galen. ille qui linguam, neque multum contrahit, neq; cõstringit,sed detergit,& abluit atq; etiã q aliquid adstrictionis adiunctum habet; adeò vt huiusmodi sapor semper detergat, & abluat, atque etiam nonnihil adstrictionis iunctum habeat. Quo in loco video statim dubitaturum esse aliquem. quoniam Galen. 2. de med. secundum genera. f. scribit, hoc inesse sali, vt magis adstringat, quam abstergat. 4. verò de simpl. scribit *Austerus sapor.* *Acerbus.* *Salsus.* *Dubitatio.*

contrarium, ſcilicet ſaporem ſalſum abſtergere ſemper, & aliquid adſtrictionis iunctum habere, quibus in locis videtur manifeſta contradictio in Galeni verbis Quam vt tollatis debetis ſcire, quòd idem ſcribit 11. de ſimpl. ſalis duplex eſſe genus, foſſile, & maritimum: foſſile quod effoditur e montibus, & ſpeluncis: maritimũ quod ex aqua maris condenſata efficitur. Sal foſſilis magis adſtringit, quam abſtergat, & de hoc puto locutum eſſe Galenum. 2. de med. per genera. cap. 5. ſal autem qui ex aqua maris fit magis abſtergit, quam adſtringat, & de hoc intelligendam Galen. ſententiam ſtatuo 4. de ſimpl Amarus porrò ſapor eſt ille, qui adhuc magis abſtergit, ita vt etiam exaſperet, addit Theoph. hunc ſaporem etiam corrumpere. Sed dicet aliquis veſtrum, quomodo poteſt hic ſapor corrumpere, cum exiccet, quæ ſiccant. multum abeſt vt corrumpant, immo potiùs conſeruant?

Solutio.

Amarus.

Dico breuiter intelligendam eſſe Theophra. ſententiam, non quod amara corrumpant omnia, ſed humidum vitale. nam clariſſimum eſt ex rebus amaris nullum viuens nutriri, neque etiam nullum animal generari; exemplum eſt de mari mortuo, in quo dicit Galenus, nullum animal viuere, nullum generari: vnde etiam patere vobis poteſt error eorum, qui exiſtimarunt, vermes in corpore noſtro, poſſe naſci ex bile amara, quod omnino falſiſſimum eſt.

Quomodo amara dicãtur corrumpere.

Acer ſapor eſt ille, qui cum valida caliditate mordet, rodit, & calefacit, vt piper, cepa, allium, & huiuſmodi. Acetoſus, qui & ὀξύς, dicitur, eſt ille, qui ſine caliditate mordet, rodit, & fermentandi facultatem poſſidet. Dulcis verò ſeu γλυκύς, eſt qui inungit implet, atque exaſperatas, & veluti eroſas linguæ particulas in ſuum ſtatum naturalem cum voluptate reuocat, λυπαρος, autem poſtremo, ſeu pinguis eſt, qui ea omnia facit in lingua, quæ ſapor dulcis, ſed ſine voluptate. Itaque hi ſunt ſapores omnes numerati a Galenum. Atque hic eſt modus, quo facultas ſaporum innoteſcit, vbi poteſtis intelligere omnes ſapores, præter dulcem, moleſtiam inducere potius, quam voluptatem. vnde Ariſtotel. 34. ſect. problem. 5. quærens, cur lingua nunquam efficitur dulcis, ſed modo acida, modo amara, modo acerba, rationem reddit, quia cæteri ſapores ſunt veluti corruptiones quædam, dulcis verò eſt qualitas naturalis, quę ſunt naturalia, inquit Ariſt. non percipiuntur, ſed ſolummodo, quæ ſe habent veluti exceſſus quidam: quanquam vbi pituita dulci lingua oppletur, in ore dulcẽ inſigniter ſaporem ſentiri experientia conſtat.

Acer.

Acetoſus.

Dulcis.

Pinguis.

Cur lingua, nunquam efficiatur dulcis.


Dixi alias ſapores omnes mixtionem elemẽtorum ſequi, quæ mixtio, vt apud omnes conſtat, fit ex quatuor qualitatibus elementorum, quarum aliæ ſunt paſſiuæ, aliæ vero actiuæ: ſubſtantia igitur

quæ

quæ in mixtione elementorum est subiectum saporum, aut est terrestris, sicca & crassa, aut tenuis, aut media inter tenuẽ, & crassã, similiter qualita tes actiuæ, quæ ad hanc mixtionem concurrunt in generatione saporum, sunt diuersæ, quia aut calor dominatur, aut frigus, aut tepor, sic mihi liceat loqui. Si terreum crassum iungatur calido, fit sapor amarus, si frigido fit stypticus, quem Arabes vocant ponticum: si materia crassa iungatur tepori, vt docent Auic. & Galen. fit sapor dulcis, & hæc est ratio cur Theophrast. dicit res dulces minimè olere, quia materia dulcium crassa est, odores verò, e re tenui exhalant. Subtilis materia si iungatur calido fit sapor acris, qui etiam acutus dicitur ab Arabib⁹, si frigido acetosus. si iungatur tepori, fit sapor ille, qui pinguis appellatus est. Materia porrò quæ media est inter tenuem, & crassam, si iungatur calido fit sapor salsus, si frigido adstringens, si tepori insipidus, seu aqueus. Itaq, vt videre potestis, sapores partim sunt a calido, partim a frigido, partim a temperato. A calido acris, amarus, & salsus. A frigido acerbus, austerus, adstringens, & acetosus. A moderato dulcis, pinguis, & aqueus. Hi sunt sapores, vt sæpiùs intellexistis, simplices. Sed sæpè contingit, vt misceantur vario, & diuerso modo. coniungitur sapor stypticus, & amarus, vt in lycio, quos sapores dicebat Auic. conferre iecori, & stomacho; copulantur etiam sapor amarus, & acris, vt in abrotano, iungitur dulcis cum styptico, quã mixtionem visceribus amicam esse dicit Auicen. vt in granatis dulcibus, in sorbo maturo. Atq; hæc est natura explicata omnium saporum.

Cur res dulces minimè oleant.

Responsio ad dubitationes ex traditis obortas. Cap. XIX.



Vnc operęprecium esse existimo, nõnulla scitu digna, & iucunda discutere. Vnum quomodo dixerim siccum esse commune subiectum saporum, quoniam est Theophr. sententia, cõem saporum materiam esse aqueũ humorem, agentem causam esse calorem externum, aut internum. Docui iam vos quomodo omnes sapores a calore generentur. s. aut interno, aut externo, & externo, aut naturali qualis est solis calor, aeris, terræ: aut artificiali, qualis est calor fimi, calor aquæ. hi. n. sunt calores omnes qui concurruut ad generationem saporũ. quod

Vtrum siccũ sit subiectũ saporum.

ſi dictum ſit a ſcriptoribus, etiam frigus concurrere, iam docui, pro frigore intelligendum eſſe calorem imminutum, niſi etiam placeat vobis dicere, etiam frigus externum concurrere, ſed per accidens: quoniã vt refert Plinius, & etiam experientia probatur, apud Germanos ſunt quædam vuarum genera, quę ſolis frigidis temporibus matureſcunt, in quibus fit ſapor ille dulcis per accidens a frigore, quia frigus externum calorem debilem plantarum cogit intra penetralia corporum, calor autem coactus magis coquit ſuccos, & hæc eſt ratio propter quam Theophr. 6. de cauſis plant. 28. dicebat interdum in terris frigidioribus plantas magis olere, quia calor coactus magis coquit, & attenuat. propter hanc eandem rationem Alex. 2. probl. 6. dicebat, apud ſcytas, & Gallos fieri vina calida, quamquam regiones ſint frigidæ, eo quod calor a frigore aeris intro concluſus magis coquit, & calefacit. His igitur ſic conſtitutis reſpondeo de materia, duplicem eſſe materiam ſaporum, alteram ex qua, alteram vero in qua: materia ex qua fiunt ſapores eſt humor; materia vero in qua collocantur eſt ſiccum terreſtre, adeò vt intelligere poſſitis, me nequaquam contraria Theoph. dixiſſe.

Frigus externum p accidens cõcurrere ad gña tionem ſaporum.

Duplicẽ eſt materiã ſaporum.

Alterum diſcuſſione dignum, eſt circa ſaporem amarum, an ſcilicet ſemper ſit coniunctus calido, ita vt ſolum a calido fiat, & ſolum calidis corporibus inſit. Ex vna parte eſt Galen. & Auicen. qui ſcribunt amarum ſaporem ſemper calidum eſſe, & a calido fieri, eſt etiam demonſtratio, qua Galen. vtitur, qui probare volens ſaporem amarum calidum eſſe, hoc medio oſtendit, quia hic ſapor per coctionem efficitur ex dulci, vnde cum dulcis ſit calidus citra controuerſiam, iure dicit Galen. calidior eſt amarus. Contra Galenum & Auicen. eſt Auerr. 5 collect. 27. vbi ſtatuit, ſaporem amarum fieri tum a frigido, tum a calido, & vt hanc ſuam demonſtrationem confirmet, profert exemplum opij, quod ſcribit amarum eſſe, atq; etiam frigidiſſimum, & quia videbat Auerr. Galen. & Auicen. ſectatores reſponſuros de opio, quod in illo ſint partes frigidę, & calidæ, meritò quarum fiat amaror, reſpondet, hoc nihil valere, quia ſapores conſequuntur mixtionem, igitur quale eſt in mixtione ſuperabundans, talem debere eſſe ſaporem: vnde inquit, ſi amaror fieret a calido, ſequeretur complexionem opij debere eſſe calidam. Nonnulli qualis fuit Conciliator, vt aufugerent hoc argumentum de opio, dixerunt nihil valere hanc rationem, quia opium vbi collectus eſt ſuccus e papauere vritur, & ex illa vſtione dicunt contrahere huiuſmodi amarorem, ſed hęc ratio Conciliatoris, & aliorum nulla eſt, quia opium non vritur, ita vt ex uſtione amareſcat, præterea ſi ex uſtione fieret amarum opium, ſequeretur ante vſtionẽ eſſe dulce, quòd tamen falſum eſt, ita vt adhuc ſtet argumentum

Auerr.

Auerr.circa opium.sed præter opium sunt & alia, quæ cum sint amara, sunt tamen frigida, citrulli, & cucumeres crudi, cucurbitæ crudæ amaræ interdum reperiuntur, sunt etiam fructus quidam qui amari sunt, & deinde dulcescunt, vt & vina quæ primo sunt amara, deinde dulcescunt, iam vero amarities in his est cum frigore; demonstratur, quia post amarorem dulcescunt, sequeretur enim si essent calida, dum ex amaris fiunt dulcia, quòd calida per calidum refrigerarentur: ad hæc sapor dulcis, & amarus sunt contrarij, sed dulcis est calidus, ergo amarus debet esse frigidus. *Quæ frigida sint, & tamen amara.*

Hæc dubitatio hinc, & inde a doctissimis scriptoribus fuit exagitata, & multi laborarunt in ea dissoluenda. Temporibus nostris Laurentius Gryllus, qui doctissime de saporibus scripsit, subtilissime, & doctissime imaginatus est, sapores non fieri ex mixtione, sed ex peculiaribus seminarijs quæ sunt nobis incognita, sed prout, dicit ille, hæc seminaria sunt varia, & diuersa, ita etiam varij, & diuersi sapores exurgunt, ad quod etiam demonstrat maximè conferre aptitudinem corporum, quibus inserta sunt hæc seminaria Sed hæc opinio Grylli est quidem ingeniosa & copiosè disputata, secundũ tamen medicinæ principia, nequaquam consistere potest; nam hęc seminaria aut sunt corpora, aut accidentia, si sunt corpora, necessarium est vt sint sensibilia, alioqui gustum non mouerent: si sunt sensibilia, necessarium est, vt sint commixta ex elementis, itaque necessarium erit in hac commixtione elementorum reducere sapores ad aliquam qualitatem, id quod confitentur medici, & philosophi: sin verò dicamus non esse corpora, sed qualitates aut hæ qualitates sunt manifestæ, aut occultæ, non sunt occultatæ, quia cum mouent sensum debet esse proportio inter mouens, & motum, inter sensibile, & non sensibile nulla est proportio, quæ possit mouere sensum, igitur dicendum est esse qualitatem manifestam, eamque vel ex primis, vel ex secundis, adeò vt necessarium etiam sit fateri sapores consequi qualitates, & mixtionem elementorum; sed de hac sententia non est nobis fusiùs disputandum. *Laurentij Grylli de saporibus sententia.*

Est aliorum responsio, ꝙ rerum amararum tres sunt classes, vna eorum quæ sunt summæ amara, vt sunt fella, colocynthis, aloe, gentiana, absinthium, abrotanum: alia eorum quæ sunt mediocriter amara, vt vina quædam in Italia, & Creta; mel nimis coctũ, opiũ, folia quercus, bistorta, oliuæ: alia eorum, quæ languidum, & exilem amarorem habent, vt est rosa, castanea immatura, cucurbita, cichoreum, cortex nucum viridium, endiuia. His itaque constitutis tribus gradibus amaroris, dicunt isti, quod quæ sunt summe amara semper fiunt a calido, & semper sunt in corporibus calidis, atque sic locutum esse Galenum. 4 de simpl. 9 & 19. quæ verò languide *Aliorum responsio.*

guide sunt amara posse etiam fieri a calido diminuto, & esse in frigidis corporibus, quę mediocriter amara sunt, a mediocri fieri calore; sed hæc responsio minimè videtur mihi accommodata, quia Gal. 4 de simpl 9. dicit amarum omne fieri a calido summo: præterea si verum esset, quod summe amarum fieret a summo calore, sequeretur absinthium esse summe calidum, quia est summe amarum, sed Gal. 6. de simpl. manifeste vult in absinthio calorem non excedere primum gradum. quapropter dimissa & hac responsione dabo vobis aliam, quam quæso attente audiatis: Et vt valeatis sententiam meam penetrare, & memoriæ mandare, quatuor sunt mihi ante cetera statuenda, vnum est alios esse sapores naturæ nostrę proprios, & familiares; alios aduersarios, & minimè familiares; inter hos primum locum citra controuersiam sibi vendicat amarus sapor, vnde Galenus. 4. de simpl. 22. & Auerr. 5. collect. dicebāt saporem amarum esse in quadam extremitate contrarietatis naturæ nostræ: vnde vero insit hæc contrarietas inter saporem amarū, & naturam nostram, atque etiam plerorūque animalium, Auerr. dixit esse propter nimiam siccitatem, quoniam cum vita animalium posita sit in humido, omne siccum immoderatum est inimicum vitę, & propter hanc rationem dicunt, vulpes si edant amygdalas amaras, necari propter nimiā siccitatem. Fracast. doctissimus & elegantissimus medicus dixit hanc contrarietatem saporis amari oriri ex varietate saporum, ex quibus commixtus est amarus sapor. Sed pace tanti viri videtur mihi hæc ratio longe aliena a schola medicorū & Peripateticorū quia si hoc verū esset sequeretur saporē amarū minimè esse simplicem, quod nemo non modo dixit, verum nec somniauit: quare dicendum est, contrarietatem hanc oriri ex quadam arcana improportione quam habet sapor amarus cum natura nostra, & ratio est, quia sapor dulcis, vt docent Arist. & Theophr. est propter hanc proportionem naturæ nostræ familiaris, & gratus, quare amarus qui contrarius est dulci hac eadem improportione debet esse naturæ nostræ aduersarius. Secundum statuendum est, nullum saporem amarum esse syncere amarum, quia si daretur sapor huiusmodi, profecto a nemine posset vnquam gustari, sed inueniuntur, qui absinthio quotidie vtuntur, & refert Brasauola se vidisse quendam, qui singulo mane mandebat aloen tamquam panem. Tertium statuendum est, amarum saporem tam esse nobis inimicum, vt etiam si modicum amari misceatur alicui alteri corpori alterius saporis, multo copiosiori, tamen maximè amaror percipitur, & eo magis si corpus illud vel tenuè, vel acutum sit, sic enim si misceatis modicum fellis multo aceto, amaror maximus apparet, id quod cognoscentes perfidi illi Hebrei

Quatuor præsupposita pro dubij resolutione.

Secundum præsuppositū.

Tertium.

bræi, potarunt Saluatorem nostrum felle, & aceto. idem etiam fit si amarus sapor misceatur aqueo, quia quanto huiusmodi sapor habet vehiculum tenuius, & subtilius, eo magis facultatem, & ingratitudinem suam ostendit. Quartum statuendum est, corpora omnia quæ in medicum vsum cadunt varijs, atque interdum contrarijs, partibus esse conflata, id quod non semel nos docuit Gal in primo, & secundo de simpl. His igitur hunc in modum constitutis dico, id quod scribunt Gale. & Auic. verissimum esse amarum omne fieri a calido, nõ tamen necesse esse, vbi amarum inuenitur corpus illud necessario calidum esse a prædominio, neque hoc vnquã dixit Galenus, & si vnquam dixit, locutus est de illis amaris, quæ proxime accedunt ad synceram amaritudinem, vt colligere potestis ex ipso Galen. 4. de simpl. cap. 17. Cur igitur reperiuntur amara, quæ sunt frigida? iam ex constitutis potestis vos respondere, quia portio illa calida vbi amaror est, multo est minor, quam portio frigida cui coniuncta est hæc calida; sentitur vero amaror, quia vt constitutum est, tanta est vis & facultas huius saporis, vt minima portio multæ commixta magna sit, & eo magis quando corpora habent sapores, qui magis manifestant amarorem, vt est opium in quo (vt demonstrat Galen 4. de simpl. 15.) sicut & in alijs refrigerantibus medicamentis, est quidam sapor acidus minimus. & attendite ne vos decipiat interpres latinus: qui sapor minimus acidus, ita iuuat amarorem illum, vt maxime manifestetur, quamquam sit in exigua materia summe calida, quæ valde superatur a materia frigidiore. Id quod dico de opio, idem etiam dicere poteritis de omnibus alijs, quæ iunctam habent frigiditatem, & amarorem. *Quartum.*

Problematum duorum circa dulcia discussio. Cap. XX.



Alenus, quarto de simplic. vt alias docui, ad ostendendum, amarum esse summe calidum, hac demonstratione vsus est, quod quæ dulcia sunt, cum sint calida, per coctionem, & maiorem calefactionem fiunt amara; ex quo loco duo nobis examinanda sunt. Vnum, an dulcia per maiorẽ calefactionẽ vertãtur in amara. Alterũ, an dulcia semper sint calida. Quod ad primũ attinet, non videtur verum dulcia calefacta amaro- *An dulcia, per maiorẽ calefactionẽ fiãt amara.*

amarorem ſemper contrahere, quoniam videmus vina dulcia ſummo æſtatis fieri acida, idem quoque contingit de mulſa, immo verò qui volunt acetum acerrimum facere, ſolent ficus per calefactionem corrumpere, & experientia conſtat ex ficubus dulciſſimis fieri acetum acerrimum, quare non videtur verum, quòd dulcia calefacta ſemper fiant amara. Dico dulcia a calore duobus modis poſſe pati, vel a calore externo vehementer agente, vel non vehementer. Calor vehementer agens in dulcia quid facit? auget calorem rerum dulcium, calor ille auctus deinde excoquit magis naturam, atque ita amarorem inducit. Calor remiſſe agens, quid facit? hebetat calorem rerum dulcium, quo hebetato fit corruptio, & putrefactio, facta putrefactione a calore debili iterum excoquitur materia, & fit acida, nam alias docui vos acorem contrahi, vt dicebat Galenus propter calorem non potentem perfecte coquere: Illud tamen eſt vobis animaduertendum, aliud eſſe genus aciditatis, quæ nequaquam per putrefactionem efficitur, vt eſt aciditas fructuum, vuarum, quæ ſolummodo inducitur propter actionem debilem caloris in humidum, & ſiccum. Sed mirum eſt quomodo in calchantis oleo, & ſulphuris, ſit maxima illa aciditas, cum tamen conſtet hæc corpora vrere, adeò calida ſunt. puto ego acorem in ſulphure, & calchanto innatum eſſe, ſed vt dicebam non percipitur huiuſmodi acor, niſi quando per ignem ſeparatæ ſunt partes terreſtres a ſucculentis, quo tempore acor ille cū ſit copulatus materiæ acri? quamquam nō ſit multus, appareat tamen multis. exemplum, ſi aceto addatur piper procul dubio acciditas maior eſt, non alia ratione, niſi quia acrimonia illa piperis magis prodit, & magis manifeſtat aciditatem.

In omnem aciditatē fieri putrefactionem.

Vt adſit aciditas in calcanti, & ſulphuris oleo.

An oīa dulcia ſint calida

Circa aliam conſiderationem, an dulcia omnia ſint calida, videtur non exigua dubitatio, quoniam pepones ſunt dulciſſimi, cum tamē aquei ſint, proculdubio exiſtimandum eſt frigidos eſſe: præterea ſi dulcia eſſent calida ſequeretur id, quod dulcius eſt, ſemper eſſe calidius, ſed hoc etiam falſum eſt, quia multa reperietis dulcia, & dulciora alijs, & tamen minus calida. In hac re, idem dicendum eſt, quod dixi de ſapore amaro, ſcilicet hoc verum eſſe, quod ſapor dulcis ex ſeſe ſemper eſt in ſubſtantia calida, ſed fit ſæpè in mixtione, vt modicæ materiæ calidæ in qua eſt dulcedo, adiuncta ſit multa materia frigida, quæ hebetat quidem calorem, non hebetat tamen, immo auget ſaporem, quoniam materia illa frigida eſt tenuis, & ſubtilis, nam tenuitas illa, & ſubtilitas facit vt illa dulcedo magis penetret ad ſenſus, atque magis manifeſtetur, & hoc eſt, quod dicebat Ariſt. 13. part. probl. 11. quod ſi melli adijciatur modicum ſalis, magis apparet dulcedo, non ob aliud, niſi quia ſal

attenuat,

attenuat, & attenuando efficit, vt dulcedo magis penetret, & magis agat, adeò vt clarissimum ex his esse possit, nō fefellisse nos Galenū, quando scripsit dulcia semper esse calida. Sed maior est dubitatio de sapore salso, quia vt notare potuistis ex descriptione huius saporis, abstergit, abradit, & vt dicebat Theophr. consumit rerum facultates, propter quod in controuersia positum est, an huiusmodi sapor possit nutrire plantas. ita vt plantæ quemadmodum fiunt dulces, & acidæ, ita etiam possint fieri salsę. Ex vna parte est Theophr. authoritas. 6. de causis plant. 17. & Plutarc in quæstionibus naturalibus quæstione 5. qui omnes dicunt, nunquam saporem salsum fieri in plantis, est etiā & ratio pro Theophr. quia quæ nutriūt debent primo distribui, deinde apponi, & assimilari, quæ salsa sunt multum abest, vt possint apponi, ratio, quia quæ apponuntur glutinosa quoquo pacto esse debent, sapor salsus multum abest, vt sit glutinosus, immo verò abstergit, abradit, & contrarias pene nutrientibus operationes facit. Ex altera parte est authoritas Gale. & experientia, authoritas. 4. de simpl. 15. quo in loco de brasicca sermonem faciens, dicit manifeste eam habere vim quādam salsam, & nitrosam, meritò cuius decoctū illius aluum soluit. est etiam experientia, quia multæ sunt herbæ, quæ si gustentur salsæ sunt, & inter ceteras, est corallina vocata, brionia lasson, quæ insigniter salsa est, quid igitur dicendum? hæc debet esse resolutio huius dubij, ꝙ salsum esse aliquid potest intelligi dupliciter, vel secundum partes, vel secundum totum. plantæ non sunt salsæ secūdum totum, & hinc est ꝙ non nutriuntur salsis, quia quę nutriunt per totam substantiā nutriunt, & hærent, si nutrirent igitur salsas, plantas, necessario totæ essent salsæ, sunt igitur salsæ solum secundum partes, hoc. s. pacto, quia cum plātæ attrahunt succum permixtum ex terra, vbi succo illi inest, vel materia nitrosa, vel salsa, quicquid salsum, & nitrosum inest, facultas expultrix mittit ad superficiem, in qua hærens hæc materia salsa, & terrestris efficit veluti corium, quo deinde vtitur natura ad conseruationem internæ substātiæ. Sed video adhuc dubitaturum esse aliquem, si verum esset, ꝙ salsę res non nutriant, cur ergo, vt in q̄stionibus naturalibus disputat Plutarchus, pastores obiiciunt salem ouibus, vt pinguescant; canes etiam gustato sale, fiunt fœcundiores, quæ omnia videntur argumenta esse non solum salsa, sed etiam salem ipsum nutrire. Respondeo, aliud esse nutrire, aliud deferre alimentum, sal quidem nequaquam nutrire potest, sed defert nutrimentum, quia sui tenuitate, & penetratione est veluti vehiculū nutrimenti, propter quod Appolloniꝰ medicus Herophili sectator, vt est apud Plutarchum in quæst. natur. ad impinguanda corpora hominum emaciata commendabat res salsas, & dānabat

An plantæ fiāt salsæ.

dulces, vt ſcilicet res ſalſę veherent nutrimentum ad partes nutriẽdas: igitur ſi offerunt paſtores ſalem ouibus, faciunt hac ratione vt magis nutriantur, quamquam etiam interdum faciant ad conſumẽdam, & caſtigandam nimiam pinguedinem. Quod vero canes guſtato ſale, fiant fœcundiores, non eſt propter nutrimentum, ſed q̃a ſal excitat, libidinem ſtimulando, vnde fiunt animalia fœcundiora, & ideo Aegyptij ſacerdotes abſtinebant a ſale, vt caſtitatem poſſent melius conſeruare. Eſt & altera dubitatio, quia cum ſint tot ſapores, vt audiuiſtis, neceſſarium eſt, inter ipſos aliqua dari genera inter ſe contraria, eſt igitur dubitatio, quæ ſint hæc ſaporum genera inter ſe contraria. Galenus, & Auicen. fuerunt huius ſentẽtiæ, ſaporem adſtringentem, ſeu acerbum, & acrem, eſſe contrarios. Ariſto. autem lib. de ſenſu & ſenſ. necnon 2. de anima, & cum Ariſt. Auerr. voluerunt ſapores contrarios eſſe amarum, & dulcẽ. & Auerr. aduerſus Galenum & Auic. vtitur duobus argumentis. primum eſt, quod hæc opinio medicorũ aduerſetur Ariſtoteli quaſi maximum ſit piaculum medicum contradicere philoſophis. Aliud; quod ſi huiuſmodi ſapores eſſent contrarij, eſſent contrarij per qualitates actiuas, quod eſſe non poteſt, quia huiuſmodi ſapores poſſunt fieri indiſcriminatim, ab ambabus qualitatibus: adeout ſecundum Auerroem, non ſit hæc vera ſaporum contrarietas: & quia videbat rei difficultatem, in 2. de anima com. vlt. conatus eſt conciliare medicos, & philoſophos, dicens, quod contrarietas poteſt conſiderari, vel ſecundum operationes, vel habito reſpectu ad corpus humanum: ſi conſideretur ſecundum operationes, dicit Auerr. quod ſapor dulcis, & amarus, ſunt contrarij, quia ſicuti dulcis oblectat, & lenit, ſic amarus moleſtat, & exaſperat: ſin verò conſideretur ad corpus humanum, ponticus, & acutus debent dici contrarij. Nos autem, vt melius conciliare poſſimus medicos, & philoſophos, dicimus ſapores poſſe conſiderari, vel ſecundum operationes, vel ſecundum principia generationis: ſi conſiderentur ſecundum operationes, proculdubio ſapor acris, & ponticus, ſunt contrarij, quia ſicuti vnus calefacit ſumme, ita alter frigefacit ſumme. ſin conſiderentur ſecundum principia generationis, dulcis, & amarus ſunt contrarij, quia generatur dulcis ex ſumma proportione, amarus, ex ſumma improportione, quare ratione ſummæ proportionis, & improportionis, ſecundum generationem dicuntur ſapores contrarij; quamquam etiam, vt dicebat Auerr. poſſunt dici contrarij nomine delectationis, & moleſtiæ.

Cur canes, ex ſale fiant fœcũdiores.

Sacerdotes Aegyptij, à ſale abſtinebant.

Duo Auer. argumenta, contra medicos.

Auerro. medicos cum philoſophis conciliat.

Alia & melior conciliatio.

Ex saporibus quomodo inuestigandæ veniant medicamentorum vires. Cap. XXI.


Bsoluta saporum tractatione, videamus modo, quomodo ex ipsis saporibus possimus venari facultates medicamẽtorũ: sed antequã ad hoc deueniamus, sunt nonnulla vobis breuiter aduertenda, vnum quod quando dicimus hunc, vel illum saporem demonstrare hanc, vel illam facultatem, non intelligimus, quod sapor habeat has facultates: sed quod corpora, in quibus sunt huiusmodi sapores, ijs sunt prædita facultatibus. Alterum est, quod monet Auerr. 5. collect. 30. cognitis primis facultatibus, posse etiam ex ipsarum cognitione, cognosci secũdas, sed hoc non est perpetuũ, quia e.g. tenuitas, & subtilitas debent iure demonstrare facultatem calidam, veruntamen sæpè reperiuntur cum frigiditate, vt in aceto, ꝙ cum sit frigidum, est tamen etiam tenuissimum. Idem etiam dicendum est de tertijs facultatibus, immo verò dicit Auerr. quòd tertiæ facultates eo minus cognoscuntur, per primas, quo magis sunt propinquæ illis facultatibus, quæ sunt a tota substantia. *Nõnulla aduertenda.*

Incipiamus igitur sigillatim ostendere, quas vnusquisq; sapor possit nobis indicare facultates; in qua re, ne vos perturbem citãdo, putate me omnia dicturum, quæ dicunt Galen. 5 de simpl cap. 26 & Auic 20. 21. tract. 3. cap. 3 vel 4. non dico me sequi Mesuem, quoniam licèt ipse copiosissime hãc materiã tractet in Canonibus vniuersalibus, versatur tamen eius tractatio solum in medicamentis solutiuis. Dulcis sapor indicat facultatem calidam concoquentem, rarefacientem, & implentem, nam inter cætera tribuit hoc Arist. rebus dulcibus, vt impleant, hac scilicet vt puto ratione, quia propter familiaritatem auidè trahuntur a membris nutriendis. *Dulcis sapor quam indicet facul. atem.* Salsus sapor indicat similiter facultatẽ magis calefacientẽ, quã dulcẽ, abstergentẽ, abluentem, constringentẽ, & a putredine conseruãtẽ: nã clarissimũ est, si vlli alteri, sali profectò cõuenire facultatẽ a putredine conseruatiuã, qm̃ scimus omnia corpora beneficio salis præseruari a putredine, immo etiam corpora humana, nam veteres illi primi condiebãt corpora mortuorum sale, vt scribit Herodotus lib. 2. *Sapor salsus* Amarus sapor demonstrat facultatem magis calefactoriam, quam salsus, abstersiuam, exasperatiuam. Addit Gal. saporem hũc humores crassos incidere, attenuare, expectorare, ac menses mouere. *Amarus.* Sed duo debetis aduertere, circa saporem hunc, vnum est *Duo aduertenda.*

varios esse gradus rerum amararum, & prout magis, vel minus sũt amaræ, ita etiam has facultates habere modo efficaciores, modo debiliores. Alterum est, cum hic sapor, vt sæpè intellexistis, sit naturæ nostræ aduersissimus, immo verò vitæ cuiusque corporis contrarius: quando licet nobis easdem facultates in alijs medicamentis habere, semper esse cauendum a nobis rebus amaris, tamquam nobis inimicissimis.

Sapor acris, qui etiam acutus, vt sæpè dixi, ab Arabibus vocatur maiorem caliditatem adhuc, quam amarus comitatur semper, & indicat: præterea facultatẽ resolutoriam habet, & incisoriam: sed illud animaduertere debetis, huiusmodi saporem ferè semper iungi, materiæ, quæ nobis aduersissima est: est vero materia huic sapori coniuncta nobis aduersa dupliciter, vel a tota substantia, vt in sandaracha, & auripigmento; vel ob solum calorem immoderatum: quando autem ob calorem immoderatum nobis aduersatur, aut est cum substantia crassa & tunc facultatem corrosiuam, & exedentem nobis demonstrat, vt est arsenicum, & argentum viuum: si vero cũ tenuiori materia copuletur hic sapor, facultatem habet incidendi crassos humores, mouendi sudores, vrinam, menses, præterea digerit, & discutit flatus. Adstringens sapor, seu ponticus, vt dicit Auic. vim habet refrigerandi, indurandi, retinendi, condensandi. Acerbus sapor, qui etiam ponticus ab Arab. dicitur, refrigerandi facultatem habet, incrassat, exiccat, constringit, contrahit, atque repellit: hæc omnia præstant etiam ea quæ habent saporem austerum, sed paulò remissius. Acidus sapor refrigeratoriam facultatem indicat, incidit, extenuat, diuidit, deobstruit. Est dubitatio de hoc sapore, an semper refrigeratoriam facultatem possideat. de sapore acido, qui fit sine putrefactione, non videtur vlla esse controuersia, sed dubium est de acido, qui fit per putrefactionem; & ratio dubitationis est quia Arist. 33. part probl 5. & 6. quærens cur sternutamentum ab aceto dissoluatur, inter alias causas recenset hanc, quod acetum facultatem calefactoriam habet, quapropter non videtur verum, quod sapor acidus semper habeat vim refrigerandi, quemadmodũ medici statuerunt. Vt hunc nodum nobis dissolueret Petrus Apponen. multas excogitauit responsiones, sed mea sententia nulla alia ratione debet explicari hæc difficultas, nisi per verba Gal. 4. de simpl. 12. vbi scribit Arist. sententiam fuisse, acetum per se, & naturaliter habere vim refrigerandi, & simul calefaciendi, sed acquisititiam. Itaque dicendum est ex authoritate Gal. acetum duplicem facultatem habere, vnam intrinsecam, propter quam refrigerat: alteram acquisititiam propter quam calefacit vtraq; hæc facultas acquiritur, ex putrefactione, quia per putrefactionẽ extinguitur calor naturalis

lis vini, vel ficuum, ex quibus fit acetum, quo calore extincto, remanet corpus frigidum frigiditate naturali: quia verò putrefactio est ab externo calore, in eodem corpore putrefacto remanent vestigia caloris, merito cuius acetū calefacit. Hęc igitur est dissolutio huius contradictionis ex Gal. Sapor pinguis calefactoriam facultatem & ipse habet, sed moderatā, & minorē sapore dulci, moderate humectantem, emollientem, laxantem; quæ oīa etiam præstat aqueus sapor, sed remissius, quam pinguis, & dulcis. Dubitabit aliquis vestrum, an sapor pinguis semper sit in materia minus calida, quam dulcis, & ratio dubitationis est, quia pinguis sequitur aerē, & ignē magis quā dulcis, apparet hoc quia corpora pinguia supernatant alijs humoribus, si igitur magis aerea est pinguendo, videtur etiam esse calidior. Dissoluenda est hæc dubitatio ex Arist. 2. de par. animal. vbi disputās de calido, demonstrat corpora multipliciter posse dici calida, sed pręsertim duobus modis, vel quia maiorem copiam intrinseci caloris habent, vel quia magis inflammantur. Hac diuisione caloris dico, saporem pinguem, & dulcem posse dici alterum altero calidiorem, vel quia magis, & citius inflammetur, vel q̄a plus habeat intrinseci caloris. Dulcia plus habent intrinseci caloris, & hac ratione dicuntur calidiora: pinguia vero facilius igniuntur quā dulcia, & hac ratione possunt dici calidiora dulcibus. Notandū est vobis circa facultates, quas audiuistis, Isacum Hebræum medicum in lib. de diæta vniuersali, non solum ex saporibus demōstrasse modum cognoscendi facultates, verumetiam gradus facultatū, quæ diligentia licet non sit perpetua, neq; ex toto vera, tamen meo iudicio non est negligenda: scribit enim hic vir, saporem dulcem esse cum caliditate in secundo gradu. salsum in fine secundi gradus. Amarum in tertio gradu, acrem in quarto. In quibus gradibus quāto sapores sunt viridiores, eo magis gradus intenduntur, ita vt quæ sunt summe acria, sint in fine, vel medio quarti gradus calida, atque sic de cæteris. Rursum dicebat hic, quæ habent saporem acidum indicare facultatē in secundo gradu frigidam. Ponticum, & stypticum saporem in tertio gradu. quartum gradum non tradidit nobis, quia quæ sunt frigida in quarto gradu non habent saporem vllum insignem, quantum sit ratione frigiditatis, & puto ego rationem esse, quia vt frigida hebetant sensus alios, & obstupefaciunt, sic etiam obstupefaciunt sensum gustus, quę sunt summe frigida, ita vt nō possit vllus sapor percipi. Scio medicos multas alias facultates propo suisse demonstratas ex saporibus: sed hæ sunt potissime ex Gale. & Auic prolatæ, & ex quibus aliæ fere omnes oriuntur Illud nō ignorandum est, quòd quemadmodum sapores isti sæpe commiscentur, ita etiam commistas facultates nobis demonstrat.

De

De alijs quibusdam in facultatum notitiam ducentibus. Cap. XXII.



RÆter colores, odores, & sapores, sunt etiam nonnulla alia, quæ nos quodam pacto ducũt, & excitant ad inueniendas medicamentorũ facultates: atque hæc, vt optimè nos docuit Auerr. 5. collect. 30. sunt quatuor, locus, regio, tempus, & operationes naturales: sed aduertatis hæc non indiscriminatim nos manu ducere ad omnium medicamentorum facultates explorandas, sed solum ad eas, quæ insunt plantis, & animalibus: ratio huius est, quia vt præclarissime nos docuit Hipp. in lib. de aere aquis, & locis, animalia, & plantæ fere sola mutationem patiuntur a regionibus, locis, & tempore; adhuc etiam horum fere solum operationes sunt sensibiles.

Regio, vt ab hac incipiam, quod habeat facultatẽ demonstrandi nobis facultates medicorum, docuit Hippoc in principio 2. lib. de diæta, vbi scribit, in regionibus meridionalibus terræ nascentia esse sicciora, & calidiora septentrionalibus. Similiter, quæ nascuntur in regionibus altis, & squallidis esse ficciora campestribus. In regionibus palustribus, omnia esse humidiora sic dicit Auerr. in regionibus calidis, & orientalibus nascentia, maiori ex parte esse calida, vt quæ nascuntur in India Similiter medicamenta nata in regionibus frigidis, magna ex parte esse frigida aduertatis Auer. nõ sine ratione dixisse, magna ex parte, quia vt ipse docet, contingit interdum, vt in regionibus calidis nascantur frigida, vt thamarindi, qui nascuntur in Arabia, atque etiam vt calida nascantur in frigidis, vt pinea in Illyrico tractu atque hoc habet suas rationes, quia quæ habent corticem durum cum sese tueantur a frigore, propter hunc corticem calorem intus conclusum habent, atque ita per accidens sunt calida, & per antiperistasim. Similiter non sine ratione in regionibus calidis nascuntur frigida, quia propter ambientem calidum frigus sese abdit intra terræ viscera; itaque quæ corpora nascuntur in terræ visceribus, sunt frigida, cum nascuntur, vbi frigidum maxime viget, atq; propter prædictam rationem existimo ego, frumentum in Ponto frigori expositum conseruari, nõ vt dicit Arist. 14 part. problem. 2. quod vna cum calore humor exhalet. Locum etiam magnam vim habere ad demonstrandas facultates medicamentorum, præ cæteris demonstrat nobis magnus

ille Mesues, in lib. canon. vniuersalium, vbi scribit, locum esse vnū ex maximè facientibus ad generationē medicamēti & a loco acquiri dispositiones, & proprietates quasdam in rebus, id quod non solum ex seipso dixit Mesues, verum doctus hoc a D. Platone in Timæo, vbi scribit, loca varijs virtutibus a natura esse donata, ꝙ an sit propter proprietatem aeris, an vt dicebant nonnulli, propter peculiares deemonas locis prępositos, sum ego huius sententiæ, aeris conditiones, & succos peculiares largiri huiusmodi proprietates, nam ratio huius rei affertur a Vitruuio lib. 8. cap. 3. vbi scribit, qđ si radices arborum, aut vitium, aut aliorum seminum, non ex terræ proprietatibus capiendo succos, ederent fructus vno genere, essent in omnibus regionibus, & locis, omnes sapores, vnde cum sapores sint varij, confitendum est varietatem saporum, ex varijs ꝓprietatibus locorum oriri. sic nouimus balsamum solum fieri in Babylonia: in regionibus nostris dactyli non dulcescunt Persca, quæ apud Persas erat venenata, in Aegypto facta est familiaris. Itaque non est dubitandum, quin locus conferat ad generationem facultatum medicamentorum, & proinde ad cognoscendas ipsas. quamobrem, quę nascuntur in locis desertis, & aridis siccam facultatem demonstrant, quæ in viridarijs, & cultis, humidiora sunt. quę nascuntur in locis petrosis dicit Auerr. 4. collect. neque flores habere, neque folia, & proinde, vel frigida esse, vel humida, quę nascū tur in montibus esse perfectiora, habere flores, & fructus, & huius rei adfert rationem Auerr. quia hæc corpora in montibus nascentia, sunt proximiora influentijs corporum cœlestium. A tempore accipiuntur significationes facultatum, quia quæ oriuntur hyeme, vt plurimum calida sunt ex se, vt sunt rapæ, & raphani, nam si non haberent calorem, quo resisterent aeris frigori, proculdubio nasci non possent. quæ oriuntur æstate, vt plurimum sunt frigida, ratio est, quia cū habeant paucū calorem innatum, indigent externi caloris adminiculo. Ex operationibus medicamentorum naturalibus capiuntur indicia facultatum, quia cum sint operationes naturales omnium vegetabilium tres, natiuitas, seu ortus, augmentū, & generatio, vel fructificatio: a natiuitate capiuntur hunc in modū significationes, quia q̄ citò nascuntur, vt dicit Auer. aut magnā indicāt caliditatē; aut frigiditatē: quæ cito augētur, indicāt vel caliditatē, vel humoris tenuitatē. Ex aduerso, quæ tardo augentur: aut frigiditatem aut viscíditatē, aut vtrunq; nobis demonstrant: idem possumus dicere de generatione, vel de fructificatione, quia q̄ tardius fructificant sunt frigidiora, & viscidiora, aut viscidiora tantū, aut frigidiora tantum: quæ cito fructificant, vel sunt calidiora, vel prædita humido tenui: quæ flores, & fructus edunt, dicit

Auerr.

Auerr. significare nobis perfectam temperaturam, quæ nihil horũ producunt terrestrem, & aqueam quandã facultatem: similiter quæ sunt spinosa, globosa vniuersaliter esse terrestria, quæ recta sunt, & sine vllis spinis humiliora, & magis aquosa. Quod monstraui in plã tis, vos breuiter æstimate in animalibus, de quibus dicit Auer. quod quæ nascuntur in locis calidis, vt plurimum calida sunt, & sicca, vt chameli, capreolę, nam quamquam sint etiam in regionibus Septẽ trionalibus, magis tamen abundant, ut dicit Auic. in Africa. Quæ in aqua nascuntur, animalia frigida sunt, & humida: quæ in desertis adolescunt calida, & sicca. Rursus sanguinea, ouatilia, multipara, calidam, & humidam facultatem habent, exanguia omnia frigidã, & humidam.

Sunt plurimæ aliæ facultatum differentiæ, quas non enumero, quia non sunt admodum ex vsu medicinæ: præterea potest etiam vt dicit Auicen. diligens indagator ex cognitione harum cognosce re etiam reliquas omnes: quare nobis hic positus sit terminus tractatus nostri de facultatibus medicamentorum: & vt absoluta eua dat tractio de compositione medicamentorum, duo capita tantum supersunt, unum de quantitate medicamentorum. Alterum de mo do componendi.



HIERO-

HIER. MERCVRIALIS PRAELECTIONVM. LIBER SECVNDVS.

Qui est de medicamentorum dosi.

De veterum Romanorum ponderibus, & mensuris. Cap. I.



QVI sublunaria hæc produxit, omnia cum pondere, & mensura fabricatus est, quare omnis ars, quasi imitatrix conditoris rerum, necessario etiam omnia, & pondere, & mensura dirigit, & gubernat, potissimum verò medica ars, in qua necessarium est, vt cuncta pondere, atque mensura dirigantur. & quamquam sit necessarium, est tamen etiam difficile: necessarium, quoniam sanitas, & vita nostra tota posita est in proportione ponderis, & mensuræ, quam si velimus aut cōseruare, aut recuperare, necessarium est, vt mensura, & pondere, omnia agamus. Difficillimum quoque est hoc opus, quia cum medicamenta propter morbos adhibeantur; atque morborum gradus, necnon & hominum proprietates, sint plerumque ignotæ, consentaneum est, vt operationes medicorum plerunque in mensuris statuendis frustrentur, atq; oberrent, & hoc est, quod magnus Galenus 2. de acutis 37. & alibi sæpe dicebat, nihil esse quod æque artem medicam coniecturalem, & infirmam reddat, atque medicamentorum quantitas, paucosque esse, qui quantitatem remediorum artificiosam, & certa coniectura consequi possint: quod etiā sapientissimus ille senex olim cecinit, quādo dixit, Experimentum fallax. Itaque cum hæc ita se habeant, debetis, qui medicam artem exercere vultis, omni studio, & ingenio satagere, vt aliquā metho-

methodum, aliquam doctrinam habeatis, qua in summa rei difficultate, & necessitate possitis omnes scopulos, & omnes euadere errores: dabo autem hoc tempore hanc doctrinam, & methodum, quam si vt spero assequamini, non dubito, quin hac in parte sitis optimi medici euasuri: erit autem hæc mea methodus tribus capitibus comprehensa. primum erit, vt demonstrem quæ fuerint pōdera, & mensuræ veterum medicorum, nam sine hoc necessariō vobis continget, vt neque intelligere veteres medicos possitis, neque etiam compositis illorum medicamentis vti, non tradam peculiaria nostris temporibus pondera, quia cum vnusquisque vestrum debeat in diuersis prouincijs medicinam exercere, vnaquæque prouincia peculiaria solet habere pondera, quæ si comparentur antiquis, poterit vnusquisque vestrum certius hanc rem experientia intelligere.

Secundo capite, cum triplicia sint medicamētorum genera, quæ componuntur, alterantia, euacuantia, corroborantia, atque etiā multa alia, vt quę cicatricem inducunt, quæ aperiunt, quę discutiunt, in vnoquoque componendo, quæ quantitas sit adhibenda demonstrabo, ita vt possitis ex tempore hac nostra arte, quantitatem comparare in vnoquoque medicamento componendo.

Tertio capite, cum compositis medicamentis vtamur, tam extrinsecis, quam intrinsecis, & finis compositionis sit vsus, declarabo, quæ debeat esse quantitas, seu dosis in vsu vniuscuiusque medicamenti, tam intrinseci, quam extrinseci. Vt igitur incipiam primum caput enarrare, primo necessarium est, vt tria ante cętera vos doceam, vnum est, varias fuisse mensuras apud Aegyptios, Arabas, Chaldæos, Græcos, & Romanos. Sed quia nostrum institutum est. solum mensuras medicorum edocere, eas docebo, quas habuerunt Romani, Athenienses, & Arabes. De Romanorum mensuris, necessarium est loquamur, quia vt docet Galenus primo de compos. medicamētorum per genera cap. 28. & alibi sæpe, qn̄ Romani rerum potiti sunt, omnes fere ipsorum mensuris vtebātur, immo vero Galc. & alij summi medici sæpius vsi sunt mensuris & ponderibus Romanis. de Atticis etiam mensuris tractabo, quia tametsi innumeræ fuerunt species ponderum, apud Græcos, tamen vt docuit nos Plinius, medici fere vsi sunt Atticis mensuris, & ratio est, quia maior pars medicorum, ab ea prouincia veniebat. Addam etiam Arabum mensuras, quia tametsi sint eædem cum atticis, & romanis, nomina, tamen ipsarum apud Arabes medicos sunt obscurissima. Alterū, qđ ignorare nō debetis est, veteres medicos diuersas mensuras habuisse rerū aridarū, & rerū liquidarum. Tertium est, ꝙ vt est apud Galenum primo de med. secūdū genera, & quinto,

nec

necnon in lib. de ponderibus, & mẽsuris, veteres tribus modis quã titatẽ rerũ humidarũ, & ſiccarũ deſcribebãt. ſ. mẽſura, põdere, & a. ceruo, & notate hæc oĩa, quia aperiã vobis mentes ad intelligẽdas ſcripturas. Romani, & præſertim qui factitabant medicinã, & alias artes, vaſa habebant circunſcripta lineis, quibus deſignabãt libras, & vncias, vt habetis apud Galenũ primo de med. per genera. erant vero hęc vaſa cornea, & vt ego puto appellabantur cornua, vt docet Galenus, tũ quia erãt ex materia cornea, tũ q̃a facta erãt ad formã cornu, & quẽadmodũ hẽtis apud Athenæũ, pocula q̃b⁹ potabãt multę nationes, erãt cornua: Quare q̃n videbitis apud Gal. hæc cornua, intelligendũ erit vobis fuiſſe vaſa ita fabricata, vt ꝑ lineas deſcriptas, poſſent cognoſci libra, vncia, & alia põdera, atq; hęc mẽſura vocabatur. vnde quęcunq; emẽtes & vẽdentes metiebanť ſcd̃m hãc mẽſurã, dicebãť mẽſuralia e.g. libra olei, uel uini accepta ſcd̃m mẽſurã huiuſmodi inſtrumẽti dicebať mẽſuralis. Quãtitas vero rerũ vocabať põderalis, q̃n trutina. & lãce expendebať, & determinabať quãtitas. Aceruo aũt deſcribebant quãtitatẽ rerũ, quẽadmodum nos facimus, q̃n dicimus pugillũ, manipulũ, aceruũ, & ſimilia, & vos, qui legetis authores antiquos, debetis ꝑ intelligẽtia horum vnũ cognoſcere, qđ ſępe medicamẽtis deſcriptis ab antiq̃s addiť, vel anteponiť litera P. q̃ duo põt ſignificare, vel põdo, vel põdere, q̃n ſignificat põdo, ſignificat librã, & tũc ſignificat libram, q̃n nulla alia mẽſura addiť, ſignificat aũt põdere, q̃n aliqua alia mẽſura addiť, & tunc hoc faciunt medici, vt diſcernatur libra, uel uncia põderalis a mẽſurali, & hoc notate quia ſæpe, qui legetis C Celſum, & Scribo niũ impingetis in huiuſmodi ſcopulos. Sed ſciſcitabiť aliq̃s veſtrũ, cur veteres medici, & alij artifices diſtinxerunt põdus, & mẽſuram hoc modo? dico ꝑꝑ facilitatẽ negociationis neceſſariũ fuiſſe, vt inuenirenť mẽſurę expeditę, ne ſ. cogerenť cõtinuo cõterere tẽpus in reb⁹ expẽdendis ad lancẽ: verum quia neq; res liquidę, neq; aridæ, ſunt vnius põderis, ſed aliud corpus, aliud põderat, eapropter coacti ſunt põdera diſtinguere a mẽſuris, & ut exẽplũ habeatis, medici in ſuis operationib⁹ frequẽtiſſimè vtunť liquorib⁹, oleo, vino, ſeu aqua, nec nõ melle, ſub q̃bus cõprehẽdunť fere oẽs liquores ſimiles. oleum oĩum minimè põderat propter aerẽ, vinũ cõtinet idẽ põdus olei, & plus nonã partẽ. E.g. ſi accipiatis librã mẽſ. uini, deinde expẽdatis ad lãcẽ, videbitis, ꝙ tametſi eadẽ fuerit mẽſura uini, & olei ad põdus tamẽ differentia nõ exigua eſt, mel ſimiliter plus põderat, quã vinũ, aut oleũ, nã cõtinet põdus olei, & dimidiũ, necnon pondus vini, & tertiam partem ſed ne hac in re decipiamini duo debetis adnotare; vnũ eſt, ꝙ quãdo nominamus oleũ, mel, aut vinũ intelligim⁹ oĩa hęc corpora depurata, & defęcata, alterũ eſt vinũ ſubli

matum huius leuius esse oleo, immo verò cum nullus alius liquor supernatet oleo, solum vinum sublimatum supernatat. Prima igitur mensura, seu pondus, quo vtebantur Romani, erat libra, a qua tãquam a regula quadam dirigebantur omnia alia, tam pondera, quã mensuræ, & vocatur etiam a Romanis As, seu Assis. continebat autem libra vncias 12. diuidebatur libra in plures partes, primo in sextantes sex, ita vt vnusquisque sextans, esset vnciæ 2. diuidebatur etiam in quadrantes tres, ita, vt vnusquisque quadrans contineret vncias 4. diuidebatur etiam in Trientes quatuor, ita vt vnusquisq; triens contineret vncias 3. diuidebatur etiã in quincunces, continebat autem quincunx, vncias 5. & in selibras, ita vt vnaquæque selibra contineret vncias 6. erat quoq; Bes pars libræ, quæ continebat vncias 8. Dodrans similiter pars erat libræ vnc. ix. Dextans vnciæ 10 Deunx vncię 11. hæ erant partes libræ, quibus videbitis vsos esse medicos antiquos, in suis monumentis. Diuidebant et vnciam in suas partes, & primo in denarios. 7. aut more gręco, in drachmas viij. adeò vt ex Cor. Celso Scribonio, & Galeno possitis certo intelligere, denarium Romanorum fuisse diuersum a drachma, quia denarius erat septima pars vnciæ, drachma verò octaua. præterea diuidebant vncias in semuncias duas, in siliquos quatuor, in sex sextualas, & in tres duellas: denarij rursus duas fecerunt partitiones, primo partiti sunt in duos victoriatos. Cor. Celsus diuisit etiam denarium in sex sextantes, quare debetis attentissimè animaduertere, quando vultis Celsi medicamenta explorare, an loquatur de sextante libræ, an de sextante denarij, quia magna est differentia, & perniciosissimi possunt contingere errores. sed debetis hoc in loco animaduertere, quod licet hæc pondera essent pręcipua, & veluti regulæ aliorum, erant tamen diuersa a mensuris, quia, vt audietis suo loco, alia erat libra mensuralis. idest libra vasis illius cornei, alia ponderalis. ex his postmodum ponderibus, & mensuris constituerunt medici antiqui, & alias rerum liquidarum mensuras, & pondera, inter quæ erant quædam maxima, quædam minora; maximum pondus, aut mensura erat Culeus apud Romanos, sic dictus a Græco vocabulo, quasi vter esset, & puto sic vocabulum esse, quia veteres vtebantur vtribus maximis ad excipiendos liquores, vt nunc fit apud multas nationes, & pręsertim apud Hispanos, nos vocabulo nostro possumus hoc tempore appellare bottam: pendebat culeus mensuralibus libris. 1600. olei pendebat libris 1333. & vnc. iiij. vini, libr. 1485. vnc. v. drach. iiij. & siliquis iiij. mellis, lib. 2222. vnc. ij. drach. v. scr. j. Culeus, deinde diuidebatur in 20. amphoras, amphora autem appellata est etiam a latinis quadranta, eo quod vas erat qua-

drata

drata forma factum, dicebatur amphora vocabulo græco, quia erat vas ex vtraque parte ansas habens, continebat amphora mensurales. lib. 80. olei, lib. 66. vnc. viij vini, lib. 74 drach. vij. filiquas 24. mellis, lib. 111. vnc. 1. drach. ij. scrup. ij Amphora rursus diuidebatur in duas vrnas, & vna vrna continebat lib. 40. mẽsurales. olei lib. 33. vnc. iiij. vini lib. 37. drach. iij. scru. j. filiquas quas iiij. mellis, lib. 55. vnc. vj. drach. v. scru. j. Vrna similiter diuidebatur in congios iiij. congius autem continebat lib. mens. x. olei lib. viij. vnc. iiij. vini lib. viij: drach. iij. scru ij filiquas iiij. mellis lib. xiij. vnc. x. drach. v. scru. j. congium similiter partiebantur in sex sextarios, qui sextarius continebat vncias mensurales, xx. olei vnc. xvj. drach. v. scru. j. vini vnc. xviij. drach. iiij. filiquas ij. s. mellis lib. ij. vnc. iij. drach vj. filiquas iiij.

De sextario volo vos vnum monere, ab ipso scilicet, secundum Galenum, regulam sumi omnium aliarum mensurarum, is enim primo de med per genera, cap. 16. de sextario Romano verba faciens, scribit eum pendere libram vnam, semissem, & sextam illius partem, vt omnes simul coniunctæ vnciæ sint viginti, quas dicebat Galenus mensurari consueuisse cornibus, in quibus circũscriptæ erant lineæ designantes pondus, & mensuram. sed video vos statim dubitaturos, vnde igitur Galenus sæpè dicat, sextariũ continere vnc. viij. interdum etiam vnc. iij? respondeo id quod respondet ibidem Galenus, hanc vocem, sextarius, non fuisse apud Gręcos, sed solum, quando Romani cœperunt imperare gentibus hęc vox communicata est omnibus populis, & factum est, vt omnes gentes retinerent hoc nomen, sed mensurę variatæ sunt. quia quot fuerunt prouinciæ, tot fere extitere differentiæ separatę apud ipsas, vt etiam ob hanc rem Budæus, Agricola, Portius, & omnes fere recentiores, qui de ponderibus scripserunt, inter se fuerint varij in tradendo sextario. Sextarius igitur Romanus diuidebatur in duas heminas, hemina enim dicebatur, quasi dimidium sextarij, continebat autem hemina vncias x. mensur. olei vnc. viij. dr. ij. scru. ij. vini vnc. viiij. drach. ij: filiquas j. & gr. j. mellis li. j. vnc. j. drach. vij. filiquas ij. nihil enim fere inuenietis frequentius apud medicos, quam huiusmodi pondus, & in mittendo sanguine, & in alijs rebus. partiebatur hemina in duos quartarios, ita vt vnusquisque quartarius esset quarta pars sextarij. continebat quartarius vnc. v. mensurales, olei vnc. iiij. drach. j. scru. j. vini vnc. iiij. drach. v. mellis vnc. vj drach. vij. scru. sem. filiquas j. quartarius, etiam in duo acetabula diuidebatur, & acetabulum cõtinebat vnc. iij. mensur. olei drach ij. scru. ij. vini vnc. ij. drach. iij gr. 15. mellis vnc. iij. drach. iij. scru. ij & filiquas ij. acetabulum continebat

sesquicya-

Sesquicyathum, cyathus vero continebat unc. j & duas tertias mẽsurales, olei unc. j. dra. iij. & filiq. ij. vini unc. xv. scr. j. mellis unc. ij. drach. iij. gr j. cyathus postremo diuidebatur in iiij ligulas, seu iiij. cochlearia, cochlear autem, & ligula continebant dra. iij. mens. & scru. j. olei drac. ij. scru. ij & filiq. ij. vini drac. iij. siliqu. xv. mellis drac. iiij. s filiq ij. gr. j. Dixi, si rectè recordamini, etiam Romanos habuisse libram mensuralẽ, & vncias distinctas a ponderalibus, iccirco libra mensuralis cõtinebat unc. xij. vt audiuistis, olei unc x. vini vnc. xij. scru. ij s. mellis vnc. xvi drac. v. filiquas iiij s. vncia mensuralis continebat vnc. viij. siue denarios vij. olei drac vj scr. ij vini dra. vij. scru. i. filiq j. mellis drach. ij. filiq. j. gr. iij. semuncia continebat drach. iiij. mensur. olei drach. iij. scru j. vini dra. iii. scru ii. gr. ij. mellis drach. v. scru. xv. gr. iij. Hæ erant mensuræ, & pondera, quibus medici, tam Latini, quam Græci Romanos secta-ti medicamenta metiebantur, liquida dico, quoniam aliæ erant mẽsuræ, quibus mensurabant res duras, & siccas. Et quia res aridæ, quibus vtuntur medici sunt penè innumeræ, folia, ligna, pulueres, lapides, semina infinita, eapropter non potest tradi ulla recta ratio, qua quodlibet aridum medicamentum a mensura, reducatur ad pondus, itaque solummodo breuiter mensuras uobis tradam, eo magis quod nostrates medici, sæpè solent mẽsurare huiusmodi medicamenta solummodo pugillis & manipulis, aut etiam solo pondere. e. g. semina interdum metimur lance, interdum pugillis. herbę, & flores frequentissimè solummodo M. & P. radices modo M. modo etiam lance.

Mensura prima aridarum erat modius, qui continebat lib. xxvj. & unc. viij. semimodius continebat lib. xiij. unc. iiij. sextarius lib. j. & unc. viij. hemina continebat unc. x. acetabulum unc. ii. s. cyathus unc. xv. dra. j. scru. j. ligula postremo continebat vnc. iij. scru. j.

De ponderibus, et mensuris Græcorum. Cap. II.



SEquuntur modo pondera Gręcorum, quæ & necessariũ est sciatis, quia fere tota nostra ars est nobis tradita a Græcis medicis, & lingua græca cõscripta. sed quia vt dicebam, Græcia habuit infinita fere pondera, & mensuras, solummodo de mensuris, & ponderibus Atheniensium tractabo, quia medici solummodo huiusmodi ponderibus, & mensuris videtur vsi. Primũ põdus erat mina, sua lingua vocata *μνᾶ*, continebat mina unc. xvi. ut habetis apud Diosc lib. de põd. & mẽsuris, post mi-

nam

nā, erat λίτρα, ſeu libra, quæ continebat unc.xij atq; de hac loqtur Gal. primo de med. per gen. poſt libram erat λίτρας ἥμισυ, ſeu media libra, quæ pendebat nnc. vi. erat deinde λίτρας τρίτον, ſeu tertia pars libræ, quæ conſtabat unc. iiij. deinde λίτρας τέταρτον, ſeu quarta libræ pars, quæ pendebat vnc iij. erat quoque λίτρας ἕκτον ſexta libræ pars, quæ pendebat unc. ij in tot partes inuenietis apud medicos græcos partitam eſſe libram οὐγγία, porro, ſeu vncia conſtabat drach. viij. atque hoc habetis apud Galenum explicatiſſime. 6. de med. per genera, nec non apud Dioſc. & hoc volui adnotare, vt ſciatis differentiam eſſe inter drachmam, & denariū, quia denarius non eſt proprie drachma, vt exiſtimarunt nonnulli; vocabatur etiam vncia a nonnullis Græcis, τετρα ασαρον. Vncia diuidebatur in varias partes, a Græcis, & primo in ſemuncias, & vocatur ἡμιούγγιον, quæ conſtabat drach. iiij. habuit autem ſemuncia, apud Græcos diuerſas appellationes, quia interdum vocabatur ςατήρ, interdum, τετραδράχμιον, interdum δυπονδιον, vnde latini accepere dipondium, interdum σίκλιον, & σίκλος. ἀασάριον, conſtabat, ex drach. ij. drachma vero, ſeu δράχμη, & ὁλκη, erat octaua pars unciæ, vt audiuiſtis. ἐξάγιον, apud Nicol. Alex. & apud Actuar. idem eſt, quod drachma, & conſtat, vt drachma, ſcru. iij. quamquam apud Barbaros medicos, vt apud Simeonem Seti, & alios quoſdam ἐξάγιον, conſtat ex drach xv. & interdum appellatur aureus, qui continet ſcrup. iiij. s. τετρώβολον, ſeu quarta pars obuli continebat duas partes drachmæ, ſeu ſcru. ij. ἡμιδράχμιον, & τριώβολον, erat drach. s. quæ conſtabat ex ſcru j s. γράμμα, ſeu ſcrupulus, nam ſiue dicamus ſcrupulum, aut ſcriptulum idem eſt apud medicos conſtabat, ex duobus obolis. vnde διώβολον, apud Græcos idem eſt, quod ſcrupulus ὄβολος autem, ſiue obolus eſt ſexta pars drachmæ, quę continebat ſex ſiliquas. ἡμιωβολον, vel ἡμιοβόλιον, erat ſemiobolus, qui conſtabat ſeſquiſiliqua. Κεράτιων, ſeu ſiliqua, erat decimaoctaua pars drachmæ, δίχαλκον, conſtabat ex ereolis ij. gra. iiij. & duabus tertijs gr j. atq; hoc pōdus frequenter eſt apud Dioſc. ςάγιον apud Nicol. Alex & apud medicos barbaros, idem eſt cum duobus ereolis. χαλκοῦς, idem eſt quod ereolus, & eſt ſexta oboli pars, vel media ſiliquæ pars. σιτάριον, eſt granum tritici, & eſt quarta pars ſiliquæ, ac idem prope pōdus, quod hodie communiter granum vocatur. Hæc ſunt pondera omnia, quæ ſunt in frequenti vſu apud Græcos, ex vſu Athenienſium.

Sunt modo etiā mēſuræ, inter quas prima eſt, quæ vocatur μετρέτης, & a Dioſc. κεράμιον, vos ptestis appellare amphorā atticā, ſeu vt vocat Phanius cadū. cōtinebat hæc mēſura li. 108 mēſ. olei, lib. 90

vini

vini. lib. 100. mellis, lib. 150. χοῦς, siue χόευς, potest latine vocari congius, continebat lib mens. viiij. olei lib. viij vini lib. viij. & tertiam partem, mellis lib. xiij. ξέςης, continebat sesquilibram mēs. olei lib. j. & quartam partem, vini lib. j. vnc. iiij. scru. vj. mellis lib. ij. vnc. j. κοτύλη, seu ἡμίξεςον, vel τρύβλιον, significat idem quod latinis hemina, & constabat apud Athenienses, ex vnc. viiij. mēs. olei vnc. viii. vini vnc. viii. & scru. viii. mellis lib. j. & drach. iiij. τέταρτον, seu ἡμικοτύλιον, est dimidia cotylæ, seu heminæ pars, & constabat ex vnc. mens. iiij. s. olei vnc. iij. drach. vi. vini vnc. iiij. scru. iiij. mellis vnc. vj. & drach. ij. ὀξύβαφον, seu τέταρτον κοτύλης, erat quarta pars cotylæ, & constabat ex vnc. mens. ij. & quarta parte vnciæ olei vnc. j. & drach. vij. vini, vnc. ij. & scru. ij. mellis vnc. iij. & drach, j. κύαθος, vel cyathus constabat ex sesquiuncia, mens. olei vnc. j & drach ij. vini vnc. 1. scrop. x. mellis, vnc. ij. scrup. ij. κόγχη, seu concha, aut conchula continebat dra. vj. mens. olei vnc. sem. vini drach. v. & scrup. ij. mellis vnc. j. scrup. j. μύςρον, constabat ex drach. iij. mens. olei drach. ij. s. vini drach. ij. scrup. i. s. mellis drach. iiij. scrup. s. χήμη, continebat dr. ij. mens & tertiam partem drach. olei drach. ij. vini drach. ij scro. j. mellis drach. iij. scrup j. κοχλιάριο constabat ex drach. i. mensu. & sexta parte drach. olei drach. 1. vini drach. 1. scrup. sem. mellis, drach. 1. scrop 2.

De Arabum ponderibus, & mensuris. *Cap. III.*



SEquuntur Arabum mensuræ, & pondera, quæ etiam magno studio a vobis sunt intelligenda, propterea quod medicina nostra, & præsertim practica, magna ex parte hausta est ab Arab. vel ab eorum sectatoribus: & quia sciētia medicinæ, sicut & aliæ scientiæ tarde per uenerunt ad Arabes, hinc factum est vt quicquid habent Arabes medici totum acceperint vel a Græcis, vel a latinis, id quod maxime est in ponderibus, & mēsuris, quoniam omnia pondera, & mensuræ, quibus vsi sunt Arabes medici, aut acceperunt a Græcis, vel a Latinis. Itaque nō est nobis in alia re laborandum, nisi, vt explicem vobis, quomodo nomina Arabica respondeant Græcis, & Latinis. sed dicet aliquis vestrum: cum Arabes modo græcis mensuris vtantur, modo latinis qua ratione cognoscere possumus, quando vtuntur græcis, & quādo La-

do La-

do Latinis hoc modo erit vobis cognoſcendum, vt videatis quos ſcriptores ſequantur, nam ſi ſequuntur Græcos, de gręcis menſurís loquuntur: ſi Latinos de Italicis.

Incipiamus itaque à mina, quę a Serap. & alijs Arabibus, tribus vocatur nominibus ominos, manium, manis, & notate duplicem minam habuiſſe Arabes medicos, alteram Romanam, quę pendebat vnc. xx. alteram Aſiaticam, quę pendebat vnc. xvj & hęc poſtrema eſt fere ſemper in vſu apud medicos. Rotulus, apud Razem, ſignificat libram. Vncia etiam tribus nominibus vocata eſt ab Arab Serapion vocat modo ſachros, modo auguem, Auicen. appellat adar. ſextarium Arabum idem eſt, quod ſemuncia apud quoſdam. Aureus idem eſt, quod denarius, & pendet pauló plus, ſcrupu. iij. ut audiuiſtis ſuo loco · Drachimi, idem eſt, quod drachma, Ologina, alchi, idem quod olcæ Gręcorum. Scrupulus quinque habet nomina, dicitur primo harme, garme. ſerap. appellat guanchum, Auic. vocat cherme, & gormia. Obulus, dicitur onoloſſa, & onolium. Danich, de quo eſt frequens mentio apud medicos, idem eſt, quod lupinus; quid ſit lupinus intelligetis paulo poſt. Siliqua latinorum dicitur ab Arab. chira. Ereolum autem dicitur Reſtuf. Dorach Italicum apud Auic. & Serap. idem eſt, quod amphora. Congius tria habet nomina, vocatur primo ab Auic. Ioheim, apud Serap. chaus, vel chus. Sextarius Roman. quatuor nominibus, vt ego obſeruare potui vocatus eſt, dicitur enim kiſt Romanum, Auic vocauit achſat, vocauit etiam cubit, apud Serap. dicitur adel Hemina, tria habuit nomina, apud Arab. vocatur enim korbonich, Auic. vocauit cotylum, apud Razem dicitur phiala. Quartarius dicitur keilati, apud Auic. eſt cotyla media, apud Razem vocatur kalix. Acetabulum, ſex nominibus vocatum inuenio, kaſſuf, kisfuf, apud Serap. aſunefi, acſufi, apud Auicen. aneſimen, atſace: cyathus, quatuor habet nomina, dicitur primo cuatum, apud Serap. & Razem komos, ab Auicen. briala, Razes, quandoque dixit cuabium. Cochleare, ſeptem nominibus appellatum inuenietis, a Serap. dicitur phalgeri, dicitur etiam phalier, colanano, paclanarium, vel ſaclanarium. Razes vocat coclanarium, dicitur etiam ciames. Miſtrum, ab Auic. vocatur duobus nominibus, ſcilicet muſtarum, & meſtrum, apud Serap. dicitur muchitrum miſſochaos, Serap. ſignificat dimidium congij.

Hæ ſunt menſurę, & pondera, quę ego longa obſeruatione, & apud medicos, & apud ſcriptores de ponderibus, & menſ. inuenire potui ſecundum Arabes.

De alijs quibusdam ponderum, & mensurarum notis. *Cap. IIII.*



Ed perfectæ tractationi de ponderibus, & mensuris desunt etiam & alia, quæ frequentissime inuenietis apud medicos. modo enim dicunt ad quantitatem lupini, modo ad quantitatem fabæ, modo ad quantitatem nucis; quę uoces sæpe iuniores, atque etiam medicos perfectos ualde dubios reddunt; quare utile erit si etiam huiusmodi pondera poteritis ex vobis ipsis statim ad pondus mensurale reducere. Lupinus a Græcis vocatur θέρμος, Arabes, vt intellexistis, dicunt danich. qui Arabes imitati Cleopatram dicunt pendere duas tertias obuli, siue 8. grana tritici, atque hoc inuenietis proditum a Serapione, & a Raze. Faba multiplex erat apud medicos, & primo erat faba Aegyptia, quæ vt potestis colligere ex Plinio, lib. 18. cap. 12. erat maior omnibus alijs, atque hæc, vt tradit Soranus in introduct. medic. pendebat scru. ij. in libro tamen de ponder. Galeno adscripto habetur fabam aegyptiam pendere cōsueuisse sesquiobolum: faba Alexandrina pendebat scru. iij faba græca, scrup. 1 latina vero scrup. s. Eruum pendebat ereolis ij. hoc est octaua parte scrupuli. Glans, vt ait quidam scriptor Græcus de pond sine nomine, pendebat drac. s. Nux duplex erat, vt etiam hoc tempore, nux regia, & auellana, regia appellata est nux magna, auellana modo nux minor, modo nux pontica. Nux pontica, seu auellana, vt habetis apud Soranum, pendebat drach. ij. secundum alium Græcum drac. v. Nux regia, seu maior, vt tradit Cleopatra, pendebat scr. iiij apud Soranum drach ij & scrup. 1. apud Nicandri interpretem dra. viiij & scrup, 1. Granum ciceris apud medicos est quarta pars scrupuli, sed dicetis, cur nucis maioris pōdera fuerunt apud scriptores adeo diuersa? dico propter duo. primo, quia hæc nux apud varias gētes, & maior, & minor est, prętereà nux capitur modo cum cortice viridi, modo sine cortice: quando igitur nux multum pendet intelligēdum est de nuce cum cortice viridi. His omnibus (ni fallor) habetis veram rationem, quomodo possitis omnium scriptorum medicinæ intelligere pondera, & mensuras, sine quibus fieri non potest vt vnquam possitis ad imitationem antiquorum, vel componere medicamenta, uel ipsorum compositis uti.

De varijs purgantium medicamentorum generibus, ac differentijs. *Cap. V.*



Ggrediamur nunc ſecundum caput, quod eſt de quantitate in ſingulis medicamentis uſurpanda, quod quoniam res penè infinitas ſub ſe complectitur, cum corpora ægrotantia ſint innumera, & medicamenta etiam penè infinita, rem ego totam ſub capita quædam vniuerſalia redigam, a quibus totam methodum, & rationem adhibendi debitam quãtitatem in componendis medicamentis comparabitis. Primo itaque ſciatis, quod & alias docui vos, quantitatem medicamentorum ad compoſitionem pertinentem duplicem eſſe, aliam in mole, aliam in virtute, addamus. & tertiam in virtute, & mole exemplum ſcrupul. 1. ſcammoneæ, eſt magna quantitas in uirtute. vnciæ. 1. rhabarbari eſt magna in mole. drachm. 1. collocinthis eſt magna quantitas in mole, & in virtute. Dixi pertinentem ad compoſitionem, quia ſolet etiam fieri alia diſtinctio quantitatis, quando dicimus quantitatem diſcretam, aut continuam. Sed conſideratio futura quantitatis non pertinet ad hoc caput: præterea notandum eſt, duo eſſe communia genera medicamentorum, quæ veniunt in compoſitionem, alia enim dicuntur purgantia, alia alterantia. Medicamentorum purgantium, & alterantium, alia dicũtur mitia, alia mediocria, alia vehementia, atque hæc omnia adhibentur extrinſecus, vel intrinſecus: appello mitia medicamenta qualia ſunt lenitiua, vehementia qualia ſunt ſcammoneata, mediocria, quæ ſunt inter hæc media, & melius audietis. In medicamentis alterantibus dicũtur mitia, quæ in qualitatib⁹ primis, ſecundis, & tertiis parũ excedũt primum gradũ. dñr vehemẽtia quæ a tertio gradu perueniunt ad quartum. mediocria, q̃ ſunt circa ſcđm gradũ. Et qm̃ ſuo loco recenſui vobis diligenter medicamẽta alterantia, opereprçciũ eſt, vt hoc in loco breuiſſime recenſeã purgãtia, id quod maximè cõducet ad cognitionẽ cõpoſitionis. Leniẽtia igitur appellãtur tribus noĩbus, a Gal. dicũtur interdũ ἐκπρωτικὰ seu ſtercoraria, vocantur ὑπακτικά, ſeu ſubductoria, & ὑπίλατα, De his loquẽs C. Celſus dicebat liquare aluũ, vel ventrẽ: appellant aũt lenitiua, & ſubductoria quia ducũt ſolum ea, q̃ ſunt ĩ vẽtriculo inteſtinis, & ĩ primis venis: ſunt aũt hæc mãna, caſſia, pruna, ſebeſtẽ ſerũ, cnicus, therebinthina, ſena, aloes, ius galli, tamarindi, ius maluç

Lenientia medicamenta.

Quæ ſunt medicamenta leniẽcia.

betę ius primũ brassicæ, succus rosarũ; sed video vos statim hoc in loco dubitaturos, quomodo dicam hęc medicamenta subducere aluum, quoniam multa ex his, vt aloes, & sebesten dicũtur a Galeno, & Mesue proprios quosdam humores ducere. respondeo verum esse, aliqua ex his trahere proprios humores, veruntamen vtimur etiam his ad leniendum solum, & ad ducendum stercus, quando scilicet vel in minori quantitate, quam conueniat damus, vel quando pręparamus ipsa, aut decoquendo, aut abluendo, aut simile quid circa ipsa efficiendo, adeo vt frangamus facultatem illam purgatoriam, & solum vtamur ad leniendum. Sed dicetis non ne possumus etiã sic oĩa medicamẽta facere lenientia. nequaquam, quia alia medicamenta electiua trahentia nunquam denudantur a facultate propria, & familiari, etenim etiam quod rhabarbari modicam quantitatem exhibeatis, aut scammoneæ, etiam quod decoquatis abluatisue, semper ducent aliquid proprij humoris, aut perturbabunt, & non ducent, & videbitis sępe, quod aliqui putantes lenire aluum, si deglutiant modicum rhabarbari, vehementer torquentur, & tamen aluus non ducitur, quia hęc medicamenta non possunt fieri lenientia. Quæ purgant mediocriter sunt rhabarbarus, agaricum, myrobalanum, polypodium, epithymus, turbith, ellebor. niger. Quę vehementer sunt, elleborus albus, dende Serap. & Auic. & vocatur Constantinopolis apelmeluch, granum gnidium, catapucia, Lapis arm. hermodactili, esula, seu titimallus, elaterium, scammoneum, colocyntis.

Dubitatio. — *Solutio.* — *Num quauis medicamenta purgãtia possint fieri lenientia.* — *Medicamẽta quæ mediocriter purgant.*

Inter quæ purgantia Auerroes. 5. collect. cap. penultimo: vt artem componendi medicamenta dictaret, imaginatus est gradus, adeò vt sicuti inter alterantia medicamenta, alia sunt primi gradus, alia secundi, alia tertij, alia quarti: sic etiam inter purgantia reperiantur huiusmodi gradus. Auerr. consilium est sane subtile, veruntamen puto breuiorem esse viam, quam monstraui de trino ordine purgantium; non est tamen prętereundum, medicamenta pręďicta, quę in vsu sunt apud medicos, alia esse, quę purgant pituitam, vt elaterium, antimonium, tithimallus, myrobalani emblici, cnicus, colocynthis, turbith, catapucia. hermodactilus, euphorbium. Alia purgant flauam bilem, vt rhabarbarum, scammonium, aloes, tithymalli succus, succus rosarum, myrobalani citrini. Alia melancholiam, vt ellebor. vterque. myrobalani nigri, indi, chebuli, rhabarbarum, lapis lazuli, lapis arm. polypodium, sena, epithymus. Mirabitur forte aliquis vestrum, cur inter purgantia adnumerem aliqua lenientia, sed illud scire debetis, etiam medicamenta lenientia trahere aliquo pacto humores familiares, & hoc non inconuenire, vt non est absurdum, vnum & idem

Auerr. medicamentis purgantibus gradus posuit. — *Purgantia pituitam.* — *Bilem.* — *Melancholiam.*

Idem medicamentum trahere diuersos humores. Vt autem certa methodo possitis comprehendere quantitatem usurpandam medicamētorū purgantium, de quibus est nobis primo sermo habēdus, ante cetera animaduertere debetis, purgantia duplici modo intelligi, uel per excellentiam, uel communiter. dicuntur communiter purgantia, quęcunque ducunt excrementa per vias naturæ familiares. quot autem sint uiæ naturæ consuetę docuit Hippocrat. lib. de structura hominis, ubi scribit excretiones a natura fieri in uiris per uomitū, oculos, nares, sputa, sudorem, uentrem, incertos meatus, capillos, & ungues præter has autem in fœminis fieri etiam excretiones per lac, & menstruas purgationes. Alio modo sumuntur purgantia per excellentiam, in quo significatu complectuntur ea solum medicamenta, quæ euacuant, uel per uomitum, uel per deiectionem. De his postremis nunc acturus sum: de omnibus autem purgantibus agam suo loco. Sunt uero purgantia de quibus tractabo, alia quæ extrinsecus administrantur, alia quæ intrinsecus, quæ intrinsecus, aut ore assumuntur, aut per anum infunduntur, dicā primo de his quæ sumuntur per os, deinde de ijs, quæ infunduntur per anum. sunt autem, quæ per os sumuntur, aut simplicia, aut composita. A simplicibus exordiens dico, huiusmodi medicamenta, alia esse, vt intellexistis, lenientia, alia mediocria, alia vehementia. Lenientia, quæ primum locum sibi vendicant, cū sint simplicia, & composita, primo vbi simplicia lenientia in vsum venire debent, ea quantitate semper sumenda sunt, quæ conueniēs est. Dico semper, modo nulla adsit conditio ex ijs, quæ uariant quātitatem, quas tractabo suo loco. sed dicetis quæ est hæc quantitas lenientium conueniens? quantitas medicamentorum, proculdubio non est inuenta vlla alia ratione, quam longa experientia, quapropter, si conuenientem quantitatem inuenire uolumus, non aliunde petere debemus, quam ex scriptis antiquorum, qui hanc quantitatem nobis reliquerunt. & aduertite, quod tametsi simplicibus lenientibus aliqua misceri a me audietis, non propter hoc debent appellari vere composita, sed partim composita, partim simplicia simplicia, quia non miscentur alijs purgantibus medicamentis composita vero possunt dici, quia nullum est adeo simplex medicamentum, leniens, quod in vsum veniat sine aliqua, uel præparatione, uel commixtione, quæ præparatio, & mixtio in id efficitur, vt corrigatur medicamentum, uel corroboretur, uel facultas augeatur, uel ob aliquam aliam rationem, e. g si danda sit māna, proculdubio, necessarium est, vt colliquetur in brodio, ut percoletur. Si danda est cassia, necessarium est vt extrahatur, per colum transmittatur, & tandem nullum simplex in usum venit, quod

Purgantia duplici modo intelligi.

Purgantia aut intrinsecus, aut extrinsecus adhibentur.

Quantitas medicamentorū p experientiam est inuenta.

non egeat aliqua compositione, vt iure debeamus nos excusari, si in tractatu de compositionibus medicamentorum, de simplicibus lenientibus, & purgantibus verba faciemus.

De lenientium simplicium dosi. *Cap. VI.*

Cassiæ dosis.

Flatus excitat.



Assiæ, siue detur in brodio, siue in bolo, dosis est à dra. iiij. ad dra. xij. commiscetur cassiæ interdum puluis anisorum, fœnic: aut aliud aroma, quia miros flatus, & tormina excitare solet. Mesues iudicauit addendum esse rhabarbarum, mastichem, spicam, sed vbi addit rhabarbarũ, non amplius est lenitiuum simplex, quapropter vbi stomachus est admodũ infirmus, laudo vsum mastichis, Auerr. 5. collect. cap. 51. scribit dosim cassiæ esse eandem, quam thamarindi. f. à dra. x. ad drach. xv.

Mannæ dosis, quã tradit Mesues diuersam à nostra.

Mãnæ dosis, quæ vsurpatur, diuersa est ab ea, quam nobis reliquit Mesues, is enim scribit consueuisse eam dari à dra. vj. ad dra. x. nostro vero tempore datur ab vnc. ij. ad v. immo uero experiẽtia quotidiana comprobatur, vnc. ij. aut iii. plerunque nihil efficere. quid igitur de Mesue? dico vel mannam sui temporis fuisse multum diuersam à nostra: & ratio est, quia tempore Mesues, quãdo primum cœpit esse in usu, dimittebant eam homines magis maturescere, tempestate nostra, quando iam creuit cupiditas habendi, homines magis lucro, quam ægrorum saluti dediti, non permittunt maturescere, unde cruda existens, nõ ita potest operari. Possumus & aliud dicere, quod scilicet, nõ loquatur de mãna per se accepta, sed cum aliis medicamẽtis inquit enim, mannam dulcorare cetera medicamenta, adeo ut si Mesues intelligatur de manna, cum aliis medicamentis usurpata, à ueritate non aberat. An uero hoc medicamen-

Mannã Galen. non cognouisse, vt purgans.

tum fuerit cognitum Galeno, ut uidetur testari Mesues, an potius ignotum, ut credit Auerr. 5. coll. sum ego huius sententiæ eã cognouisse Galenum, sed obscure, neque ut medicamentum purgans, etenim mel illud aereum, de quo mentionem facit 3. de aliment. fac. est quidem species mannæ, sed non in eam formam redactæ, quam cognouerunt Arabes. Illud notandum est nobis, quod de manna memoriæ mandauit Auerr. consueuisse medicos in morbis calidis

Mesues cõmiscet isopũ mannæ.

vti manna, etiam non apparentibus coctionis signis. Mesues laudauit, ut mannæ commisceretur hysopus, sed intentio eius non admodum mihi clara est, nisi dicamus, mannam, ut & alia gummata, uiscidam esse, & propterea opus hẽre aliquo quod attenuet, atq; pmeet.

Pruna dulcia.

Inter lenientia adnumerãtur etiam pruna dulcia, præsertim melle, aut mulsa cocta, & deinde ipsa mulsa, vel melle absorpta. sed aduer

tendum

tendum est, non omnia pruna habita esse inter lenientia, sed solum damascena uocata, & hiberica, quæ secundum sententiam meam, sunt nostra uerdacia uocata De dosi prunorum, dicit Mesues eam esse ad lib. 1. sed si quis prunorum libram manducare velit, iam satur erit quid igitur dicendum? dico, mea sententia intelligendum esse Mesuem, quod quando coquuntur pruna cũ mulsa, & aqua debent omnia esse ad quantitatem libr i. ad summum, quia in ipsa coctione postmodum magna pars materię euanescit. animaduertendum est, id quòd scribit Mesues de Armenis, qui scribit eam gentem, ut faceret pruna solutiua, consueuisse arborem in tribus locis distantibus spacio vnius palmæ perforare, atque in foraminibus indere frusta scammonii, ac postea luto obturare, nam succus quo fructus nutriuntur, cum facultatem scammonii ebibit, consequenter fructus ipsos donat eadem facultate. Miratur Galenus 6. de simpl. quod Diosc. dixerit pruna damascena aluum adstringere, sed puto ego Dioscor defendi posse, quod id dixerit non de omnibus damascenis, sed de aliquibus, quando etiam teste Galeno sunt aliqua huiusmodi pruna, quæ multum adstringũt. Galenus 5. de val. tuẽd. cap. 9. inter medicamenta pro liquanda senum aluo, adnumerat etiam terebinthinam, quæ tam cypria, quam larigna nostra in usu etiam est tempore nostro, non solum ita simplex, & rudis deuorata sed etiam lota, dosis eius est a dra. iii. ad vnc. i. Sena, nec Gal. neq; Græcis videtur fuisse nota, & nescio vnde Mesues accepit, quod Galenus de sena sit locutus; magno studio perquisiui apud Galenum, & Græcos, sed nihil inueni, quod vix possit senam adumbrare; datur & in puluerem redacta, uel etiam in decocto, & maceratione, sed ubi decoquitur parum bullienda est, quia statim euanescit facultas. Dosis senæ in substantia, secundum Auerro. est a dra. 1. ad dra. ii. in decocto uero a dra. v. ad dra. vij. Mesues uidetur etiam eandem dosim nobis tradidisse, qui scribit dosim infusæ senæ esse ab aureis iij. ad vnc. 1. & notate, in codice Iuntarum Mesues male scriptum esse ab aur. iij. ad dra. 1. quia debet dici ab aur. iii ad vnc. 1. Ad corrigendam senam solet admisceri sal indus, zingiber. Dicit Mes. & rectè, si addant senę pulueres cordiales, & stomatici, fęliciorem eius operationẽ reddi. Adnumerat Auerr. inter lenientia, etiam semẽ urticæ, cuius facultatem igneam, inquit aboleri per decoctionem, atq; dosim ipsius esse a dra. iii ad dra. iiii. Sebesten, qui a Gręcis dicuntur myxa, & a Paulo myxaria non fuerunt noti, neq; Gal. neq; Diosc posteriores oẽs vñr cognouisse atq; ẽt vsi esse ad leniẽdã aluũ dosis ipsorũ, vt hẽtis apud Paulũ, li. 4 c. 57 est a dra. x. ad xij. qđ tñ intelligẽdũ est de sebestẽ solis exhibitis. scribit Gal. 3. de alim. fac. c. 15. veteres medicos vsos esse ad leniendum aluum sero, de cu-

Armeniquõ pruna fecerint solutiua

Pruna damascẽa Dio sc. aluum ad stringunt.

Trebĩthina.

Sena Gale. & Græcis ñ cognita.

Dosis sena.

Sebesten.

Dosis.

de cuius dosi sermonē faciens Mesues, scribit esse ab vnc. vj. usque ad lib. 1. sed huiusmodi dosis est potius ad alterandum, quam ad leniendam aluum: quia hæc quantitas nihil mouet aluum, quapropter nisi sit error in codice Mesues, debemus existimare locutum esse non de simplici sero, sed de eo, cui alia purgantia miscentur. quare melius uidetur Diosc. dixisse, qui scribit seri dosim esse usq; ad heminas v. siue ad vnc. 50. Paulus quoque melius sensisse videtur, qui pueris sextarium unum seri. i. vnc. xx. viris duos sextarios, seu vnc. 40. exhibendas consulit. Galen. & Aetius, ne serum offendat uentriculum, iubent misceri, uel modicum salis, uel modicum mellis, addit Galen. quod quanto magis optamus serum soluere, tanto plus debemus addere salis. sed statim insurget ingeniosus, quomodo sal potest augere facultatem seri soluendi? nam ut dictum est a nobis in tractatu de sapore, sal magis adstringit, quā abstergat. præterea Hippoc. lib. de aere, aquis, & locis, scribit eos mentiri, qui putant aquas marinas, & salsas aluum soluere, cum potius adstringant, immo uero Galen. 12. Meth. cap. primo, inter potentissima remedia sistendi dyssentericos fluxus adnumerat muriam acerrimam, quo etiam genere p̄sidij scribit Celsus lib. 4. ca. 15. Themisonem medicum usum esse ad curandos dyssentericos: Respondeo aliud esse uti sale, & salsis solis, aliud cum alijs liquoribus, si vtamur solis, proculdubio adstringunt, & de his loquebatur Hipp. & his utebatur Galen. & Themison: sin loquamur de sale, & salsis admixtis aliis liquoribus, soluunt aluum: audite rationem. in sale est duplex pars, terrestris, & ignea cum qua est acrimonia, inter has partes terrestris superat, quia uero, ut dicebat Galen. terrestris proprium est adstringere, hinc fit vt sal, uel salsa sola data adstringant, quia pars terrestris superat, vbi vero miscentur ceteris liquoribus, quid fit? a liquoribus pars terrestris eluitur, ignea remanet, quare diluta pars terrestris, non potest adstringere, ignea stimulat uirtutem expulsiuam, & hæc est ratio, qua vulgus practicantium, & bene, iubet admisceri sal in clysteribus: Galen. 5. de tuen. val. cap. 9. inter remedia aluo ciendæ accommodata adnumerat quoque cnicum pari pondere cum ficubus acceptum, appellatur cnicus ab Arab. cartamum, dicitur etiam semen psitaci, & notate apud Galenum pro ficubus aridis non intelligēdum esse de quibuscunque, sed de pinguissimis, quæ a Vegetio lib. de med. mulorum uocantur ficus duplices, & ab Horatio Flacco. Auerr. scribit cartamum excellere omnia medicamenta purgantia sine timore, tamen Diosc. & Mesues dicunt offendere stomachum, propter quod vult Mes. misceri anisum, galangam, mastichem, & similia. Dosis cnici, vt Auerro. tradidit est, a drach.

Seri dosis ex Diosco. & Paulo.

Sal mistum sero vim ciues soluēdi promouet.

Sal vtrum Astringat.

Sal, per se aluum adstringit admixtum liquoribus.

Cnicus.

Ficus aridæ apud Galenum, quid sint.

drac. x ad drac. xij. quod etiam Paulus videtur sensisse, quando ex drac. x. cnici, & cordumeni, cõsulit fieri suas illas pilulas. Ius galli antiqui inter cętera leniẽtia a medicis numeratur, cuius administratio duplex est, simplex & composita: composita varijs pro varia medici intentione, commiscetur medicamentis, sed de hac tractabimus vbi agemus de compositis. Simplex administratio est, quę fit solo sale, & de hac intelligenda est Galeni oratio, quãdo scribit, ius galli antiqui aluum ciere. modus faciẽdi hoc ius secũdũ Diosc est, vt coquatur gallus in sextarijs xx. aquæ, vsque quo remaneant tres heminæ, tres heminæ sunt sextarius vnus, cum dimidio: sed si rem ipsam ęstinem⁹, hic mod⁹ Dioscoridis inutilis est, qm̃ si velitis decoquere vsq; quo tantum aquæ consumatur, eliquabitur tota caro, quare puto ego melius esse, vt decoquatur solum vel ad dimidij consumptionẽ, vel ad duarum tertiarum. Ius brassicæ primum, ius maluæ, ius betæ similiter reponuntur inter lenientia, & dosis vniuscuiusq; iuris solet esse ad summum lib. j. minima quantitas lib. s. Rosarum, & violarum facultatem lenitiuam neq; Galenus, neq; Græci, medici neq; etiam Auerr. cognouisse videtur, vnde intelligere potestis in multis hanc nostram ætatem superasse veteres omnes. vnus Diosc. videtur meminisse vnguenti ros. quòd soluit, ex quo loco potestis colligere duo, vnus quòd Diosc. non ratione rosæ, sed ratione liquaminis, vnguẽtum soluere voluerit. aliud, veteres in vsu habuisse potare etiam vnguenta. id quòd frequentissime reperietis apud medicos, apud Plutarchum, & Plinium, vt non sit negandum, quin veteres potarint vnguenta, quod non fit ætate nostra. Scribit Mesues dosim succi rosati esse ab vnc. j. ad vnc. ij. cum saccharo: idem etiam de succo viol. sed dicetis quomodo igitur dicit Mesues, dosim viol. esse ab vnc. iiij. vsque ad vnc. viij. puto ego intelligendum esse non de succo viol. sed de infusione. solet accipi succus viol. & ros. cum sero lactis, & pro correctorio additur spica. sed circa rosas vnum operę precium est aduertatis, Mesuẽ vel errasse, vel non cognouisse facultatem albarum rosarum, scribit enim rosas albas non soluere, veruntamen rosæ illæ quæ dicuntur damascenæ soluunt vehementissimè aluum, ita vt cum experientia sit contra Mesuem, aut non cognouit has rosas, aut nullam habuit experientiã. Aloe a Galeno 6. de simpl. ponitur inter medicamenta, quæ aluum liquant. In hunc vsum dupliciter administrãt lota scilicet & nõ lota, dicit Galenus 7. Meth. & 3. de simpl. & 8. de local. lotam minus aluum liquare, quã illotam, sed magis ventriculum corroborare. sed debetis intelligere de lota aloe cum aqua simplici, quia varij sunt modi abluendi aloen, & tempore nostro sunt qui abluunt succo rosarum, sunt qui abluunt decocto rhab. Brixiae etiam apud moniales abluitur, vt intellexi

Ius galli.

Coctio galli ex Diosc.

Confutatio Diosc.

Vera cõsut.

Rosa, & viola quarũ facultas latuit Græcos & Gal. Auer. cognouit.

Aloes dosis.

tellexi, decocto rhab. & succo rof. quæ aloe non solum magis soluit quam illota, immo vehementissime soluit: itaque quando dicunt aloë lotam minus soluere, intelligendum est de lota cũ simplici aqua. Dosis aloes secundum Auer. 2. collect. est à drac. j. ad drac. ij. secundum Mes. ab aurei dimidio ad drac. ij. in infusione vero ab aureo. j. vsque ad drac. iij. Galenus 8. de med. local. 2. scribit, aloem solã non habere magnam vim purgatoriam, sed si exhibeatur in maiori dosi ascendere vsque ad iecur, quocirca non possum satis mirari Auic. qui dixit, aloem nocere hepati, cuius sententiam magno hominum detrimento etiam medici interdum sequuntur, quia credentes hac in re Auicenæ, sæpe recusant ægro hoc genus medicamenti, quòd posset maxime iuuare, imò verò in lib. qui inscribitur de remedijs paratu facil. habetur aloem iuuare iecur, & si secundum Auic. aperit aloe obstructiones iecoris, quòd detrimentum inferre possit non video. Tamarindos non cognouit Galenus, neq; illa ætas, & fuerunt etiam temporibus posterioribus qui existimarunt, tamarindos nequaquam soluere aluum. verum Auerr. manifeste ait eos aluum liquare, neque obstare quod habeant aliquid stypticitatis. Dosis est secundum Auerr. à drac. x ad drac. xv. in substãtia. Mes. verò ait debilis esse operationis, & propterea dari ab vnc. ij. vsque ad vnc. v. & certe quantitas huius medicamenti apud me est magis probata, quia in minori quantitate si detur, raro aliquid boni facit. Haec sunt medicamenta mitia simplicia; quæ sunt in frequẽtiori vsu. De compositis agam suo loco ne vos confundam. Sed circa quantitatẽ lenientium statuenda sunt nonnulla, magna sedulitate aduertenda, vnum, quod tametsi hæ sint doses cuiusque medicamenti conuenientes, veruntamen propter multas occasiones medicamenti variantur, ita vt cogantur medici varijs occasionibus modo transgredi has doses, modo ab illis deficere. Vna occasio est tempus anni, quia cum hyeme corpora sint adstricta, minus soluuntur, ea propter debẽt medici eo tempore aduertere, vt lenientibus vtantur in maiori quantitate, æstate verò cũ corpa sint spõte laxa, & fluida, cum sint aperta, lenitiua debent adhiberi in minori quantitate. Secunda occasio est regio, quia in regionibus, vbi homines fere habent aluum adstrictam, vt Hipp. lib. de aere, aquis, & locis recitat de ijs qui habitant ad vẽtos frigidos inter occasum æstiuum, & orientem æstiuum, maior quantitas danda est, ex aduerso in regionibus, vbi aluus est fluida in minori copia sunt addibenda. Tertia occasio est ætas, & sexus; pueris enim & senibus, qui aluum fluidam habent, semper minus dandũ est; similiter & mulieribus, eo quia cũ corpora mulierum sint humida, atq; mollia, facile ijs solet aluus solui, idem dicendum est de eunuchis, de balbis, nã est Hipp. authoritas 6. aph. balbos alui proflu-

Tamarindi.

uio

uio maxime capi. Quarta occasio est vitæ studium. nautæ enim atque omnes illi, qui exercent artem ad ignem,& sedẽtariam,habent aluum adstrictam, dicebat enim Poeta ille, fabrorum prandia betæ. Istis omnibus in maiori dosi danda sunt medicamenta lenientia.ex aduerso qui exercent corpus, aut aliam artem faciunt,propter quã habeant aluum solutam,ijs minus est dandum. Quinta occasio est consuetudo sumendi medicamenta.dicebat enim Auic. quod medicamenta frequenter accepta fiunt familiaria naturæ, ita vt nihil operentur, ea propter, qui consueuerunt frequenter medicamenta potare,exhibenda sunt lenientia in maiori dosi, Sexta & postrema occasio est proprietas indiuidualis, circa quã debetis semp esse diligentes inuestigatores, quia vidi in hac proprietate indiuiduali cõmissos esse errores loethalissimos, quia sunt qui solo odore soluuntur,quibus drac.j. vel altera cassiæ aluum soluit, quibus si in maiori quantitate demus, vsque ad sanguinem excernunt. sunt contra qui difficillime soluuntur. habetis historiam de Eudemo medicamentario,apud Theophr.lib.9.de hist.plant. cap.19. quem scribit interdum 22. potiones ellebori sumpsisse vna die, nec esse purgatũ, sic etiam inuenietis quos drac.ij rhab. non purgabunt, quare diligenter est aduertendum proprietas, vt quando vultis præscribere medicamenta leniẽtia,semper de hac diligenter interrogetis. Tot sunt igitur quæ possunt efficere,vt dosis medicamẽtorũ varietur. Aliud obseruandũ circa quantitatẽ lenientiũ est,quòd quãdo correctoria cõmiscentur,non cõmisceãtur neq; in nimis magna quantitate,neque in nimis pauca,nam si in nimis pauca,nihil efficiet correctoriũ: sin in nimis multa,destruet operationem. exemplum, si exhibere placeat drac.x. floris cassiae, & placeat corrigere cũ anisorum puluere, si grana x.misceatis, nihil efficiatis. si misceatis dra.ij.vel iij.destruetis facultatem solutiuam. quare melius est vt non transcendatis à scr.i.ad scr.ij.adeo vt quãtitas correctorij sit respectu medicamẽti lenientis circa duodecimam partem.Tertium obseruandum, est, quòd quando lenientia dantur in magna quantitate, plus semper differendus est cibus,qũ in minori minus,exemplũ,si dabitis drac.j. cassiae sat erit differre cibum ad horam vnam, si vnc.j. s. melius erit differre per horas ij.ratio est,quia medicamentum in maiori quantitate exhibitum nisi prius aliquetur,atque actuetur à ventriculo, antequam cibus detur,perturbatur medicamentum & cibus ipse, & qui hoc non obseruant perturbare solent stomachum, & immerito accusant medicamentum.

Mocediriter purgantium dosis. Cap. 7.



POst lenientia sunt medicamenta, quæ mediocria esse diximus. circa quæ illud primo animaduertere debetis, medicos rarò huiusmodi medicamentis vti sine alicuius lenientis admistione, quãdo autem exhibentur sola, nam de solis nunc loquimur, duplici modo exhibẽtur, vel non alterata, vel alterata, non alterata appello quando nihil fit circa ipsa. exẽ.g. quando masticatur rhab. aut myrobal. nihil facit ars. quando vero aut infunditur rhab. vel in puluerẽ redigitur, tunc alteratur, quando igitur exhibetur non alteratum, nullo opus est correctorio, dicebat enim Auer. & rectè, rhab. nullum secum venenum habere, & esse veluti frenum quoddam aliorũ medicamẽtorũ, propterea non miremini si medici curẽt masticari rhab. absq; correctorio. Cũ igitur hæc medicamenta simplicia adhibentur vel non alterata, vel alterata scilicet, vel pulucrizata, vel decocta, vel infusa, variatur dosis, & quantitas, secundum vnam quamq; alterationem. Rhabarbarum, vt ab hoc incipiam, ignotũ fuit Galeno, & omnibus Græcis, & quamquam Gal. & alij mentionẽ fecerint rhei, est tamen cõmunis opinio, quod locuti sint de rheo pontico, nõ de barbaro, eo quod huiusmodi rheũ ponticum habet vim adstringendi, & isti qui nominarunt rheum simpliciter, cognouerunt istud tamquàm medicamentum adstrictorium, non tamquàm purgatorium, solus Paulus videtur tribuisse rheo aliquam vim solutoriam, cum enim doceret quæ nam essent medicamenta lenientia aluum sanis, inter alia numerat therebinthinam, & dicit, si volumus eam magis lenire aluũ, debemus miscere aliquid rhei, ex quo colligitur cognouisse rheum tamquàm solutorium, quamquàm etiam possumus dicere addidisse rheum, quoniam modica adstrictio iuuat ad penetrationem, & ad accelerandã solutionem, quare dicere possumus Paulum non vsum esse rheo tãquam solutiuo, sed tamquàm adiutorio ad facilitandam therebinthinam sua adstrictione: quapropter grauissime errarunt omnes, qui non erubuerunt damnare Galenum, quod tradiderit facultatẽ adstrictoriam rhab. quasi Galenus cognouerit rheum nostrum barbarum. Sed quia disputatio hęc grauissima est, poteritis consulere coriphæum vestrum Guilandinum, qui de hac re vos certiores faciet. Dosis rhab. in substãtia, secũdum Mesuem est à drac. j. vsq; ad dra. ij. vel iii. in infusione est a drac. j. s. vsque ad drac. ij. & tres. & notate corruptam esse literam Mes. quæ dicit vsque ad drac. x. quia fieri nõ potest vt hæc quantitas exhibeatur. addit Mesues pro correcto-

rio.

rio spicam;& quamquã dixerit Auerr.non egere fræno,tamen præstat semper aliquid commiscere, vel spicam, vel cinamomum, vel schoenantum,vel spicam celticam. Sed dicetis, cur Mesues non videtur fecisse multam diuersitatem inter exhibitum rhab. secundum substantiam,& in infusione, dico non sine magna prudentia factum esse,imò licere dari rhab. secundum substantiam in maiori quantitate, quam in infusione, quia substantia rhab. duplex est, acris & ignea,terrestris & crassa,ratione crassitiei,& terrestricitatis adstringit,ratione partium acrium soluit,& stimulat, qua propter si in substantia detur,castigatur vis illa acris, ita vt non possit multum soluere;in infusione autem tantum datur pars illa acris, & ignea, quia illa est quæ immiscetur liquori,cui infunditur; facultas autem adstrictoria,quia est in substantia terrestri, & crassa,remanet, adeo vt in infusione vis rhabar. solutoria non castigetur à parte terrestri, & propterea debet exhiberi in minori dosi.

Agaricus vocatus est a Democrito medicina familiæ, quasi propter benignitatem esset medicamentũ naturæ nostræ familiare, & benigne sed forsan hoc dici poterat tempore Democriti, & Hipp. quando scilicet rara habebant medicamenta benigna, ætate nostra hoc nequaquã potest dici,quia plurima habemus multo benigniora, immo vero si expendatur ex se natura agarici,procul dubio nullo pacto est nobis familiaris,quia concitat vomitum, & perturbat:an hoc faciat propter siccitatem,vt videtur testari Auerr.an potius propter aliud,puto ego facere propter sui leuitatem,quia vt videre potestis,agaricus est foraminulentus,vbi ingreditur ventriculum supernatat, & repletur humoribus,atque sic vomitum ciet, & perturbat ventriculum,quare iure factum est à Mesue, qui vt corrigeretur agarici facultas,iussit admisceri modo sal gẽmæ,modo Zingiber ex Galeno, ego verò agaricum præparare soleo cum speciebus hiere,cui etiam admisceo aliquid salis gemmæ, atque in pastillos redigo, & huiusmodi agaricus præparatus solet innocentissimè exhiberi. De dosi agarici,scribit Plinius consueuisse dari obul. iiij. cum duobus cyathis aceti mulsi. Auerr. autem inquit,agarici dosim esse à drac.j ad drac.ij.quòd item confirmat Mesues. sed intelligendum id est de agarico dato in substantia. vbi enim datur in infusione,dicit Mesues dosim esse à drac. ij. ad drac. v. sed tempestate nostra vix transcendere consueuimus drac ij.etiam in infusione. *Agaricus.* *Dosis.*

Myrobalanorum,qui in arte medica maximum habẽt vsum nullam tractationem reliquisse nobis Galenum testatur Auerr. nec dicatis apud Galenum sæpe reperiri mentionem myrobalanorum,vt 8.de med.local. ij. xij. Meth. & alibi.nam etsi Galenus locutus sit, non tamen ex proposito de his tractauit,id, quòd intelligere voluit *Myrobalani*

Auerroes.

Auerroes.Quinque sunt genera myrobal.vt norunt omnes, citrini, chebuli,emblici,bellirici,& indi,seu nigri. Dosis vt docet Auerr. in substantia est à drac iiij. vsque ad vj. in decoctione vero à drac. vij. vsque ad x. Ceterum Mesues in hac re non parum ab Auerr. diuersus est,primo quia Auerr.omnium myrob.communem dosim facit. Mesues vero particulares fere singulorum generũ doses facit, vult enim emblicorum dosim esse in substãtia ab aureo.j. vsque ad iij. in infusione vero ab aur.iij.vsque ad vj. rursus citrinorum esse in substantia à drac.ij.vsque ad v.in infusione à drac.v.vsq; ad xx.sed aduertendum est mea sententia contextum Mesues esse corruptũ,vbi dicit a drac.v. vsque ad xx.quia potius debet dicere vsq; ad drac.x. Chebulorum & Indorum dosim esse in substantia a drac.ij.ad drac. iiij.in infusionem a drac.iiij.ad drac.x.In hac itaque re Mesues non parum diuersus est ab Auerr.Diuersus est etiã in alio, quia Auerr. vult myrobal.dari in decoctione, Mesues autem in infusione, & dãnat decoctionem hac ratione, quia cum myrobalani sint substantiæ duræ,per decoctionem, inquit, fiunt duriores, & propterea magis obstruunt,sed pace Mesues,hæc sua sententia mihi non probatur, ratio est,q̃a corpa dura vbi elixãtur teneriora fiũt,nisi tamẽ sint admodum indurata,quapropter decoctione debent potius myrobalani teneriores fieri,quam duriores: propterea debent myrobalani administrari eo pacto, quo possit magis ipsorum virtus communicari:sed magis communicatur virtus per decoctionem, & probo, quia myrobalani si tantũ infundantur,procul dubio nõ ita substantia ipsorum durior aperitur, in decoctione autem aperitur, & ideo facultas ipsorum potest communicari decocto. Modus corrigendi myrobolanos est vt antequam decoquantur,seu macerentur,diligenter fricentur manibus, & manus sint madidæ vel oleo amygdal. dulcium, vel viol. vel sesamino. scribit Auerr. solere medicos myrobalanis miscere medicamenta lenitiua,cassiam fistulam,& turbith,sed nescire modum medendi,quasi Auerr.damnet apertissime antiquam hanc medicorum consuetudinem, ratio qua fuit adductus Auerr.est,vt colligere possumus ex Mesue, qui latenter Auerroem mordicat, quod si misceantur myrobalani, & medicamenta lenientia,mutuo operationes proprias impediunt.sed Mesues damnat Auerr.aut alium quemcunque huius opinionis, hac ratione, quod si myrobalanis misceantur lenitiua, potius augetur facultas, eo quod lenientia sua viscciditate, & lentore emolliunt duritiem myrobalanorum,& mihi magis placet sententia Mesues, vt scilicet misceantur myrobalanis cassia,manna, & alia quæ possunt lenire, & humectare substantiam myrobalanorum.

Epithymus,vt docet Auerr. datur in substantia a drach. ij. vsque ad

ad iij. In decoctione a drac. v. vsque ad vij. cæterum Mesues vult dosim epithymi esse in substantia a drac.iij. vsque ad viij. in decoctione verò a drac.v. vsq; ad drac. v. sed hoc in loco puto contextum Mesues esse corruptum,& vbi dicit ad drac. xx. legēdum ad drac.x. adducor autem ad hoc credendum,quia Dioscorides nō pertran sit epithymi drac.iiij.Oribasi⁹ statuit drac.iij. dosim epithymi. Paulus drac.v. Plinius verò a drac.iiij. vsq; ad vj. id summum cōcedit, tempore nostro vix accedimus ad drac.iij.Scribit Auerr.duo circa hanc rem vnū,quòd epithymus propter suā siccitatē indiget corrigentibus, vnde laudat commisceri nymphæam, poma, amygd. semina melonū. Alterū est,medicinas laxatiuas egere correctione pp duo vel propter facultatem calefactoriam, uel propter euacuationem. sed addenda est tertia ratio,propter naturę nostræ inimicam purgātium facultatem,vt docet Galenus, 6. Epid & alibi,sed de his suo lo co melius. Ad facilitandam epithymi operationem laudat Mesues salis varia genera,piper Zingiber,& similia.

Polypodij seu filiculę purgatoriam facultatem,aut ignorauit Galenus,aut saltem nobis non indicauit, de qua facultate scribens Auerr.inquit esse,medicinam securam,atque epithymo meliorē, vnde non possum satis mirari Plinium,& Mesuem,qui dixerunt Polypodium subuertere ventriculum,quia præter Auerrois authoritatē est quotidiana experientia, quæ declarat, aut nihil,aut parum ventriculum perturbare. Dosis Polypodij secundum Auerr. est vsque ad drac. x. Mesues vero vult dosim Polypodij esse a drac.ij. vsque ad aur iiij. datur in decoctione,vel iuris gallinacei,vel hordei,vel passularum,aliqui etiam vtuntur radicibus viridibus,& rustici interdū vtuntur cum accetarijs,& feliciter ad soluendam aluum. corrigitur dauco, aniso,semine fœnic. Zingibere. *Polipodiū.*

Quid sit turbith Mesues, adhuc certant medici, Dosis eius secūdum Mesuem est in substantia a drac. j. ad drac. ij. in decoctione a drac.ij. ad drac.iiij.hodie, quod habetur turbith exhibetur in quantitate drac. j. vel paulo plus. corrigitur autem mastiche, Zingibere, pipere longo. *Turbith.*

Elleborus niger,qui melampodius,ēt vocatus est,& quem populus Romanus, vt testatur Columella veratrum appellauit: lœdit iecur,& pulmones,vt inquit Auerr. verūtā est in magno vsu hodie apud medicos,& dosis eius secundum Mesuem est a drac.j ad aur.i s. Plinius scribit dari ab obolis iiij. ad drac. j. Hæc sunt medicamenta mediocria, quæ vsitatissima sunt apud medicos. *Elleborus.*

De

De vehementer purgantium dosi. *Cap.* 8.



SEquuntur vehemẽtia, ideſt ea q̃ ſunt in 3. ordine, & ſecundum Auerr. in 4 gradu. Inter hæc primum locum dabo elleboro albo, quem, vt teſtatur Plinius lib. 57. cap. 5. Herophilus aſsimilabat fortiſsimo Imperatori; eo quod vehementer agitet, & expellat: hoc medicamẽtum tempore Hipp. in tanta fuit exiſtimatione, vt ipſe integrum librum de ſcripſerit, cuius ſolum quatuor, vel quinq; lineas habemus. Auerroes autẽ ſcribit, hũc elleborum venenum eſſe, & nullo modo accipiendum in corpore; quod etiam confirmaſſe viſus eſt Meſues, ſed quamquã ſit vehemẽtiſsimum, & terribilia ſymptomata inducat, veruntamen etiam interdum in vſu habetur apud medicos, & non ſolum apud medicos, verumetiam apud empiricos, & plebeculam; immo verò ſcribit Plinius, ellebori albi vſum adeo promiſcuũ fuiſſe, vt plerique ſtudij gratia elleborum caperent, nam referũtur aliqui, qui dum ſcribere, meditari, aut aliquid prælegere vellent, eos prius ſumpſiſſe elleborũ ad expurgandum. Habuerunt veteres, & etiam tempore Hipp. varios modos exhibendi elleborum, atque prçclariſsimos, & tutiſsimos, vt narrat Oribaſ. 7 collect. cõqueritur tamen Galenus 3. com. de fracturis, ſuo tempore deſijſſe modum præparandi elleborum, eo quod Hipp. eũ non tradidiſſet. Datur autem hoc medicamentum, ſecundum poſteriores medicos, multis modis, in infuſione, vel mellis, vel oxymellis, vel ſapæ, vel aquæ, vt docet Paulus lib. 7. cap. 10. datur etiam in raphano. Scribit Plinius loco citato tempore ſuo inuẽtum eſſe, vnde habetis paulo ante tpa Galeni modum exhibendi elleb. in raphano inuentum eſſe, & forſan Hipp. non cognouiſſe, aut a poſterioribus inuẽtum fuiſſe. Modus quo datur elleborus in raphano explicatus eſt à Galeno lib. de purg. med. & ab Oribaſ. & eſt vt in raphano fruſtra ellebori infigantur, deinde raphanus in aceto mulſo detineatur per integrum diem, & noctem, poſt quod tempus, vel acetum ſorbetur, vel ſuccus raphani exprimitur, & ſorbetur, vel accipitur ſubſtantia raphani, quamquam etiam interdum ſubſtantia elleb. capitur, ſed rarò, de qua forſan ſubſtantia intellexerũt Auerr. & Meſues, quando dixerunt, venenum eſſe, & non eſſe in corpore accipiendum. Vbi accipitur in ſubſtantia vel accipitur in puluere, vel in fruſtis, in puluere dicunt Paulus, & Meſues ſi accipiatur, miras ſuffocationes inducere; ratio cur potius ſuffocet in puluere, quã in fruſtis, eſt, quia puluis magis adhæreſcit, & magis infigitur ſubſtantiæ ſtomachi, propter quod deinde lancinat ſtomachum, &

inde

inde ſuffocationes eueniunt. Doſis elleb. ſecundum Meſuem eſt a ſiliquis ſex vſque ad tertiam drachmæ partem, vel vſque ad drac.j. Auic. vero lib. de virib.cordis videtur ſtatuiſſe, quantitatem elleb. albi in xxij gra. cęterum Paulus dabat elleb. albi drac.j. & ad ſummum drac.ij in ſucco ptiſanę, aut alicę pro debilioribus corporibus. In aqua calida, vel mulſa pro robuſtioribus. Non eſt hic prætereundum quod ſcribit Plinius lib.25.cap.5.Themiſonem medicum conſueuiſſe elleb albi dare drac.ij. poſteriores vero dediſſe etiam quaternas.atque melius feciſſe poſteriores, propterea quod quãto plus datur elleb.albi, tanto celerius corpore exit, vnde male agunt nõnulli, qui putant ſe melius facere, quando exhibent elleb album in pauca quantitate, quia diutius horum moleſtia durat. Corrigitur cum aromatibus.

Doſis. *Quãto plus datur ellebori albi tanto citius corpore exit.*

Dend, ſeu cataputia minor Arabum, eſt illud medicamẽtũ quod apelmeluc vocatur Bizantij Modus dandi hoc medicamentum ſic deſcribitur a Serap. vt cortex grani auferatur, & inter auferendum caueatur ne appropinquet ori, quia ſi forte fortuna contigerit labia, immutat colorem, & inducit veluti morphaeam, imò expertus ſum in meipſo etiam vrere linguã, propterea dicit Serapio, quod auferẽda eſt lingua quædam ſubtilis, quæ ineſt ſemini vna cum cortice exteriore. Vbi ſic præparatum eſt granum teritur cum amylo, vel roſis rubeis mũdatis, vel modico croci, & ita propinatur. Doſis eſt in eo qui ſit fortis naturæ à duabus ſiliquis, ad drac.v. ſed aduertere debetis in codice Serapionis, qui nouiſſimè excuſus eſt apud Iuntas ſcriptum eſſe vſque ad drac.v. in codice vetuſtiore ſcribitur vſq; ad drac.s. & ita legi debet. error fuit, quia Compoſitores literarum, ſcilicet quæ ſignificat ſemis, voluerunt explicare quaſi diceret quinq; & hinc factus eſt error loethalis. Inculco hoc, vt ſitis diligentes in expendendis doſibus veterum ſecundum libros, quia infinita ſunt errata, vtor ego hoc medicamento non ſolo, quia vrit linguam, quamquam videatur gratum ori, ſed cũ ſacch. & cinamomo. E.gr. accipio ſcrup. s. vel ſcrup. 1. huius medicamenti, & miſceo cum ſcrup. s. cinamomi, & drac. iij. ſacch. fini, atque ita curo fieri placentulam quæ non eſt ingrata, & expurgat copioſiſsimè, ſed nõ ſine perturbatione aliqua. Granum gnidium fuit apud veteres inter pręcipua medicamẽta, & inuenietis frequentiſſimè nominatum ab Hipp. vnde manifeſtus eſt error Plinij lib.6. cap 9. vbi ſcribit granũ gnidium ſiſtere aluum, ſed volo vos monere alterius erroris Gazæ, qui apud Theophi. 9. de hiſt Plãt.22.transferens verba illius philoſophi de grano gnidio, dũ Theophraſtus ſcribit valere granum gnidium πρὸς κοιλίας λύσι.i. ad alui ſolutionem, bonus hic vir imitatus Plinium, cuius fuit ſimia tranſtulit, cõtra alui ſolutionem, quaſi voluerit

Dend. *Error codicis Serap.* *Granũ gnidium.* *Plinij error.* *Gazæ error.*

lucerit Theophrastus, sequutus Plinium granum, gnidium non solue re aluum, contra publicā, & vulgatissimam omniū medicorum sententiam. sed vt defendam Plinium imaginatus sum literam esse corruptam, & vbi legitur sistit, legendum esse cit, vel citat, est enim facile, vt cit mutetur in sistit, & ego potius corrigo literam, quia nō possum credere Plinium versatissimum in rebus medicis hanc rem ignorasse. Granum gnidium vocatum est a Diosc. thimelaea, vocatum est etiam cneoron, vt apud Plinium. fuerunt etiam alij, vt dicit Plinius lib. 13. cap. 21. qui vocarunt linum, nunc in multis Italię regionib. dicitur piperca, & est in vsu ad soluendam aluum, officinæ secutæ Arabes, appellant Mezereon, & fiunt pilulæ ex hoc medicamento, quæ dicuntur pilulę de mezereo. de hac plāta dicit Mesues quod vocata sit rapiens vitā, & facines viduas, est enim venenosa: & ideo corrigitur succo portulacæ endiuiæ: muccilagine psillij, absintio, rosis, nec vnquam sumitur sola, sed semper cum pane, aut cum aliqua substantia crassa, quia vrit. Dosis est vt tradit Mesues a drac. s. vsque ad drac j. in decocto. In puluere vero a caractis duob. vsque ad v. secūdum Aetium dosis est a granis xv. vsque ad xxx. fiebat & oleum ex grano gnidio, quod scribit Gal. 6. de simpl. soluere aluum. & puto ego vsum huius fuisse extrinsecus, quia veteres etiam medicamentis purgantibus vtebantur extrinsecus.

Cataputia. Cataputia maior quæ vocatur cici, vnde oleum cicininum, & ricinus videtur esse species tithymalli vsitatissima tēporibus nostris ad purganda corpora, & pręsertim rusticorum, & ignobilium, de hac scribit Auer. quod qui habent fortem ventrem ipsa grana masticare possunt, qui vero debilem, deglutire. Dosis, vt docet Auerr. est a granis x. vsque ad xv.

Collocyntis. Colocynthidem inter maxima purgatoria habuerūt antiqui medici, & pręsertim Galenus: neque tā tum vsi sunt ea sola, verumetiā admista cum alijs medicamētis sola corrigitur cum bdellio, tragacātha, & cum stomachicis medicamentis, vt docet Mesues, sed vnum maxime aduertendum est circa hoc medicamentum, quòd si adstringentia ipsi misceantur, maxime turbat, & proinde idem contingit colocynthidi, quod equis effraenibus, qui si coerceātur magis furiunt: sic Colocynthis si rebus adstringentibus cohibeatur magis exagitat, & vis eius purgatoria magis furit, propter quod dicit Galenus primo de med. local. se abstulisse a pilul. suis de colocynthide mastichem, & bdellium, quæ addebat Quintus eius pręceptor. Vsus colocynthidis est in puluere: & propterea dubitatum est, an qui volunt vti in puluere debeant multum puluerizare, an parum. Serapiō vult vt nō multum teratur. Auic. secutus Paulum fuit alterius sentētiae, scilicet esse multum terēdam, adductus hac ratione, quia partes

eius

eius asperæ adhærentes intestinis ipsa exulcerant, sed mihi magis probatur sententia Serapi.& ratio est,quia Galenus, 4. de val. tuen. sermonem habens de diaspolitico , vbi vult medicaměta magis per aluum secedere,iubet vt crasso modo terantur , sic etiam dicebant, Arist.& Auic. piper crasso modo cõtusum per aluum secedere, subtiliter puluerizatum per vrinam;quæ cum ita se habeant,& nos colocynthide vtamur ad ducẽdam aluum , procul dubio magis ducit, & facilius si crassiuscula sit,quam,si tenuior;accedit etiam quòd partes medicamẽtorum quanto sunt subtiliores,tãto magis infiguntur tunicis intestinorum: vt etiam hac ratione potius contrariũ eueniat illi,quod dixerũt Paulus,& Auic.Dosis colocynt. in puluere secũdũ Serap. est à tribus cerat vsque ad sex,& in fortibus gra.xv. vsque ad xxx.sed vt dicã liberè quod sentio, hęc quantitas est nimia, propterea non est sectandus Serapion hoc in hoc Mesues ponit dosim a caractis sex vsq; ad x. Auerr. autem qui scribit colocynthidem esse in fine gradus purgantium,inquit dosim esse a duabus tertijs drachmę vnius vsque ad caractam Sed hęc dosis etiam nimia est tempore nostro,quia vix vmquam transgredimur x.aut xij.grana. *Dosis.*

Lapis armenus inter purgantia & ipse numeratur , immo verò Tralianus scribit lapidem arm.in purganda melancholia pręstare elleboro albo. Administratur dupliciter, lotus scilicet & illotus. Lauandi modus ille est idem , quem docuit Galenus communem esse abluendis omnibus lapidib.lib.de med. secundum genera . Alchindus lauabat aqua boraginis, quod consiliũ ego maxime amplector scilicet quando purganda est melancholia. Dosis huius lapidis non loti est a drac. s vsque ad drac.j loti vero a drac j. ad drac. ij. & aduertite hoc esse commune omnibus medicamentis , vt ea quæ sunt lota semper in maiori quantitate sumantur,quam illota,eo quod minus purgant. Alex.Trall dat huius lapidis illoti scr.iij. vel iiij.loti vero v.vel vj quæ fere est eadem cum Mesues dosi. *Lapis armenus.* *Dosis.*

Hermodactylus apud medicos duplex est,alter legitimus,alter illegitimus,illegitimus vocatus est colchicon & cum sit venenosus in vsu esse non potest neque debet,sed solum legitimus. Datur hoc medic. vt habetis ex Paulo in decocto , & substantia , ait enim Brasauolus se interdum dedisse hermodactylum edendũ eo modo quo sumuntur castaneae virides, inuolutum pipere, & zingib. puluere, corrigitur pipere longo,zinzibere,leuistico,& mastiche. Dosis secũdum Mesuem est ab aur j.vsque ad ij.sed aduertite periculosum esse vsum huius medicamenti solius,quia semper ab ignaris pharmacopolis fit vt capiatur colchicum pro vero hermodactylo,est tamẽ tutus vsus hermodactyli in pilulis.fiunt enim apud pharmacopolas pilulæ de hermodactylis. *Hermodactylus.*

Tithymallus. Tithymallus qui secundum Plinium, a Latinis dictus est lactaria, eo quod fundat lac, a pharmacopolis hodie vocatur esula minor, & maior, & apud pharmacopolas pro esula vtraq; accipitur plerunque omnis species tithymallorum, quorum septem aut etiam plura sunt genera. In vsu est tithymallus ad purgãda corpora quatuor modis, folijs, fructu, seu semine, succo seu lacte, & radice. Galenus facit efficaciorem succum radice, ponit vero folia, & semen media inter radicem, & succum. Miror cur Auer. non meminerit facultatis purgatoriæ tithymallorũ, cum tamen sit hæc in huiusmodi medicamento valentissima. Corrigitur cũ rebus cordialibus, stomachicis, viscidis, & refrigerãtibus, scilicet vt acrimonia, caliditas, & vis stomacho inimica corrigantur. *Dosis.* Dosis radicis secundum Mesuem est a caractis. ij. vsque ad vij. Lactis vero dosis est a caracto. j ad iij. Trall. lib. 4 cap. de angina, dat succi tithymalli recentis, & non exiccati pondus triũ siliquarum. Diosc. qui nullam fecit differentiam inter folia, semen, succum, & radicem, dixit iustam portionem esse dimidiũ acetabuli.

Peplos. Peplos, seu peplium de quo frequens est mentio apud Hipp. hodie ab officinis vocata est esula rotunda. Isac quidam medicus Gręcus sed posterior, qui etiam multa scripsit de re medica, existimauit senam nostram esse peplum antiquorum, sed vehementer est deceptus, quia multum abest tum virtute, tum etiam forma, sena nostra a peplo veterum, immò vero cum sit similis virtute peplos tithymallo, est etiam similis & vsu & genere, potius, quã senæ; sed aduertendum est succum huius medicamenti nunquam dari per se solum, sed semper commisceri aut succo lactucæ, aut alicui alteri rei frigidę. quamquam si succus etiam exiccetur, potest cum mulsa in pilulę formam redigi, atque ita dari. *Dosis.* Dosis est acetabulum in hydromelitis cyatho, Plinius lib. 27. cap. 12. scribit mediam portionem pepli esse mensuram acetabuli in tribus aquæ heminis, sed puto ego omnino errorem esse in codice Plinij quia tres heminę, quę sunt xxx. vnciæ, est improportionata quantitas ad medicamenti mensuram.

Scammonium. Scammonium, & diagridium est vnum & idem medicamentum apud pharmacopolas, differentia solum est quia scammonium est impreparatum, diagridium vero est scammonium pręparatum. pręparatur autẽ hoc modo, ponitur in pomo cotoneo exenterato, atq; oblinitur extrinsecus pomum, pasta demum in furno assatur, atque extrahitur, extracti vsus est apud pharmacopolas. Galenus primo de aliment. fac. & 3. de simpl. scribit se, & alios medicos consueuisse dare non solum ipsum scammonium, verumetiã cotoneũ, eo quod cotoneum minus molestiæ inferat ventriculo. Id obseruandum est quod ex Democrito docuit Mesues scilicet nomine purgatorij apud veteres intelligi, scammonium, sed volo vos etiam aliud scire

vt

vt poſſitis intelligere Hipp. eſt enim frequentiſſima hæc vox apud Hipp. dabis purgatorium infra, dabis purgatorium ſupra. pro purgatorio infra intelligendum eſt ſcammonium: vt dicit Meſues, pro purgatorio ſupra intelligendus eſt elleborus albus. Multos præparandi ſcammonij modos narrat Meſues, quem videre poteſtis. Sed Orib. 7. collect. & 1. ſyncopſeos, nec non ante Orib. Plinius lib. 26. cap. 8. ſcribit præſtare omnibus in corrigendo ſcammonio aloen, ſi duobus obulis ſcammonij addātur drac. ij. aloes, propter quod vidébitis pilulis illis adeo celebratis a Galeno ex colocynthide, & aloe non apponi vllum correctorium, quia Galenus excipit hæc tria medicamenta ſucco braſſicæ, aut abſinthij, nā Galenus cognouit aloē, colocynthidis & ſcammonij eſſe velut correctorium. Sed circa doſim ſcāmonei eſt grauiſſima contradictio Meſues ſcribit doſim eius eſſe a grani v ad xii. Dioſc vero drachmam j vel obulos iiij. Oribas. ſimiliter vult doſim eſſe drac. j nec ſolum Oribas. ſed & Paulus ſecutus Dioſc. dixit doſim ſcammonij eſſe obulos iiij. qui ſunt ſcr. ij ſeu grani 40. hæc contradictio quoniam maxime refert, diu perturbauit medicos, quomodo ſoluenda ſit, & cui adherendum fuerunt aliqui, qui vt tollerēt contradictionē, dixerunt aliud eſſe ſcammoniū Arabum, aliud Græcorum, & propterea non incōuenire Græcos de ſuo eſſe locutos, & de alio Arabes, ſed hæc ſentētia refutata eſt, quia notæ ſcammonij Græcorum & Arabum ſunt cædē. Fuchſius vt ſolueret hāc contradictionem dixit ſcammonium aliud eſſe adulteratū, aliud ſincerum; adulteratum eſſe id cui miſcetur ſuccus tithymalli, vt tradiderunt Dioſc. & Plinius: ſincerum vero cui nihil commiſcetur. Meſues igitur, dicit Fuchſius, loquutus eſt de adulterato, quia tithymallus additus ſcammonio facit ipſum valentius purgare, Graecos autem ait locutos eſſe de ſincero, & propterea non eſſe mirum ſi in maiori doſi exhibuerunt, quia aucta non eſt a tithymallo vis purgatoria: ſed neque hæc ſolutio contradictionis mihi vſquequaque probatur, eo quod Dioſc. & Plinius, atque etiam alij procul dubio cognouerunt ſcammonium adulteratum, & rationi conſentaneum eſt etiam illis temporibus huiuſmodi ſcammonium fuiſſe in vſu, igitur non eſt dicendum quod tantum locuti ſint de ſyncero. ſimiliter ſi vera eſſet ſolutio Fuchſij, ſequeretur Meſuem non tradidiſſe nobis doſim veram ſcammonij, eo quod dat ſolum in exigua quantitate reſpectu aliorum. quid igitur dicendum, certe contradictio grauiſsima eſt, & dicam quid faciendum ſit, & quomodo poſsimus adumbrate conciliare hos authores. Primum cōſtitutum ſit, doſim Meſues non eſſe vnquam tranſeundam, & licet Braſauol. dicat ſe interdum dediſſe drac j. aut drac ſ non eſt tamen quod ſemel fortuna bene contigit in omnibus vſurpandum, quoniam videmus

Purgatoriū infra, & purgatoriū ſupra apud Hipp. vt ſignificet.

Scammonium max. corrigi aloe.

Controuerſia de doſis.

mus.x.gr.ſcammonij violentiſſimè etiam vſque ad ſanguinem purgare, quare tutius eſt Meſuem ſequi, quam alios, ſed vt conciliemus hos ſcriptores, quid dicendum? video Paulum, & Oribas. eſſe ſectatos Dioſc. qui non fuit medicus cordatus. ſed potius empiricus, & vt ſingulariſſimus fuit in deſcribendis planctis, ſic in exploranda ipſarum virtute parum fuit prudens, & diligens, vnde non eſt mirandū, quod ipſe, qui interdum medicatus eſt milites, & ruſticos, dederit hanc quantitatem, quam ſecuti ſunt ceteri Græci. ſed nihil refert nobis intelligère quomodo ſint conciliandi, modo ſciatis quid vobis in medicina faciendum.

Elaterium. Elaterium ſiue ſuccus cucumeris aſinini maximè poteſt in expurgādis corporibus & præſertim in ducenda aqua, ſed hoc non facit ſine noxa, & iccirco diligenter corrigendum eſt cum aromatib. *Doſis.* Doſis ſecundum Meſ. eſt a gr.xij. ad xx. pulueris autem radicis Doſis eſt a gr.xv. ad xxx. decocti ab vnc.ij. ad vnc.iiij. ſcribit Dioſc. integram menſuram eſſe obulum, minimam ſemi obulum, in infantibus ſat eſſe gr.iiij. plura verò periculoſa. ſed dico non ſolum in infantib. verumetiam in pueris periculoſum eſſe dare gr.iiij & ad ſummum ſoleo aſcendere ad gr. ij. vel ij.s. atque hac quantitate vehemēter purgat, propter quod non poſſum laudare Paulum, qui promiſcue dat tres obulos elaterij.

Lapis lazu. Lapidem lazuli dicit Auerr. eſſe vehementis purgationis, & timoroſae, cuius Doſim ait eſſe a drach. s. vſque ad drach.j. Meſues verò dicit Doſim eſſe a drach ij. vſque ad drach.ij.s. ſed notate hanc Doſim non ſolum tribuiſſe Meſuem lapidi lazuli, ſed etiam lapidi ſtellato, qui marchaſita dicitur ab ipſo, propter quod non eſt mirū ſi lapidis lazuli maiorem Doſim fecerit, quam conueniat, dico quam conueniat, quia Doſis ab Auerr. monſtrata eſt tutior, & nobis ſequenda.

Antimoniū. Antimonio quòd ſtybi vocabant veteres non vſi ſunt maiores noſtri ad purgāda corpora, ſed ſolummodo ad ornandos oculos, ad denigranda ſupercilia, vnde Galenus 6. de val. tuen. 12. appellat mulieres ςυβίζουσας quæ oculos colebant antimonio, id quod etiam habetis apud Clementem Alex. in lib. Paedagogi. Tempore noſtro Theophr. Paracelſus primus cępit vti hoc diabolico medicamento non ad purgāda corpora, ſed ad iugulandos homines. Doſis qua vtitur eſt a gr. ij. vſq; ad iiij. ſed conſulo vobis, vt omnino abſtineatis ab hoc medicamento, quia tametſi videatur per aliquot tempus prodeſſe, tamen rariſſimi ſunt, qui vtentes hoc medicamento perueniant ad primam ſenectam, & hoc non ſolum Eraſtus, qui contra Paracelſum ſcribit, quam plurimis exemplis demonſtrauit, verumetiam ego aliquot exempla habeo eorum, qui immaturè perierunt

rierunt vsi hoc medicamento.sunt plura alia medicamenta purgantia,sed quia non sunt in vsu,neque frequentia,non recensebo.Duo solum volo vos monere,vnum est,quòd semper potius vtamini medicamentis purgantib.in minima Dosi, quam summa, quia tutius est peccare in defectu,quam in excessu. Aliud est,quòd medicamenta lenientia dantur vncijs, mediocria drachmis , vehementia granis.haec est ferè communis ratio. sed sæpe fit, vt etiam vtamur lenitiuis in drachmis, sed multis,vt mediocribus in scrupulis atq; his non multis, vtimur etiam vehementibus in scrupulis, sed rarissime,atque vix fit,vt vmquam transcendatur scrupulus vnus.

De medicamentorum, quæ in mixtionem veniunt Dosi. Cap. 9.



Ostquam intellexistis, quæ sit mensura seruāda medicamentorum purgantium, quādo sola exhibentur,consequens est,vt intelligatis,qua ratione debeatis metiri medicamenta, quando simul commiscentur, quia hic est cardo totius huius tractationis.Miscentur purgantia multis modis, vel leniētia lenientib. vel mediocria mediocribus vel vehemētia vehementib. vel simul miscentur lenientia, mediocria, & vehementia. nunc videamus qua arte debeatis mensuram vniuscuiusque mixtionis constituere: vbi miscentur lenientia lenientib. semper debetis efficere, vt omniū quantitas simul non excedat quantitatem, quæ administraretur a vobis, si solùm vnum leniens exhiberetis. E. g. scitis cassiæ Dosim esse ad summum vnc.j.s.similiter & thamarindorum,quando igitur vultis simul miscere thamarindos, & cassiam,debetis obseruare ne vtriusque mensura excedat vnc. j. s. sed dicetis, nos hactenus id intelligimus, sed ignoramus an debeamus æquales partes vtriusque miscere,an verò plus vnius,quam alterius,quomodo igitur hoc cognoscere debemus? hic opus est solerti iudicio, vt.s. æstimetis facultates singulorum lenientium,& videatis qua facultate sit vobis magis opus,quia eius medicamenti mensura debebit esse maior, cuius facultate indigebitis magis, adfero exemplum, est vobis in vrinę suppressione lenienda aluus,& vultis propter renum feruorem commiscere thamarindos, æstimabitis facultates cassiæ,& thamarindorum, & quia cassia prouocat vrinam, & thamarindi remittunt feruorem renum,vobis verò magis opus est facultate diuretica,miscebitis plus cassię,& minus thamarindorum. E.g.R.floris cassię vnc.j. thama-

Dosis medicam. quādo simul miscētur.

Dosis lenientium cum lenientibus.

thamarindi vnc.s.est tamen vnum hoc in loco aduertendum, maxime interdum contingere, vt quando lenientia simul miscentur, alterum alterius hebetet operationem quo in casu augenda erit Dosis do exemplum, species hierę retardant operationem cassiæ, quãdo igitur vultis miscere debetis, paulo excedere quantitatem cassiæ, alioqui vana erit operatio, vt si accipiatis drac. x. cassiæ, & drac. iij. Hieræ: aut drac. ij. Hieræ, & drac. xi. aut xij. casiæ. Rursum si leniẽda sit aluus in strãguriã debetis cõtrariũ facere scilicet, miscere plus thamarindorum, & minus casiæ, quia ad stranguriã, maximè valent thamarindi ad obtundendam acrmoniam. E. g. ℞. vnc. j. thamarindi. & vnc. s. casiæ. Quod dixi in his, idem seruandum est in mistione quorumcunque lenientium. Si mediocria mediocribus sint miscenda, cum hæc omnia trahant particulares humores, videndum diligenter quibus præ cęteris sit humor educendus, quo cognito in mistione medicamentorum erit plus illius miscendum, quam alterius, ita tamen, vt numquàm omniũ mensura simul accepta excedat dosim consuetam cuiuscunque medicamenti separatim. do exemplum, est ducenda bilis, & pituita, sed magis bilis, quam pituita, accipietis agaricum, & rhabar. sed quia horum summa mensura est drac. ij. vel paulo plus, tota mensura mixti non excedet drac. ii. vel paulo plus, & quia plus est ducendum bilis, plus est miscendum rhabarbari, q̃ agarici. E g. ℞. rhab. scrup. iiii. agarici. scrup. ii. vel iii. & cum suis correctorijs fiat mixtura, de quibus etiam agam suo loco, ne vos confundam. Si fortia fortibus sunt miscenda eadem fere proportio est seruanda, quam dixi in mediocribus medicamentis. s. vt numquàm excedatur mensura consueta, & eius semper plus addatur, cuius facultate magis egemus. E. g. volumus omnes humores expurgare, quid faciemus? accipiemus ea medicamenta q̃ accepit Galenus. 5. meth & primo de cõpo. med. loc. colocyntidẽ, & scammonium; scammoniũ euacuat oẽs biles colocynthis pituitã, quia vero mensura vtriusq; huius medicamenti non excedit gr. xii. vel paulo plus, ita etiam nos componemus medicamentum, non excedens hanc quantitatem, & quia volumus æqualiter ducere pituitam, & bilem, ea propter accipiemus æquale pondus vtriusque. E. g. scammonij gr. vj. & colocynt. tantumdem addentes postmodũ & correctoria, & succos, vt ars postulat. Surget hic ingeniosus, & sciscitabitur a me an interdum liceat has doses augere, vel minuere, quia sæpe coguntur medici medicamenta administrare propter consuetudinem ægrorum permista multis rebus. Sunt qui nolunt medicamenta nisi, vel cum ouis, vel pulte, vel placẽtulis, vel aliqua alia ratione, & quia sæpe hæc in quibus ponuntur medicamenta multa sunt, & varia, est consideratione dignum an his in casibus sit

D. sis fortiũ inter se.

seruan-

feruanda eadem menfura, res fanè maximè faciens ad praxim.
Vt fitis refoluti debetis videre ftatim, an illud in quo fumendum *Solutio.*
eft medicamentū contra operet medicamēto, necne fi contra opere
tur, augenda eft dofis, proculdubio, fi nihil contra operetur, eft ea-
dem dofis feruanda. operatur autem contra res in qua fumitur me-
dicamentum duobus modis, vel facultate adftrictoria, vel fui quan-
titate. E. g. fi accipiatis fcammonium in cytonio, poteritis paulo
plus fcammonij apponere, eo quod cytonium fua vi adftrictoria
aliquantifper labefactat fcammonium: quamquàm raro contingat,
vt medicamenta vehementia fic accipiantur. Sic etiam fi quis velit
capere in panatella rhabar. debetis augere ipfius quantitatem, quia
panatella fua mole aliquantifper minuit vires rhab. & haec eft ratio
cur Galenus in fuis il is pilulis de fcammonio colocynthide, & aloe
videtur dofim paulo auxiffe, quia mifcebat ea medicamenta cum
fucco brafficae, vel abfinthij. fed quaeret aliquis, cur dixerim no- *Cur raro vtamur medicamentis vehementibus folis.*
ftris temporibus raro in vfu venire medicamenta vehementia fo-
la; nam Hipp. faepiffime videtur vti veratro albo folo, fcammonio
folo, peplio folo, grano gnidio folo, fi Hipp. vtebatur, cur etiam nos
non vtimur? refpondeo id quod etiam alias vos docui, Hipp. aetate
artem componendi medicamenta admodum rudem, & incultam
extitiffe, ideo non eft mirum fi ipfe frequenter fit vfus medicamen-
tis folis: accedit etiam, quod eo tempore veteres nō vtebantur me-
dicamētis purgantibus, nifi vrgente maxima neceffitate neque for
fan erant ita varijs humoribus referti, vt hoc tempore, vt indigerēt
huiufmodi mixtionibus fed vtcunq; fit nihil nunc pertinet ad rem.
Vbi mifcentur medicamenta lenientia, vel mediocribus, vel vehe- *Dofis lenientium mediocrib. vel vehementib.*
mentibus, debet vtriufque, vel omnium dofis ea effe, quae folet ef-
fe, quando feparatim vtimur. E. g. vtimur drac. x. caffiae, vtimur
fcrup. iiij vel v. agarici, vel rhab. volumus mifcere, quae quantitas
eft feruanda? eadem in vtrifque, quae in fingulis feparatim. E. g.
accipiemus drac. x. caffiae, & fcrup. iiij vel v rhab. & mifcebimus, fi-
militer accipiemus vnc. iij. vel iiij. mannae, & fcrup. iiij vel v. agari-
ci, & mifcebimus. fed dicetis, videtur hoc abfonum, fi fpectemus
praecepta tradita in alijs? Dico nequaquam effe abfurdum, & no-
tate rationem. lenientia nihil aliud agunt, quam quod ftercora du-
cunt, & humores in cauitatibus maioribus exiftentes. medicamēta
mediocria ducunt proprios humores, vel bilem, vel pituitā, quando
fimul mifcentur neutrum alterius impedit, aut auget operationem,
quia lenitiuum folum ducit ftercus, medicamentum purgans folū
ducit peculiarem humorem, & nifi feruetur haec menfura, neque
fiet optima purgatio humoris proprij, neque etiam lenietur aluus,
quod dico in miftione lenientis, & mediocris, idem putate dictum

Dosis medio cris cum vehementi. vbi miſcetur leniens, & vehemens. Si medicamenta mediocria erunt vehementioribus miſcenda quantitas mediocris debet eſſe conſueta, vehementioris minor, eo quia quando vehementiora miſcentur mediocribus, commiſcentur hoc fine, vt augeant uires mediocrium, ea propter debet mediocre eſſe in conſueta quantitate, vehemens autem in minori. E. g. volumus purgare melancholiā elleboro nigro, ſed quia virtus eius eſt imbecilla, cupimus augere, quid faciendū? miſcebimus lapidem lazuli, accipiemus quantitatem conſuetam ellebori nigri, & quantitatē minorem lapidis lazuli, hoc modo, vt elleb. nigri ſint ſcrup. iiij. & lapidis lazuli ſcrup. j. cum ſuis correctorijs, & materia, ut dicetur: eſt tamen differentia, quia interdum volumus magis purgare humorem aliquem medicamento vehementi, & volumus purgare alterum humorem, ſed minus, idque medicamento mediocri. hoc in caſu debebit doſis mediocris minor eſſe, quam conſueta, doſis medicamenti vehemētis eadem quae conſueta, vt ſi volumus expurgare pituitam, & bilem, ſed plus pituitam, & placeat vobis ad pituitam vti medicamento vehemētiori, ad bilem mediocri, ita facietis, accipietis ſcrup. ij. vel iij. rhab. & ſcrup. s. colocynthidis, atque ita cum ſuis correctorijs accōmodatiſſimum propoſito noſtro medicamentum reddetis. *Doſis lenientium mediocris, et vehementi, ſimul mixtorum.* Si lenientia, mediocria, & vehementia ſint miſcenda, quid agendum? haec methodus eſt ſeruanda, vt lenientium media doſis accipiatur, vel paulo plus, vehementium vero, & mediocrium ea, quae accipitur dum ſimul ambo miſcentur. E. g. Accipiemus thamarind. drac. iiij. vel v. turbith ſcrup. iiij. hermodactyli aur. s. atque ita fiet accommodatum medicamentum ex lenienti mediocri, & vehemēti, quo purgabitis pituitam, & melancholiam, ſed magis pituitam. Haec eſt itaque ars, quam ſi memoriae mandabitis facile erit vobis ſtatim in quolibet propoſito componere medicamenta.

An remiſſum remittat intenſum in purgantibus. Cap. 10.



Irca ea quae hactenus de doſi medicamentorū diſputauimus, duo ſunt maxima inueſtigatione digna: vnum an ſicut in alterantibus medicamētis ea, quae ſunt remiſſa remittunt intenſum, ita etiam in purgantibus, ea quae remiſſe purgant remittant vehementer purgantia: hoc enim ſcire plurimum refert, propterea quod ſi remiſſum remittat intenſum, varianda erit doſis neceſſario. Alterum eſt, quia ſemper purgantibus admiſcentur


ſcentur alterantia, quae corrutoria dicuntur. De doſi horum videndum eſt, an ſit certa methodus ea purgantibus adhibendi. Circa primum, vt ſententiam meam explicatam habeatis, duo ſunt ſtatuẽda, vnum eſt differre purgantia, vel vt conſtituit Auerr. in fine 5. col lect. ſecundum gradus, ita vt alia ſint primi gradus, alia ſecundi, alia tertij, alia quarti, vel quod alia ſint lenia, alia mediocria, alia vehemẽtia. Secundum ſtatuendum eſt, aliam eſſe rationem remiſſionis in purgantibus, aliam in alterantibus. In alterantibus eſt remiſſio propter commixtionem contrarij, exemplum, aqua tepida remittit feruentem, eo quod in aqua tepida eſt gradus frigiditatis, cuius merito remittitur feruor aquae. in purgantibus non eſt remiſſio gratia contrarietatis, & ratio eſt, quia omnia purgantia purgant à proprietate ſpecifica, cum autem vna ſit proprietas ſpecifica, huius ratione nõ eſt contrarietas, & propterea non dicitur remiſſum medicamentũ purgans propter admixtionem contrarietatis, ſed ad opus medicamenti purgantis requiritur acuitas merito cuius ſtimulatur natura ad purgandum, dicuntur itaque purgantia alia alijs remiſſiora ratione maioris, aut minoris huiuſmodi acuitatis, & hoc eſt, quod dicebat Galenus in lib. quos, & quando purgare oportet, & hoc eſt etiam, quod dicit Galenus omnia purgantia eſſe quodammodo naturae noſtrae inimica. His itaque duobus conſtitutis, haec eſt mea ſententia, purgantia mitiora non remittere vim purgatoriam vehementiorum, ratio habetur ex conſtitutis, quia ſi remiſſio in alterantibus ſit propter actionẽ contrariam inter remiſſum, & intenſum, & in purgantibus, vt purgantia ſunt, non adſit contrarietas formae ſpecificae, ea propter fieri non poteſt, vt remittantur, alioquin neceſſarium eſſet nobis fateri medicamenta purgantia non purgare vna forma ſpecifica, ſed contrarijs, quod autem non ſit forma ſpecifica purgantium contraria alteri, inde patet, quia haec proprietas ſpecifica eſt forma ſubſtantialis occulta, ſubſtãtiae autem nihil eſt contrarium. Sed diuerſitas, quae eſt in purgantibus vnde naſcetur? dicetis, iam dixi naſci propter maiorem, vel minorem acuitatem, qua tamquàm inſtrumento proprio vtitur forma ad operandum, vnde licet ſcammonium, aloe, & rhab. purgent vnum, & eundem humorem merito vnius, & eiuſdem formae ſpecificae, eſt tamen diuerſitas inter ipſa, quia in aloe eſt minima acuitas, in rhab. paulo maior in ſcãmonio maxima. Haec itaq; ſit cõſtituta ſentẽtia, leniora nõ remittere vehementiora, & propterea methodum a nobis traditam eſſe firmam, & inconcuſſam, & propterea poteritis veſtra induſtria inuenire in qua doſi medicamenta veterum ſint vſurpanda, quia Galenus, & alij omittunt quantitatem. E. g. Galenus 5. methodi celebrat vſque adeo pilulas ſuas ex agarico aloe, & ſcammonio, ta-

Medicamentum purgãs qua ratiõe dicatur remiſſum.

men non proponit dosim, vos hac methodo poteritis inuenire in qua dosi dari eas oporteat, & sic de alijs.

De alterantibus, quae correctoria vocantur. Cap. 11.

De methodo inueniẽdi dosim corrigentium.



Nunc secundum a nobis propositum discutiamus. s. quae sit ars, & methodus inueniendi quantitatem medicamentorum alterantium, quae miscentur purgantibus, & dicuntur correctoria. Miscentur alterantia purgantibus, vel vt retundant nocumenta, quae naturae materiae eueniunt ex vsu purgantium, vel vt qualitates primas, aut secundas castigent, vel vt medicamenti facultatem debilem augeant, vel vt vim purgatoriam minuant, vel vt purgans ad peculiarem aliquem locum deducant, Tot sunt causae, & non plures, propter quas alterantia miscentur purgantibus. Sed quia natura in omni mixtione proportionem quandam necessario seruat, sic medicus imitator naturae, debet in huiusmodi mixtione seruare aliquam ꝓportionẽ, est vero proportio haec duplex; vna secundum formam specificam sola experientia inuenta. E.g. dicit Mesues, quod scammonium aduersatur cordi, praeterea inflammat, aperit venas. ambra econuerso confortat, & roborat cor, chrystallus infrigidat, galla constringit cor, sed quia neque chrystallus, neque galla habent proportionem specificam cum scammonio, ea propter tametsi infrigident, & alia agant, non admiscemus scammonio neque chrystallum neque gallam, sed camphoram, spicam, eo quod haec praeter alias, habent virtutem specificam ad cor, vt & mastix, qui etiam additur ad corrigendum scammonium, quia non solum adstringit aduersus vim apertoriam scammonij, verumetiam proprietatẽ specificã habet ad cor, debet itaque in mixtione purgantium, & alterantium, primo seruari proportio specifica. Alia est proportio secundum quantitatem, quae etiam Mesue fuit incognita, sed sola coniectura rationali peruestigata: Vbi miscenda sunt alterantia purgantib. propter nocumenta euitãda qualitatis medicamentorum nobis aduersae, debet alterantium quantitas esse aequalis quantitati purgantium; ratio est, quia effectus formae specificae non possunt impediri, nisi ab aequali forma specifica; aequalitas formae specificae sequitur etiã aequalem quantitatem. adfero exemplum, vnc j. magnetis trahit ferrum, si volumus vim eius tractatoriam impedire copulamus ferro

Simplex proportio.

vnc.j adamantis, & quia proprietas adamantis est inimica proprietati magnetis, cum sit in aequali quantitate impedit actionem magnetis, sic etiam ad vitanda nocumenta purgantium, necessariũ est, vt correctoria sint in eadem quantitate cum purgantibus, sed aduertendum est, huiusmodi aequalitatẽ posse seruari in vno, & in pluribus. E. g. Mesues dat colocynthidem cum ladano, & miscet aequales partes ladani, & colocynthidis. si vos velitis miscere plura correctoria, poteritis etiã hoc facere, modo omnium simul quantitas non excedat quantitatem purgantis, exemplum. vultis dare gr. vij. colocynthidis, & vultis vti mastiche, camphora, & tragacantha, accipietis gr. iij. mastichis. duo camphorae, & tantumdem tragatanthae, ita vt quemadmodum colocynthidis sunt gr. vij. ita horum alterantium quantitas sit granorum vij. Sed dicetis, in hac mixtione camphora refrigerat, & cum refrigeret non corrigit nocumẽta formae specificae, colocynthidis: ea ꝓpter mastix, q corrigit, deberet esse in maiori quantitate, vt. s. seruetur aequalitas formae specificae. Respondeo id quod dicit Auerr. 8 metaphy. formas specificas consequi proprias temperaturas, & propterea vbi retundũt tẽperaturae ꝓpriae, diminuitur ẽt facultas formae specificae, & propterea in mixtione cum a frigiditate cãphorae sit retusa caliditas scammonij, consequenter etiam est retusa facultas purgatoria, & aduersa nobis, & iccirco minori eget quantitate alterantis a forma specifica. Si fiat mixtio propter qualitates primas, ita vt velitis addere alterantia ad castigandas qualitates primas purgantis, debet correctorium poni in maiori quantitate, quam purgans. E. g. si purgans, quod dabitis, fuerit calidum in secundo gradu, debent etiam corrigentia frigida esse in secundo gradu, in maiori tamen dosi, nisi interdum contingat vti stupefactorijs, seu frigidis in quarto gradu, quia hoc in casu necessarium omnino est quantitatẽ minorem esse, propterea Galenus, quando vult retundere facultatẽ castorei cum opio, non apponit maiorem quantitatem opij, sed in aequali pondere, vbi vero admiscere vult alia medicamenta frigida in secundo gradu, semper apponit in maiori quantitate medicamẽtum alterãs, quare si velimus refrigerare scammonij facultatem, accipiemus gr. v. vel vj scammonij, camphorae gr. vij. vel scrup. s. vel seminum lactucae, scrup. s. ita vt seruemus maiorem quantitatem refrigerantis, quam scammonij. Si corrigere velitis purgans propter secundas, aut tertias qualitates, eadem ratio seruanda est, quã monstraui in corrigendis primis, vt. s. semper in maiori quantitate apponantur. Si vero vebent misceri alterantia, vt augeant, vel minuant facultatem, debent esse in minori quantitate, nam si vultis mouere nauem, adhibetis decem homines, quod si non sufficiant

Formae specificae sequũtur temperaturas ꝓprias

Quantitas corrigentis qualitates primas.

Quantitas augentium, vel minuentium facultatem purgatoriam.

non

non ſtatim adhibebitis alios decem, ſed duos, aut tres, ſic etiam ſi volumus. e.g. aloem dare, atque acuere magis facultatem aloes, accipiemus verbi gratia aloes drac.ij. alterantium ſcrup.ij. atque ita id fiet, quod optamus, vt vis purgatoria aloes augeatur. hanc proportionem ſeruauit Galenus 7. Meth & 4. de tuenda val. in componenda ſua hiera, nam vbi voluit augere facultatem aloes, addit tertiam partem medicamentorum alterantium, quae poſſunt augere ipſius facultatem. Idem dicendum de rhab. ſi eius facultatem velimus augere, acipiemus rhab. ſcrup. v. ſpicae, cinamomi, macis aña ſcrup. s. atq; ita augetur facultas rhab. & ideo non miremini, quod interdũ medici miſceant correctorij modo plus, modo minus, quia hoc faciunt propter varias, & diuerſas quas habent intentiones, quia coguntur alijs ſcopis quantitates diuerſas proponere. Si volumus minuere facultatem purgatoriam, eandem rationem, quam dixi, ſeruabimus, vt. ſ. quantitas alterantium minor miſceatur, nam Quintus praeceptor Galeni cum haberet in animo diminuere facultatem purgatoriam colocynthidis, & ſcammonij, addidit bdellium, & maſtichẽ, ſed in minori quantitate. E.g. vos qui vultis imitari Quintum hac in re, accipietis ſcammonij, colocynthidis ana gr.iij. maſtiches bdellij ana gr. j. ita vt adhibeatis tertiam partem medicamentorum adſtringentium, & diminuentium facultatẽ nimiam purgãdi colocynthidis, & ſcammonij. Quod dico de his vehementibus idem etiam putatote dictum eſſe de mediocribus. Si poſtremo volumus commiſcere medicamenta correctoria, & alterantia, vt perducant ad aliquem locum peculiarem, erunt miſcenda in ea quantitate, quae ſit ſufficiẽs ad id agendum, quod optamus, id autem varium erit, quia ſi purgantia erunt mediocria, ſufficiet perducentia eſſe in octaua portione. E.g. volumus agaricum deducere ad renes, vt purget pituitã renũ, accipiemus agarici ſcrup. iiij. acori ſcrup. s. vel paulo plus, aut minus. Si medicamenta erunt vehementia, quãtitas perducentium debet eſſe in aequali portione, vel paulo plus, ſed dicetis cur non minor? audite rationem, medicamenta vehementia dantur exigua quantitate ad grana, vis deducẽtis ad aliquẽ locum nõ poteſt conſiſtere in parua quantitate, ea propter ſi velletis horum medicamentorum perducentium minorem quantitatem tradere, vanum eſſet. E. g. ſi placeret colocynthidem perducere ad purgandos oculos, dabitis eius grana vij. vel viij. ſi vultis apponere pulueris foeniculi, vel eufragiae, gr.iiij. nihil efficietis, quia haec vis non poteſt conſiſtere in tam exigua quantitate: ideo neceſſarium eſt, ſi accipiatis colocynthidis gr. viij. tantumdem accipiatis corrigentium, vel etiam gr.x. atque ita efficietis medicamentum accommodatum. Quod in his monſtratum eſt, idem etiam monſtratum

Quantitas pducẽtium ad aliquem locum.

putatote

putatote in omnibus alijs. Atque haec est ars, quam si teneatis non poteritis errare in miscendis purgantibus cum correctorijs. notate tamen hanc regulam, & methodum nostram seruandam duntaxat esse in mediocribus purgantibus, & vehementibus, quia lenientia non tam exquisitam postulant rationem dosandi correctoria.

De Clystere. Cap. 12.



Actenus de purgantibus intrinsecus acceptis tractauimus, sed quia haec, vel accipiuntur ore, vel per anum infunduntur, de ijs duntaxat egimus, quae per os accepta purgant. Itaque ordini nostro consentaneum est, vt vos doceamus, qua arte debeatis medicamentorum dosim constituere, quae per anum infundũtur. Sunt vero huiusmodi remedia duplicia, clysteres vocati, & Glandes, siue suppositoria. tractabimus primo de clysteribus. Docet Galenus lib. de sect. venae aduersus Erasist. & lib. qui medicus inscribitur, huiusmodi remedium indicatum fuisse hominibus ab aue quadam, quae in Aegypto nascitur, atque Ibis vocata est, haec enim rostro hauriens salsam maris aquã atque per anum sibi infundens, proluit intestina. beneficio naturae hoc nobis traditum est, deinde factum est, vt medici diuersimode, & varie sint vsi, & inter cetera narrat Herodot. lib. 2. Aegyptios fuisse maxime omnium hominum sanos, propterea quod vterentur singulo mense clysteribus. Sunt clysteres apud medicos duum generum, alij enim communes vocãtur, seu lenientes, alij vero medicamentosi: de medicamentosis loquens Oribas 8. lib. Collect. duo genera illorum fecit, acrium scilicet, & mollium, de quibus tractabo paulo post, nunc primum agam de communibus. Vsus horum clysterum apud medicos, ut docet Oribas. uarius est, nam utimur primo ad emolliendam aluum, atque ad educendas foeces, quandoquidem ut docet Hipp. lib de aere, aquis, & loc. nec non 4. de morbis, magnopere interest ad valetudinem conseruandam, ut qualibet die aluus exoneretur ab excrementis, & quia nequaquam vtile, & commodum est singulo die medicamenta sumere, quae aluum molliant, ea propter mitissimum omnium remedium est, & accommodatissimum clyster, ita ut iure dixerit Auic. semper sibi fuisse dilectum clysteris usum. In componendis clysteribus alia accipiuntur loco materiae, alia uero loco cõditurae uocatae. In leuibus seu communibus loco materiae sunt brodia, aqua communis, nam

scribit

scribit Ruffus Ephes. apud Oribas. etiam ex sola aqua saepe a medicis fieri clysteres: ad haec decoctum maluarũ, lapathij, parietariae, uiolarum, mulsa, serum, lac, hordei decoctum, oleum simplex, haec omnia sunt, quae a medicis pro componendis clysteribus communibus loco materiae vsurpantur. Condituraе loco varia etiam in vsu habentur, olea uaria, pinguedines, butyrum, saccharum rubrũ, mel, uitelli ouorum, & sal. Sed notate, de uitellis ouorum abusum maximum esse, mea sententia, inter vulgares, qui pro lenienda aluo in clysteribus semper addunt uitellos ouorum, nam cum intentio sit mollire foeces, & educere excrementa, multum abest, ut quicq̃ emolumenti adferant uitelli ouorum, ea propter maxime fugiendus est huiusmodi usus, quia potius suo lentore impediunt, & detinent fluxum excrementorum. Vtimur uitellis in clysteribus communibus, quando post medicamenta abluenda sunt intestina, nam eo tempore cum adsit periculum ne ab acrimonia humorum, qui fluxerunt, intestina sint male affecta, & dysenteriam inducant, ideo utimur uitellis ouorum ad placãdam acrimoniam, & obtundendam facultatem stimulatricem humorum. De mensura, & pondere, rerum, ex quibus componũtur clysteres, Ruffus Ephes. apud Oribas. non aliud uidetur statuisse, quam quod in mulieribus maior debet esse quantitas, q̃ in uiris, ita tamen, ut maxima quantitas non excedat tres heminas. i. triginta uncias plus minusue, minima uero quantitas non deficiat ab hemina una. Sed optabit forsan aliquis intelligere, quae sit ratio, cur Ruffus statuerit in faeminis quantitatem, & mensuram debere esse maiorem, puto ego propter duas causas, vnam quia facultas expultrix mulierum magis imbecilla est, quàm uirorum, unde maiore irritatore opus habet, & consequenter maiore copia indiget clysterum, praesertim lenium, eo quod nõ minus operantur quãtitate, quam qualitate, mulieres autem expultricem facultatem imbecilliorem habere inde colligitur, quoniam sunt frigidiores, & humidiores: propter quam frigiditatem, & humiditatem dicit Plato 7. de Repub. & Arist. in Polit. mulieres esse infirmiores ad omnia munia, quam sint uiri: altera causa est, quia vterus, & uesica maxime comprimunt intestina, unde fit, ut magno labore possint clysteres permeare intestina, unde nisi copia materiae intestina aperiantur, non facile introeunt, & propterea frustrãtur: hisce duabus causis puto Ruffum constituisse clysteres mulierum in maiori copia esse debere. An modo pertingant ad intestina superiora, an non aliena est speculatio ab instituto nostro. Dosis materiae, & liquorũ ex quibus fiunt clysteres, est a lib. 1. usque ad 2. etenim in pueris clarum est non eandem copiam esse necessariam, quae in adultis, ea propter in pueris non excedemus quantitatem

lib. 1. in adultis ad minus necessaria est sesquilibra, & quo corpora sunt vastiora, & capaciora, eo etiam debet copiosior esse materia, sic etiam vbi volumus, vt clysteres diutius in intestinis retineantur, minorem liquorum quantitatem administramus, propter quod Galenus 12. Meth. vlt. ad dolores colicos, quãdo vult, vt clysteres retineantur, non excedit heminam vnam liquoris: & castorei, ac opij cyathum vnum. Dosis conditurae semper minor esse debet materia, saltem dimidia parte, siue conditura fiat ex vna re, siue ex pluribus. veruntamen & in hac re non nihil est diuersitatis, quia quantitas salis, q̃ ĩponit ĩ clysterib⁹, est a dr. s. vsq; ad dr. ij. butyri, & oleorũ ab vnc. j. s. vel ij. vsq; ad vj. mellis, & sacchari ab vnc. j. vsq; ad iiij. ĩter hos terminos modo pl⁹, modo minus cõditurae addit, ꝑut alu⁹ est magis, vel minus adstricta, aut ẽt vis expultrix magis aut minus torpida, in qua re debetis semꝑ aegros vestros interrogare, an facile soluant, an difficulter, quia si facile, debetis semꝑ adhibere ĩ minori quantitate: si difficulter maiori. & vt habeatis aliquas formas, pro puero talis fiat clyster. ℞. decocti communis lib. j. sacchari rubri vnc. j. s. olei communis vnc. ij. salis drac. s. misce. pro adulto ita poteritis facere ℞. seri vel mulsae lib. j. s. mellis ros. vel communis, vel sacchari rubei vnc. ii olei cõmunis vnc. iiij. salis dr. j. misce hae sunt formae eorum clysterum, qui communes dicuntur a vulgo: a medicis lenes, & non medicamentosi, quia vt videre potestis ex eorũ compositione, non ingrediuntur medicamenta purgantia. Medicati clysteres, vt mox dicebam ex Oribas. vel sunt molles, vel acres; molles sunt ij quibus vtimur, vt testatur Ruffus, quando purgare volumus, vtimur etiam in vlceribus intestinorum, in sanguinis sputo, in torminibus, in flatu ventris, in tenesmo, vrinae difficultate, affectibus vteri, atque etiam cum nutrire corpus volumus. sed aduertendum est, quod tametsi Ruffus dicat, clysteres molles adhiberi ad nutrienda corpora, tunc tamen non adhibentur vlla medicamenta purgantia. Nutrire clysteres constantissimum est apud Arabes, Græcos multos, & apud Celsum, & C. Aurelianum, vt alias docui uos. Materia qua vtimur in clysteribus mollibus varia, & multiplex est, decoctum ficuum, & foenugreci, brodia pinguia, brodia capitis castrati, lac, oleum, decocta varia, & diuersa, prout morbus hoc, vel illud genus auxilij postulat. Conditurae quoque diuersae sunt, succus alicae, ptisanae, tritici, adeps, suillus, caprill⁹, castrati, gallinae, butyrum, resina, olea varia, sal, & aduertite inter clysteres molles adnumerari a medicis, & praesertim Oribasio, eos, qui cõponuntur ex adstringentibus, ut est rosa, myrtus, acacia, bolus ar. trocischide carabe, & similia, quae ad adstringendam aluum clysteribus induntur. Dosis materiae in clysteribus mollibus eadem est, quae in

communibus, similiter & dosis conditurae, adeo vt parua varietas, uel nulla sit obseruanda, quando componere placebit clysteres lenes, uel molles. ut tamen aliquod etiam exemplum habeatis, ita poteritis componere. ℞. decocti capitis castrati lib. j. s. butyri unc. iij. adipis gallinae vnc. ij. salis drac. i. utimur hoc genere clysterum, quando uolumus in dysenteriis, & fluxibus alui prouidere, ne abradantur intestina, dum excurrunt humores per ipsa. Hoc exemplo poteritis uestro marte innumeros alios clysteres accommodare. Sequuntur acres, quibus solent medici in uariis affectibus uti, in dolore laterum, in gingiuarum defluxu, in capitis doloribus, in febribus inordinatis, & contumacibus, in passionibus sommiferis, in difficultate spirandi, in morbis pulmonum, in angina, tetano, morbo comitiali, apoplexia, uertiginibus, lippitudinibus, in arthriticis doloribus, & praesertim in ischiade, in omnibus enim huiusmodi aegritudinibus, & aliis similibus necessarius omnino est usus clysterum acrium, de quibus scribens Ruffus Ephes. apud Oribas. inquit Gallos, Thracas, Italos, & tandem omnes plagarũ frigidarum inhabitatores, non sustinere clysteres acres. sed fateor me huius rei ueritatem ignorare, & rationem, eo magis, quod quotiana experientia nos docet rem secus sese habere, quare puto aut errorem esse Ruffi, aut ea tempestate illas nationes diuersa intestina habuisse, quam nunc habent. Materia acrium clysterum est muria, qua etiam in dyssenteria usos esse aliquos medicos cũ felicitate memorat Galenus 12. Meth. Praeter muriam, aqua marina garum, decoctũ senae, satureiae, colocynthidos, cnici, centaurei polypodii, brassicae succus, betae succus, & tandem quicquid decocta acria, & stimulantia reddere potest. Conditura similiter horum clysterum diuersa est, etenim olea diuersa commiscentur medicata, ut est oleum chamomaelinum, anethinum, rutaceum, irinum: ad haec medicamenta purgantia, ut sunt pilulae cochiae, hiera Logod. hiera Archig. hiera colocynt. diacath. diaphoen, atque alia huiusmodi medicamenta, quae purgare uehementer solent: adduntur etiam sales uarii, ut sal gemmae, nitrum, sal commune. Pondus & mensura materiae numquàm debet excedere lib. j. vel paulo plus, eo quia huiusmodi materia valde acris est, valde stimulat, & periculum esset interdum, nisi res prudenter agatur, ne exulcerarentur intestina. Dosis medicamentorum debet esse multo maior quantitate medicamẽtorum, quae per os sumuntur, & ratio est, quia natura inseruit intestinis facultatem expultricem imbecillimam, ne. s. vt faciunt aues, ita etiam homines perpetuo excernerent excrementa. cum itaque sit valde imbecilla, necessarium est si stimulari debet, vt maioribus stimulis hoc agatur, quod vt fiat, animaduertere debetis in huiusmodi clysteribus

ſteribus, eos male facere, qui ſine vlla methodo, & ratione commiſcent olea communia, & pinguedines, quoniam ſi opus habemus magna extimulatione, proculdubio huiuſmodi rebus emplaſticis obtunditur, & magnopere hebetatur facultas ſtimulatrix aliorum medicamentorum. Pro iſchiade ſi placet vobis clyſterem acrem cōponere, ita facietis. ℞ folior. calamēthi, ſatureiae ana m. j. centaurei maioris. m. s. colocynth. in petra ligatae drac. j. fiat decoctio s. a. in aqua cōmuni deinde ℞. dicti decocti lib. j. olei rutacei vnc. iij. diacath. vnc. j. hierae logod. drac. iij ſalis drac. j. miſce. hic eſt clyſter accommodatus tum ad omnes affectus veternoſos, tum maxime ad iſchiadicos. Pro decoctis vero clyſterum communium, & molliū, ſi ſint herbae ex quibus debetis facere decocta, doſis erit. m. iiij. vel v. ſi ſint ſemina, doſis erit ab vnc. s. vſque ad vnc. j. s. ſi flores, a P. ij. vſque ad v. Haec itaque eſt methodus, quam ſeruare debetis in componendis clyſteribus, & decoctis. Circa quorum vſum notandum eſt, quod ſcribit Oribas. ex ſententia Mneſithei. lib. 8. collect. cap. 38. fruſtrari operationem clyſterum tribus modis, vel quia non recipiuntur, vel quia non retinentur, vel quia reddi non poſſunt, atque haec omnia contingunt modo propter malam adminiſtrationem, modo propter morbum aliquem: vbi propter malam adminiſtrationem cōtingit, fruſtratio eſt, vel quia nimis calidus eſt clyſter actu, vel quia nimium ſalis habet, aut quia nihil, aut quia non eſt ea quantitas, quae neceſſaria eſt, propter qđ danda eſt opera, vt ſemper in debita quantitate, atque alijs debitis conditionibus adminiſtretur.

De ſuppoſitorijs. Cap. 13.



POſt clyſteres ſuccedunt ſuppoſitoria, quae a Graecis, & praeſertim Hippocrate, frequentiſſime dicuntur βάλανοι. Latini appellant glandes. fuerunt etiam inter latinos, qui vocarint collyria, vt habetis apud Columellam lib. 6. cap. 6. Vtuntur medici huiuſmodi remedio in quinq; caſibus; vnus eſt, quando aetas vel conſuetudo, non ſuſtinet clyſteres; pueri dum lactant rariſſime poſſunt clyſteres ſuſtinere, ea propter medici coguntur vti glandibus, ſimiliter ſunt aliqui, qui mallent quiduis perferre, quam clyſteres, ratione huius conſuetudinis vtuntur ſuppoſitorijs: Alius caſus eſt, quando a clyſteribus offenduntur, vt ſunt, qui haemorrhoidas habent, aut aliqua vlcera in ano, in quibus dum non licet vti clyſteribus, confugiunt medici ad ſuppoſito-

ria. Tertius,quando clysteres, vel medicamenta non operantur, saepe enim vobis continget, vt immissus clyster non reddatur, aut medicamenta tarda sint in operatione, & tunc vtendum est suppositorijs. Quartus, quando a clysteribus aliquid mali timetur, vt mulieres dum sunt praegnantes,dum nuperrime pepererunt solent offendi ex clysteribus, & ideo tunc ad suppositoria est confugiendũ. Quintus & vltimus,quando a capite deriuare, aut aliquo modo purgare intẽdimus,sic enim in affectibus capitis veternosis, in affectibus praecordiorum consueuerunt medici vti hoc auxilio. Sunt glandiũ tria genera,aliae enim sunt lenes,aliae mediocres, aliae vehementiores. Lenes aut sunt simplices, aut commixtae, simplices sunt,quae fiunt ex melle solo, ex axungia porcina, ex ficu arida inuersa, ex radice brioniae, betae, brassicae excorticata, ex sapone. narrat Galenus 10. de simpl. quendam fuisse, qui pro pueris conficiebat glandes ex stercore murium, sed iure irridet hanc superstitionem, eo quia,vbi habemus remedia familiaria, & accommodata, fatuum est confugere ad peregrina, & sordida, facimus etiam glandes simplices ex allio, vt in pueris, qui saepe torquẽtur flatibus ad quos discutiendos facimus suppositoria ex allio solo. Forma suppositoriorũ,quae sit,puto vnumquemque scire,facimus enim ad lõgitudinem 4.vel 5.digitorum,in formã pyramidis, ita vt possint,& ratione etatis, & corporis sine molestia immitti. Glandes lenes cõpositae plerunque fiunt ex melle,ex modico salis,additur etiam interdum extrinsecus oleum. Et istae sunt glandes,quae ab officinis dicuntur communes. In his omnibus non est fere necesse, vt ordinetis dosim, quia sat est dicere. ℞. suppositorium commune. verumtamen si etiam placeat apponere dosim, est ab vnc.j. mellis, vsque ad vnc.ij.plus minusue,salis vero a drac.s. vsque ad drac.j.Glandes mediocres sunt hae, quae parantur quidem ex melle tamquàm ex materia communi, sed adduntur etiam medicamẽta mediocria, non grauia,vt est nitrum, crocus, species hierae, agaricus, sena, & similia, quae docuimus iam mediocria esse. Dosis mellis in hisce glandibus solet esse communiter, vt etiam dixi in alijs, ab vnc.j. vsque ad vnc.ij. species vero,vel conditurae, quae apponuntur,debent hr̃e proportionẽ octauae, vel decimae partis. E.g.℞.mellis cõmunis vnc. j. s. specierũ hierae drac. j. s. nitri,salis communis ana scrup.j.misce,& fiat suppos.haec est forma suppositorij cõmunis,secundum quam poteritis poscente vsu alias uobis componere.Glandes vehementiores sunt illae, quae componuntur ex melle, atque ex medicamentis grauioribus, & utimur his in affectibus veternosis,in apoplexia,epilepsia, in doloribus aurium, & dentium.utimur etiam in maximis doloribus, & uigilijs. Quae ingrediuntur haec

suppo-

ſuppoſitoria, ſunt elleborus uterque, euphorbium, colocynthis ſcammonium, caſtorium, opium, nitrum, ſal gemmae. In his componendis, quoniã medici quaerunt maximam facultatem, ea propter in ipſis apponitur minor quantitas mellis, ita vt numquàm excedatur vnc. j. mellis; vbi vero cum melle miſcenda ſunt purgantia, portio medicamẽtorum, numquàm debet excedere decimam, vel duodecimam partem mellis, immo vero medicamenta purgantia numquàm excedere debent ſcrup. s. vel ſcrup. j. E. g. in lethargo, vel caro ſi cõponenda eſt vobis glans, ita facietis. ℞. Elleb. albi, ſcammonij, ana gr. iiij. nitri, ſalis, ana gr. vj. mellis vnc. j. miſce, & fiat ſuppoſitoriũ. & notatae medicamenta, q̃ purgant, & ingrediunt̃ ſuppoſitoria, fere ſemper debere eſſe in minori quantitate, quam dum ore ſumuntur, vbi vero eſt animus componere ſuppoſitoria ad ſomnum conciliandum, debet alia proportio ſeruari, & notate hoc in caſu neceſſariam eſſe maiorem medicamentorum ſtupefacientium quantitatem, quam dum ore ſumuntur. E. g. ℞. opij gr. xij. caſtorei gr. iiij. mellis vnc. j. miſce. nõ apponitur ſal, nec quicquam aliud, qđ ſtimulet, quia ſi debent haec ſuppoſitoria operari, neceſſarium eſt, vt diu maneant in inteſtinis. Sed optabit quis intelligere, quare in ſuppoſitorijs conficiendis purgantia in minori, aut aequali copia ſumantur, quam ſi ore capiantur, ſtupefacientia vero in maiore quãtitate? puto ego hanc eſſe cauſam, quia purgantia ſolida ponuntur in ſuppoſitorijs, & cum habeant vim acerrimã, & maxime ſtimulantem adhaerent inteſtinis, & ea facile vellicant, vbi ſumuntur ore, aut ſumuntur colliquata, aut commixta plurimis alijs, a quibus acrimonia ipſorum obtunditur, ea propter dum ore ſumuntur, deſcẽdunt per inteſtina valde caſtigata, & ꝑmixta, vt non poſſint loedere, vel difficulter, ſecus eſt dum integra induntur inteſtinis, & ipſis adhaerent; Cur vero maior ſtupefacientium copia ſumatur, diuerſa eſt ratio, quoniam ſtupefacientia omnia, vt noſtis, frigida ſunt, & craſſa, ſique operari debent, neceſſarium eſt, vt ad actum deducantur, vtque ipſorum facultas per totum corpus diſtribuatur, ſi pauca eſſet quantitas, ſtatim facultas ipſorum extingueretur, & ideo neceſſarium eſt, vt in maiori copia accipiantur.



De

De errhinis. Cap. 14.



Actenus de ijs medicamentis, quae tam per os quam per anum purgant insigniter. Sunt alia medicamenta, quae tametsi non purgant ꝓprie, dicuntur tamen quodammodo purgare quorum vsum, & componendi modum maxime vtile erit intelligere. Primum locum inter haec obtinent, quae a medicis populari quoddam vocabulo dicuntur caput purgia, quia caput purgent: natura enim cum intelligeret cerebrum propter sui frigiditatem debere semper excrementis scatere, & vt dicit Hipp. esse veluti receptaculum pituitae, ideo multas vias, multosq; canales fabricata est, vt possit pars praeciosissima, atque diuinissima perpetuo ab excrementis, & sordibus emundari, & ideo, vt dicit idem Hipp. lib. de structura hominis, & lib de glandibus, fecit aures, oculos, nares, & palatum, vt prae ceteris vsibus, haberēt etiam hūc, expurgandi cerebrum, sed inter has vias, quae maxime inseruiunt huic muneri, sunt nares, & palatum, quod videntes deinde medici excogitarunt medicamenta, quae cerebrum per has vias purgarēt: non excogitarunt medicamenta, quae purgarent per aures, aut oculos, propter duas causas, vnam, quia in his ductibus positi sunt duo sensus omnium nobilissimi, qui sane offenderentur, si per medicamenta purgantia eo traherentur humores: alteram, quia meatus isti sunt admodum angusti, ita vt magna difficultate etiam opera grauiorum medicamentorum possint excrementa cerebri expurgari. fuerunt itaque a medicis duntaxat excogitata remedia, quae caput purgant per palatum, aut nares. Quae purgant per nares communi nomine a medicis dicūtur errhina, quae per palatū apophlegmatismi, officinae, & vulgares appellant masticatoria. Quae per nares purgant, aut purgant attrahendo, & dicuntur nasalia a medicis, aut concitando caput, & appellantur sternutatoria. Nasalia, aut purgantia attrahendo, componuntur, aut in forma solida, aut liquida, quae componuntur in forma solida, solent pro materia habere resinam, ceram, vitellos ouorum assatos, butyrum. forma qua vtimur in componendis hisce medicamentis, est forma collyriorum, componuntur enim ad longitudinem duorum, vel trium digitorū in pyramidis formam, ita vt in nares possint immitti, & detineri. Medicamenta, quae praedictis permista, faciunt nasalia, sunt maiorana, saluia, rosmarinum, nigella, carpesium, pyrethrum, elleborus albus, niger, castoreum. Quantitas quae adhibenda est in his componendis est, vt medicamenta redacta in puluerem commisceantur

resinae,& cerae,vel butyro, secundum proportionem quinctae,vel sextae partis, sic enim poteritis facere pastā,ex qua deinde poscente vsu plura nasalia faciatis. ℞. maioranae,saluiae,ana scrup.j.s. nigellae scrup.s.ellebori nigri,castorei, ana gr.v.butyri,vitelli oui assati,cerae ana drac.ij. m. & fiat pasta, & aduertite, vt semper in cōponendis his medicamētis intelligatis, quae sint grauiora, & minus grauia medicamenta, quia semper debetis minorem quantitatem sumere medicamentorum grauiorum,maiorem mediocrium. Liquida nasalia fiunt ex succis.varij autem sunt succi,ex quibus parantur,succus cyclaminis, brassicae,maioranae,anagallidis,succus betae,& praesertim succus radicum betae, est enim iste succus potētissimus, & vbi vultis vti,numquàm vtamini solo, quia expertus sum,saepe huiusmodi succum dementare homines, & cognosco illustrissimum Principem, cui ex vsu huiusmodi succi fere ablatus est ex toto odoratus.Quantitas,qua solemus vti,horum succorum solet esse ab vnc.s.vsque ad vnc.j.pro vice. Modus sumendi est,vt per infundibulum infundatur per nares, sed mihi magis placet, vt manu acceptus succus, vel vase, attrahatur intro naribus. sed dicetis nonne periculum est, vt iste succus attractus exeat in palatum? est sane periculum, ea propter solemus vti quodam remedio, vt. s. eo tempore,quo iste succus attractus est in nares,ore detineatur aqua, sic enim fit,vt plenis existentibus faucibus aqua, nullus pateat exitus succo in palatum attract o per nares.

Sternutatoria autem fiunt semper ex medicamentis in puluerem redactis,quia si debent excitari sternutamenta,necessarium est, vt vis cerebri expultrix maxime stimuletur,ad qđ opus est medicamento,quod possit, & mora, & substantia sua mittere vapores in cerebrum qui stimulent, id quod sane agunt pulueres, agunt quoq; interdum & fumi, & praesertim acriores. Materia ex qua fiunt isti pulueres,est sinapi,castoreum,ptarmica,euphorbium,piper. Modus vtendi est, vt vel pulueres isti per arundinem, vel per pennam insufflentur in nares,vel vt pyxis supponatur naribus,& deinde ex ea attrahatur per nares puluis Quantitas huius medicamenti non mensuratur, sed est ad placitum, quia cum materia sit attrahenda per nares,manifestum est, quod in pauca quantitate attrahenda est. Similiter dico de succis.componuntur enim succi ex diuersis rebus seruata ratione,quam dixi, deinde attrahitur modicum per nares. Sed si etiam vultis aliquam habere quantitatem,sat erit, vt vtamini singula vice vnc.j.vel ij.

De



De apophlegmatismis. Cap. 15.



Pophlegmatismi seu masticatoria componuntur ex varijs medicamentis, atq; materia quadam certa, cui commiscentur medicamenta, vel parantur etiam haec medicamenta simplicia, ita vt nullam habeant mixtionem. Interdum sola charta masticata prouocat sputum, mastix similiter, terebinthus coctus, passulae masticatae solae; Atque vtimur huiusmodi solis masticatorijs, quando placet nobis citra vllam capitis alterationem pituitam euocare.

Masticatoria vero, quae non simplicia, sed varijs rebus commixta in vsu sunt, communiter apud medicos consueuerunt pro materia recipere, vel mastichem, vel ceram, vel terebinthinam, vel passulas, vel caricas; Veteres vero, vt testatur Galenus 2. de med. local. 2. consueuerant etiam vti pro materia melle, & passo. Praeter materiam, multa alia sunt medicamēta, ex quibus hoc genus remediorū conflari solet, vt est pyrethrum, nigella, macis, staphisagria, cubebe, piper, sinapi, gingiber, nitrum, anisum, foeniculum, acorum, & plurima alia, quae iccirco masticatorijs miscentur, vt sua facultate caput penetrantia, eliquent pituitam, atque per os deducant. Proportio quae seruatur in huiusmodi medicamentis, solet esse pro ratione illius finis, quē optamus, vt scilicet si vehemēter velimus educere, calida eligamus, sin ab oculis, ea sumamus, quae oculos respiciunt. Materiae dosis communiter non solet a medicis praescribi, sed dici, cerae, & mastichis q. s. veruntamen potest aliqua certa quantitas statui, e. g. si materiae media pars respectu aliorum medicamētorum capiatur. exemplū. ℞. cubebarum, pyrethri, ana drac. ij. nigellae drac. j. macis drac. j. s. cerae seu mastichis vnc. s. misce, & fiat mast. hoc enim compositum est ex media parte materiae, & medicamentorū, nam haec medicamenta, vt docebo, quando modum cōponendi tradā, exquisite teruntur, & trita, cerae, aut mastichi igne eliquatae commiscentur: quamquàm autem dixerim mediam debere esse partem materiae, non est tamen certa haec mensura, quia interdum potest addi portio materiae, interdum minui. Circa vsum masticatoriorum duo sunt notanda, vnum quod quando plus medicamentorum, quam materiae sumitis, curetis post vsum masticatorij os ablui tepida, vel frigida, ratio est, quia haec medicamenta calefaciunt mirifice palatum, vt si caliditas non compescatur frigidae ablutione, periculum sit, ne interdum vratur. Alterum aduertendum

est,

est quod monuit Archigenes apud Galenũ 2.de med.loc.2.scilicet, vtendum esse masticatorijs capite inclinato versus terram, atque interdum aperiendum esse os, vt scilicet masticatione deducta in palatum, pituita possit exire.

De expectorantibus. *Cap. 16.*



Is, quae purgant per os, duo etiam adijci possunt, s. expectorantia vocata, & vomitoria, eo quia tametsi haec non sit vera expurgatio, vt dixi de alijs, est tamen euacuatio maxime apud medicos vsurpata. Quae per pectus educunt materiam tres conditiones habere debent, vnam vt excitent tussim, quia cum ea, quae sunt in pectore sola tussi educi possint, nisi hunc motum efficiamus, minime possunt euacuari. Altera conditio est, vt leniant asperam arteriam, & dilatent, quia nisi aspera arteria obediat mollita, & dilatata, frustra tussis excitat. Tertia, vt attenuent, atque incidant, sunt enim humores, qui latent in pectore plerunque crassi, & viscidi, ea propter necessarium est, vt attenuentur, & incidantur, quia vero necessarium est, vt haec medicamenta, vel paulatim ingrediantur asperam arteriam, vel vt in transitu adhaereant parietibus asperae arteriae, iccirco duobus modis parantur, vel liquidiora, vel crassiora. nec miremini, a me dictum esse medicamenta expectorantia ingredi asperam arteriam, quoniã, vt habetis apud Hipp. si recte recordor, lib. de corde, & apud Galenum 3. de placitis, manifestum est, rerum potabilium semper aliquam portionem in asperam arteriam deriuari, idque exemplo ostiarum demonstrabat Hipp. quae si potent coloratam aliquam potionem, & statim iugulentur, apparet pulmones, & asperam arteriam esse colore infectam. Materia ex qua solet componi huiusmodi genus medicamentorum solet esse ex simplicibus mel, vel saccharum, sed quia saepe loco mellis, vel sacchari vtuntur medici serapijs compositis, varij sunt illi syrupi, quibus pro materia vtuntur, vt est syr. de liquiritia, de Hyssopo, de prassio, & alij pectorales vocati, de quibus suo loco. Medicamenta, quae huic materiae commixta faciunt pectoralia, eclegmata a Graecis vocata, ab Arab. loch. sunt amygd. dulces, & amarae, succus liqritiae, succus farfarae, tragacãtha, penidiõ radix ireos, radix enulae, praeterea asarum, myrrha, cubebe, anisum, & multa alia, quae enumerantur a Galeno 3. vel 4. de simpl. Modus & proportio seruanda in componendis his eclegmatibus, est, vt

materiae tertia, vel quarta pars accipiatur, medicamentorum vero duae, vel tres partes, ita tamẽ, vt quando accipimus acriora medicamẽta, plus materiae admiſceamus. E.g. ſi in ſolidiori forma eclegma facere volum⁹, ita facimus. ℞. amygd. dul. vnc. s. rad. enulae coctae, cõtuſae, & cribratae, drac. iij. ſucci farfarae, liquiritiae, ana drac. j. ſacchari vnc. s. miſce & fiat eclegma. In liquidiori forma fiũt eclegmata ex ſerapijs nuperrime monſtratis. poſtulante vſu ſolidiorum eclegmatum accipitur vnc. s. plus minuſue, & ſumitur qualibet hora; liquidiorum autem accipitur cochleare vnum. omnia vero non ſtatim deuoranda ſunt, ſed paulatim, & paulatim deglutienda.

De vomitorijs. Cap. 17.



QVae ad vomitum concitandum medicamenta parãtur, eandem facultatem habere debẽt, vt virtutem expultricem excitent, & retentricem infirment, excitant autem expultricem, quae modice acria ſunt; hebetant autem retẽtricem, quae emplaſtica ſunt, quae humectãt, quae dilatãt, vis enim retentrix, vt noſtis, poſita eſt in ſiccitate, & denſitate partium, quapp quae vomitum ciere debent, non ſolum qualitate debent hoc facere, ſed etiam quantitate, quantitas autem horum remediorum metienda eſt ex potentia eorum medicamentorum, quibus vtimur, ſunt autem medicamentorum, quae ad vomitum vſurpamus, tria genera, vnum lenium, ſecundum mediocrium, tertium vero vehementiorum. Lenia vomitoria ſunt penna oleo tincta, & in os immiſſa, oxymel ſimplex, aqua hordei cum oxymellite, aqua tepida, nam maiores noſtri, qui forſan nimis ventri dediti erant, in frequentiſſimo vſu habebant vomitiores, adeo vt rari eſſent, qui ſaltem ſemel in menſe non vomerent, & ad vomitum excitandum in frequentiſſimo vſu habebant aquam tepidam; immo in quolibet conuiuio offerebatur aqua calida, & frigida, non alia ratione, quam vt qui volebant, poſſent aqua calida ad vomitum vti. Eorum quae vomitum excitant quantitas debet eſſe multa, ſcilicet a lib. j. vſque ad ij. & iij. quo fit, vt non poſſim eos laudare, qui quantitatem quandã ſtatuentes omnium vomitoriorum, poſuerunt eam eſſe ſex vnciarum, nam haec lenia vomitoria niſi detis in magna quantitate, retinentur, & vomitum nullo modo mouent. Mediocria fiunt ex floribus anethi, ex floribus geniſtae, a triplice, ſemine rapi, radice betonicæ: q̃ coquuntur modo in aqua ſola, modo in aqua, & oleo, atque propinã-

tur ad mẽſuram ſaltem lib. j. Modus faciendi haec vomitoria eſt per decocta, nam accipitur vna pars horum medicamentorum, & decem partes aquae, vel ſimplicis, vel aquae, & olei, & fit decoctio ad conſumptionem quintae, vel ſextae partis, additur etiam interdum his decoctis oxymel. & notate oxymel. fere communem eſſe materiam omnium vomitoriorũ, quia acumine aceti proritat virtutem expultricem, mellis autem tenacitate, & lentore, retentricem debilitat. Vehementia vomitoria fiunt ex bulbo vomitorio vocato, ex ſucco raphani, ex ſemine geniſtae, elleb. albo, atq; haec, vel in ſubſtantia dantur, vel in decocto. In decocto modus componendi eſt, vt accipiat medicamẽti ad sũmũ vomitorij vnc. s. aquae vnc. iiij. vel v. ſicq; bulliant ad conſumptionem quartae partis, deinde propinetur, ſi autem ſucci exhibeantur ad vnc. s. vel ad vnc. j. exhibentur: excipio tamen elleborum, quia de elleboriſmo ſuo loco tractationem vtiliſſimam, & magnam vobis tradam.

De diureticis. Cap. 18.



Ipp. 4. de morbis, qui liber ſaepiſſime a me citatur, quia refertiſſimus eſt antiqua, & magna medicina, ſcribit, quatuor a natura factas eſſe vias, per quas excrementa euacuantur, os ſcilicet, anum, veſicã, & nares. De medicamentis, quae euacuant per tres partes iã docui quantitatem ſeruandam in ipſorum compoſitione; non erit ab re ſi etiam pauca addam de quantitate ſeruanda in compoſitione eorum, quae purgant per vrinam. Quae omnia ſunt ſubſtantiae tenuis, acria, vt plurimum: calida fere ſemper, atque haec, vel in puluere ſumuntur, vel in decocto, decoctum autem fit, vel in aqua, vel in brodio. vbi in puluere ſumuntur medicamenta haec, doſis ſolet eſſe a drac. ij. vſq; ad vj. & ſemper poſt ipſorum vſum ſuperpotatur, vel modicum vini tenuis, & albi, vel modicum brodij. vbi autem ſumenda ſunt in decocto, ſiue ſit brodium, ſiue ſit aqua, ſemper brodij, & aquae quantitas debet eſſe decem, vel ſedecim partium, medicamentorum autem partis vnius. Exemplũ ſit iſtud. ℞. aſari, ſmirnij, ſem. apij ana drac. iij. rad. petroſ. rad. foeniculi ana vnc. s. cicerum rubeorum vnc. j. aquae communis lib. iiij. bulliant ad conſumpt. quartae partis, nam vt hoc obiter doceam, haec medicamenta, quae tenuia ſunt, & calida, non debent multum ebullire, quia faciliter, & citiſſime facultas ipſorum diſſipatur. Quantitas quae ſumitur horum eſt ab vnc. v. vſ-

que ad x. Quod dico de purgantibus per vrinam, idem quoque existimandum est de medicamentis, quae menses mouent.

De purgantibus extrinsecis. Cap. 19.




Equitur modo, vt, postquam de purgantibus nitro acceptis tractaui, breuiter doceam vos extrinsecorum quantitatem, sed prius est intelligendum, quomodo medicamenta extrinsecus apposita possint purgare corpora nostra, etenim ex vna parte videtur hoc admodum absonum esse, quoniã si medicamenta purgare debent, vt suo loco intellexistis, necessarium est, vt a calore natiuo comminuantur, & cõminuta actuentur. si extrinsecus adhibeantur, proculdubio non possunt comminui, & propterea, cum nequeant in actum reduci, nõ videntur posse corpora purgare. accedit etiam huic auctoritas Galeni 4. de simpl. primo, quo in loco dicebat medicamenta cuti apposita nequaquam penetrare, eo quia prohibentur ab ipsius cutis duritie, & densitate. si non possunt ob cutem penetrare, non videntur etiam posse purgare. Ex altera parte videtur esse experientia, quia sunt quaedam medicamenta, vt est vnguentum de cyclamino, seu de arthanita maius, quod quidem purgat, vnde non possumns negare, quòd etiam extrinsecus adhibita purgent corpora. accedit his auctoritas Orib. 7. coll. 4. qui scribit Plisthomicum, & Diescem medicos consueuisse medicamentorum admotione extrinseca, atque etiam odorata, corpora purgare, imo addit, etiam pedum ablutione facta cum decocto ellebori. Pro resolutione huius rei dicendum est, non omnia medicamenta extrinsecus adhibita posse corpus humanum purgare, q̃a nec rhabarbarũ nec agaric⁹, nec alia huiusmodi medicamẽta id vnquam agent, sed solum uehementissima, cuiusmodi est granũ gnidium, seu mezereon, ob cuius frequentem vsum scribit Oribas. loco citato, Asclepiadas vocatos esse Gnidios, vnde ẽt notare debetis, quando Hipp. scripsit ad Gnidios, non ad Insulanos illos scripsisse, sed ad medicos sic appellatos ob frequentem vsum grani gnidij. Tale etiam medicamentum est colocynthis elleb. scammonium, cucumis asininus, euphorbium: haec enim, vt dicebat Galenus, & vt etiã alias docui vos, sunt venenosa, & deleteria, ea propter sicuti venena extrinsecus adhibita solent propagari in corpus, vel per qualitates spirituales, vel per vapores, atque sic interimere animalia, pariter etiam dicendum est, haec medicamẽta venenata per suas

qualitates


qualitates facultatem immittere in corpus, vbi postmodum operentur atq; humores euacuent: bene verum est, duo requiri ad hoc, vt medicamenta purgent extrinsecus apposita: vnum, vt minutissime conterantur, deinde etiam, vt diu permaneant supra locum. possumus addere & tertium, vt locus super quem ponenda sunt, excorietur parum, vel gladiolis minutissimis perpungatur, etenim sicuti videmus piper contritum si parti decorticatae superponatur vlcerare, & operari, ac medicamenta caustica citius penetrare, & agere si cutis prius pungatur, atque medicamenta diu ibi ditineantur, pari pacto idem existimandum est, de purgantibus, quae si contrita, & cuti expunctae apponantur, ac apposita diu retineantur, possunt etiam corpus expurgare, id quod manifestissime patet ex usu illius medicamēti quod nuperrimè vobis indicaui, scilicet vnguenti de arthanita maioris, hoc enim experientia probatur, si supra venticulum ponatur, atque ibi detineatur, vomitum ciere, si vero supra vmbilicum, potius aluum mouere. Quantitas horum medicamentorum haud quaquā certa definita est a medicis, ꝓpterea, quod quae extrinsecus applicantur medicamenta, etiamsi in paulo maiore quantitate capiantur, aut nullum detrimentum, aut exiguum admodum faciunt, qua propter etiam vos poteritis horum medicamentorum magna quantitate vti, sat est, quod semper debent esse in dupla quantitate maiore, quam sumatur ore.

De medicamentorum extrinsecus alterantium dosi. Cap. 20.



Vnc artem vos edocebo metiendi alterantiū quantitatem, appello autem alterantia, quae sine vlla euacuatione corpora nostra a pristina qualitate ad aliā trāsmutant: fit vero haec transmutatio tot modis, quot intellexistis esse genera qualitatum, primo mutantur corpora secundū primas qualitates, quando calefiunt, frigefiunt, exiccantur, & humectantur. secundum secundas, quando ex duris fiunt mollia, ex densis rara, secundum tertias, quando aperiuntur, clauduntur meatus. secundum quartas, quādo vel liberant͡ a venenis, vel alio aliquo pacto liberantur a qualitatibus medicamentorum occultis. Haec itaque alterantia, vel recipiuntur sub forma liquida, vel solida, sub liquida sumuntur decocta, vina omnia, mellea, & saccharea, vt syrupi, succi, olea, & tandem quicquid sub genere liquorum continetur. Solida au-

da autem medicamenta sunt electuaria, pulueres, semina, grana, vnguenta, cerata, & alia huiusmodi: haec vero, vel possunt administrari extra corpus, vel in corpore: de extrinsecis non est necessariũ vt vnquam multum solliciti sitis, in expendenda ipsorum mensura, quoniam vt alias docui vos, errores, qui contingere possunt in quãtitate extrinsecorum metienda, parum aut nihil detrimenti corporibus nostris adferũt: verumtamen etiam in his est aliqua ratio vobis sequenda, ne scilicet irrideamini, eo quia si. E.g. pro digito curando libram olei ordinaretis, res esset digna risu, similiter si pro vniuerso corpore curando vnc. j. aquae, vel olei praescriberetis, res esset incongrua; quare etiam in his est aliqua ratio vobis ineunda, habebitis autem rationem haec remedia mensurandi, si expendatis an medicamenta sint vobis ordinanda toti corpori, an alicui parti, an partibus, si toti corpori, & medicamenta sint liquida, vt sunt balnea aquarum dulcium, balnea oleorum, & decoctorum, veluti ordinantur in spasmo, in doloribus nephriticis, colicis, debet ea a vobis remediorum quantitas praescribi, in qua possint tota corpora immergi, & haec mensura non describitur libris, vel vncijs, sed vel mastellis, vt Patauij, vel aliquibus alijs pro regione, mensuris maximis. Si sint linimenta facienda toti corpori, mensura accipitur, vel vnciarum, vel ad summum librae, habetis sanctissimum illud exemplum Mariae, quae cum voluisset vngere corpus Christi, libram vnguenti accepit, igitur vbi vngere corpora aegrorum placebit, mensura non excedat lib. j. linimenti. Si parti sint applicanda alterantia, & liquida sint, tunc libris res agenda est. E. g. si abluendum sit caput, vel lacte, vel oleo, vel vino, vel aquis, mensura erit a lib. v. vsque ad x. quod si res agenda sit vnctione, sat erit, ab vnc. ij. vsque ad iiij. ordinationes vestras componere. Si autem pluribus partibus medicamenta sint adhibenda, veluti quãdo fiunt insessus in mulieribus atque etiam in viris, medio modo incedendum est, vt scilicet intra hos terminos quantitatem vestram sumatis. Haec breuis ratio pro medicamentorum extrinsecorum vsu vobis satis superque esse potest.



De

De alterantibus intro assumptis. Cap. 21.



Aeterum alterantia intrinseca aliam dosandi rationem expostulant, in quibus componendis id, quod & in alijs medicamentis docui, faciendum est, vt scilicet diligenter consideretis quae debeat esse basis medicamenti componendi, quod praeparans basim, & quod remouens impedimentum, nam in quolibet medicamento composito tria haec ingrediuntur: semper maior portio basis debet esse, quam aliorum, sancto loco praeparantium, tertio eorũ, quae remouent impedimentũ. Secũdo non sat est huiusmodi vniuersalem tenere rationem, sed cogitandum est semper in quo gradu sint medicamenta quibus vti debetis. iam enim abunde docui vos gradus, & graduum cognitionem. Si alterantia, quae intrinsecus adhibenda sunt, sint liquida, & sint a primo gradu vsque ad secundum, primarum qualitatum quantitas debet esse ab vnc. iiij. vsque ad lib. j. etenim si excederetur huiusmodi quantitas, medicamentum non alteraret, sed potius euacuaret. exemplum est de sero lactis, quod in magna quantitate purgat, similiter aquae thermales si intra hos terminos sumantur alterant, sin quantitas magna sumatur, euacuant, excipienda sunt ab his medicamenta liquida, quae apud Pharmacopolas habẽtur, vt sunt syrupi, succi, quorum omnium dosim luculentissime docebo in sequẽtibus. Si solida sint medicamenta, quibus debetis alterare, atque non excedãt hos gradus, dosis est ab vnc. s. vsque ad vnc. j. s. vt est facch. rof. viol. conserua citri, chicorei, borrag. Haec cum alterent non excedunt secundum gradum. Si fuerint autem medicamenta a secundo gradu vsque ad tertium, atque sint liquida, dosis est ab vnc. j. vsque ad iij. sine solida, multo minor debet esse quantitas, ita vt sit a drac. j. vsq; ad drac. iij. nisi tamen medicamentũ, quo vti debetis, habeat facultatem nobis aduersam praeter manifestam, hoc dico, quia crocus nõ excedit secundum caliditatis gradum, veruntamen si drac. ij. dentur croci, vt refert Serapio, & Auic. iugulabit aegrum ridendo. & aduertatis, in componendis vestris medicamentis, vt non respiciatis tantum primas, vel secundas qualitates, sed etiam aduertatis diligenter qualitates totius substantiae. Quae alterant a tertio vsque ad quartum gradum, in multo minori quantitate sunt vsurpanda, eo quia quaecunque sunt in quarto gradu, & praesertim intẽso, omnia fere sunt venenata, aut proxima venenis. Vnde huiusmodi medicamẽta numquàm exhibenda sunt ad summum, vltra xx. grana. etenim si vel piperis, vel sinapis, vel opij mensuram.

suram.

suram maiorem exhibeatis,quam praescriptā, erit iugulare aegros, quare horum medicamentorū, quae alterant in quarto gradu, a iiij. gr.vsque ad xx.sunt mensuranda, nisi tamen haec medicamenta habuerint secum substantiam, quae refrangat huiusmodi gradus, & facultates,vt sunt alium,& cepa,nam nemo est,qui impune nō vtatur multo maiori quantitate, nec tamen offenditur, quia refrenata est facultas, ea propter si succum vel alij, vel cepae exhiberetis in ea quantitate,procul dubio maximam noxam perciperent aegri. Quae alterant secundum secundas, & tertias qualitates, ferme sunt omnia mensuranda ea methodo, quam monstraui prius, quia vt docui suo loco, qualitates secundae, & tertiae semper sequuntur primas, ita vt si vobis erit, vel emolliendum, vel condensandum, vel prouocandum vrinas, debetis semper respicere gradus primarum qualitatum, & secundum mēsuras illorum graduum metiri secundas,& tertias qualitates.

De dosi alterantium à proprietate occulta. Cap. 22.



Erum in vsu eorum medicamentorum, quae a proprietate occulta iuuāt,multo difficilior est ratio inueniendi mensuras, eo quia sicuti occulta, & immanifesta est nobis huiusmodi facultas,pariter non potest cognita, aut certa esse nobis mensura: veruntamen, vt etiam coecorū instar ī horū vsu nō ambuletis,statui breuissimis verbis de his facultatib⁹ aliqua vos docere. Galenus, etenim sexto in sextum Epid.Com.5.huiusmodi ꝓprietates rerum tradens,docuit in quatuor generibus rerum eas reperiri, primo in medicamentis purgantibus,quia vt indicaui suo loco,quae purgant,a tota substantia, & quadam occulta proprietate purgant.Inueniuntur praeterea hae proprietates in alimentis,quia alimenta nutriunt, quia occultam quandam, & a tota substantia similitudinem gerunt cum nutrito, sic frumentum est nutrimentum humani corporis,hordeum iumentorum.sic dicit Lucretius.Barbigeras pecudes nutriri cicuta & de innumeris verum est, quod dicit Galenus,proprietates occultas reperiri in alimentis. Insunt tertio hae facultates rebus maleficis:sunt autem hae duum generū,vt scribit Galenus;vel enim venenatae sunt,vt venena ferarum,vel maleficae,vt venena aliorum medicamentorum, & corporum. Insunt quarto hae proprietates in remedijs rerum maleficarum, quae & ipsa

ipsa duum sunt generum, aut enim sunt remedia venenorum ferarum, & dicuntur theriaca, aut sunt remedia venenorum in alijs medicamentis, & corporibus, & dicuntur alexipharmaca, de quibus luculentissime, & primus omnium tractauit Nicander uetustissimus rei medicae scriptor. Ita vt secundum Galenum sex sint genera dotata huiusmodi proprietatibus, scilicet, medicamenta, alimenta, venena ferarum, medicamenta venenata, alexipharmaca, & theriaca. Sed video statim aliquem vestrum esse dubitaturum, non exacte a Galeno fuisse enumerata omnia corpora, in quibus reperiuntur huiusmodi proprietates. nam sunt plurimi lapides, qui proprietates miras habent, & iuuandi, & nocendi, vt est Lapis Bezaar, Lapis aetites, cornu vnicornis. haec habent quidem proprietates, sed non sunt venena, non alimenta, nec sub vllo alio genere comprehēsa, vt nec ossa. nam caluaria humana in epilepsia curanda traditur mirifice valere, rursum fuit sententia omnium ferè veterum, Asclepiadis, Archigenis, & Auerr. 5. Collect. cap. 19. membris membra iuuari. do exemplum, Asclepiades apud Galenum 8. de Local. 8. scribit iecur Lupinum mirifice hepaticos iuuare a tota substantia. sic etiam scribit, ventres gallinae stomaticos maxime iuuare, & tandem, vt scribit Auerr. experientia comprobatum est, mēbra a similibus membris corroborari: huiusmodi proprietas est occulta, & a tota substantia. veruntamen non videtur posse constitui in vllo genere horum sex, quae ex Galeno enumerauimus. Respondeo, quod ad ossa, & lapides attinet, debere quidem, & posse reduci sub genere alexpharmacorum. nec valet, alexipharmaca solum ea esse, quae aduersus venena aliarum rerum adhibentur, quia etiamsi vsus alexipharmacorum hic sit praecipuus, verumtamen vtimur etiam ipsis ad venena, quae in corporibus nostris gignuntur, vt bolo armeno ad febres pestiferas, similiter lapide lazuli, vtimur etiā lapide bezaar ad febres venenatas, adeo vt possint omnia huiusmodi remedia aliquo pacto reduci sub genere alexipharmacorum. Sed quid de ijs, quae ratione similitudinis conueniunt? duo possumus respōdere, vnum, quod scribit Galenus 11. de simpl. quo in loco sermonem habens de ventre mergi, & gallinae, nec non de lupino iecore, inquit, se huiusmodi facultates saepe explorasse, verumtamē numquàm inuenisse quod iuuent, neque quod venter gallinae stomaticis prosit, neque iecur lupi hepaticis, ita vt cum ex sententia Galeni, haec res non inueniatur vera experientijs, possit etiam negari. alio modo respōdere possumus, huiusmodi omnia, quae iuuāt propter similitudinem, reduci posse ad alimenta, quia alimenta nutriunt ratione similitudinis totius substātiae, sic etiam possumus dicere, quod ratione huius similitudinis alimentaris membra iuuent

membra. Cum itaque tot ſint genera rerum praeditarum occultis proprietatibus, de purgantibus non eſt, quod amplius loquar, quia vobis, ni fallor, monſtraui omnes menſuras. de venenis etiam non eſt, quod expectetis quicquam aliud, quia eſſet monſtrare viam homines iugulandi, quod quidem piaculum eſt, & a medici Chriſtiani profeſſione alieniſſimum. Solum igitur docebo aliquam rationem menſurandi alexipharmaca, theriaca, & membra a ſimilitudine operantia. Doſis, & menſura rerum, quae propter ſimilitudinem operantur, debet capi ſecundum modũ, quo propinantur, quia vel dantur in puluere, quemadmodum vt plurimum fit, vel in ſucco, quocunque modo dentur, cum ſint ſimilia, & ratione ſimilitudinis etiã poſſint quoquo pacto nutrire, menſura poteſt eſſe a drac. j. vſque ad ij. vt ſi puluis tunicae interioris vẽtriculi gallinae alicui ſit exhibendus, exhibeatur a drac. j. vſque ad drac. ij. ſimiliter puluis iecoris lupini hac menſura poterit exhiberi, eo magis ſi exhibeatur ſolus, quia ſi exhiberetur vna cum alijs, vt ſolet fieri, quando pulmo vulpinus exhibetur cum ſaccharo viol. in affectibus pulmonis, tunc in minori quantitate exhibetur. E. g. vnc. s. ſacchari viol. & drac. s. vel drac. j. pulueris pulmonis vulpini. Sed dicetis, quando vti volumus ſolo puluere, quomodo agendum eſt ne puluis ille retineatur, & non penetret? ſi aegri ſint ſine febre, detis cum vino, quia vinum perducit ad locum determinatum, ſi cum febre, detis cũ brodio, vel aqua accommodata, modo eadem quam dixi menſura ſeruetur. Atque idem etiam dictum putatote de omnibus alijs medicamentis, quae proprietate occulta ſuccurrunt varijs morbis.

De Alexipharmacis ſiue Theriacis. Cap. 23.




Eterum de alexipharmacis, & theriacis ardua ſane eſt: prouincia inueniendi quantitatem: eo quia ſi rationem ſpectemus, nullam plane habemus: ſi veterum auctoritatem, ex ijs nulla certa inueniri poteſt ratio: quoniam ſi ſmaragdi doſim conſideremus, volunt eſſe vſque ad gr. vj. ſi cornu vnicornis quantitatem intueamur volunt eſſe ad gr. iiij. Lapidis Bezaar doſis minima adfertur a ſcriptoribus, immo refert Arnaldus Villanouanus ſe vidiſſe quendam lapidem, qui propinatus ad gr. j. per tres hebdomadas finiebat tumores duriſſimos; ita vt nulla certa ratio videatur poſſe inueniri, qua huiuſmodi medicamentorum doſes ſtatuamus: verumtamen hac etiam in re aliquid nobis periclitandum

tandum erit; idque vt efficere possimus, sunt nonnulla primo examinanda circa naturam alexipharmacorum, nam siue dicamus alexipharmaca, siue alexiteria, siue theriaca, nihil in praesenti refert, vt monuit Galenus 5. de simpl. 18. hoc enim nomine ītelligo ea omnia remedia, quae curant venena, siue intra corpus nostrum generentur, siue extra mittantur. Primo autem considerandum est, nunquid haec remedia sint venenata, an salutaria, & vtrum indiscriminatim, & quocunque modo liceat his medicamentis vti. Galenus 5. de simpl. 18. de his longum sermonem instituens, dicebat ea medicamenta, quae alexipharmaca dicuntur, venena tollere, vel euacuando, vel alterando, quae euacuant euacuare, aut per attractionem, aut per dissipationem, & quae euacuant per attractionē, aut attrahere ratione caloris, aut ratione proprietatis totius substātiae, quae alterant, aut alterare per qualitates manifestas, aut a tota substantia. Praeter haec, duo alia dicit Galenus maxima animaduersione digna, vnum, alexipharmaca media esse inter corpora, & venena. Alterū, alexipharmaca si a corpore venenato sumantur, prodesse, si a sano, nocere. Haec memoriae mandauit Galenus loco citato. Auerr. autem 5. collect. 23. de hisce medicamentis, quae ab ipso, & Arabibus Bezaartica dicuntur, sermonē faciens, quinq; maxima consideratione digna docet; vnum est medicamēta haec operari, vel permutando naturam venenorū sua qualitate, vel attrahendo, aut tota substantia. Alterum, huiusmodi medicamenta non curare, neque quicquam boni efficere, nisi a corpore venenato sumātur, quo tempore inquit Bezaartica qualitatem corporibus inserere venenis inimicam, propter quam ipsa alterantur, ita vt huiusmodi alexipharmaca dicātur curare per accidens. Tertium dicit Auerr. quod si homo sanus vtatur hisce medicamētis, fiunt ipsi perinde ac venena, exceptis quibusdam, vt seminae citri, & similibus. Addit quarto, errare eos medicos, qui existimarunt, Bezaartica esse media inter corpora, & venena, eo quia medium, & extrema sunt eiusdē generis, si sint eiusdem generis, ergo similia, quare non poterant corpora, si sint similia, curari, quia, vt vbique tradit Hipp. curatio fit per contraria. Postremo inquit Auerr. aliam esse causam adferendam cur haec remedia sanis obsint, & venenatis valde prosint, & haec ratio est, quia duas habent operationes, alteram quando recipiuntur in corpore venenato, alteram quando in non venenato, nam vbi in sano corpore recipiuntur, operantur, vt venena, vbi in corpore venenato, operantur vt contraria venenis, & quia potuisset aliquis occurrere Auerr. absurdum videri idem medicamentum contrarias edere operationes, respondet, non inconuenire ratione variae corporum dispositionis, vt eadem medicamenta contrarias

cedant operationes. Hic est discursus Auerrois, ex quo, & ex Galeni nuperrimè allata sententia potestis colligere, haec alexipharmaca esse neque prorus salutaria, neque prorsus loethalia, sed media, & qua sunt loethalia, assimilari venenis, qua vero salutaria, corporibus. Illud etiam colligere potestis citra omnem controuersiam: Bezaartica iuuare quidem venenatos, nocere autem non venenatis, qua re ita constituta, surgit grauis difficultas inueniendi quantitatem horum medicamentorum, eo quia si suapte natura veneni nō sunt expertia, sique sanis corporibus adhibita nocumentum inferunt, maximum periculum imminere videtur, si paulo plus, quam conueniat de ijs exhibeatur, & vt dixi, ab ipsis authoribus nō sunt nobis expectanda pondera harum rerū, quia varia, & diuersa sunt: Vt tamen aliquid certi hac in re a nemine tacta habeatis, illud primo statuo, quod vbicunque a scriptoribus inuenietis pondera Bezaarticorū descripta, ijs semper vtamini, & ratio est, quia vt scribit Galeni 1. de med. per genera 18. hae proprietates non habentur vlla methodo, sed sola experientia, quare qui experiuntur has facultates, etiam experiuntur mensuras, ideo necessarium est, vt experimentatoribus fidem habeamus, verum quoniam sunt plurima quorum mensuram non habemus nobis relictam, ideo in his cogitādum est, primo an debeamus vti intrinsecus, an extrinsecus, si intrinsecus videndum est, deinde an sint simplicia an composita, rursus si simplicia, an praeter facultatem venenorum debellatricem, habeant etiam facultatem euacuandi, aut non. Si simplicia sint, & facultatem euacuandi habeant, dico adhibenda esse in minori quantitate secundum dimidiam partem, quam exhibeantur ad purgandum, do exemplum. bolus ar. vt habuistis, quando de purgantibus agerem, purgat a drac. j. vsque ad drac. ij. lota, illota vero a drac. s. vsque ad drac. j. s. vbi igitur vultis vti bolo arm. aduersus venena, debetis accipere mediam partē semidrachmae, vt scrup. j. vel scrup. j. s. aut etiam scrup. s. ita, vt numquàm transcendatis scrup. j. s. ratio vero cur debeat sic metiri haec quantitas, est, quia bezaartica intrinseca, vt dicit Galenus 5. de simpl. curant venena alterando, vt alterent, non debent perturbare corpora, & iccirco non debent offerri in ea quantitate qua solent purgare. Si sint simplicia, & nullam facultatem habeant purgandi, dico posse in maiori quantitate offerri, sed diuersam esse, quando offeruntur corporibus venenatis, & quando sanis, quando venenatis semper offeruntur in dupli maiori quantitate, quam in sanis. do exemplum. Nicander aduersus venenum spumae argēti dat myrrhae obulos. ij. vos etiam si corpus erit venenatum dabitis hanc myrrhae mensuram, si erit vtendum myrrha in corpore non venenato, sat erit drac. j. & quod dico de myrrha

tha,applicare poteſtis omnibus alijs. Si medicamenta ſint compoſita,hic magno etiam iudicio opus eſt,quia alexipharmaca compoſita,vt docet Galenus 3 de ſimpl. 23. componuntur ſaepe ex venenis,propter quam rationem dicuntur media inter venena,& corpora.cum itaque componantur ſaepe ex venenis, diligenter erit inueſtigandum, an medicamentum alexipharmacum,quo vti debetis multum habeat medicamenti venenati an parum, an nihil, quia ſi nihil habet venenati,qđ tamen raro contingit, poteſtis vti in quantitate drac. j. vſque ad ij. & plus, ſin autem habeat multa venenata admixta, videndum eſt,an corpus cui adminiſtrare debetis ſit ſanũ, an venenatum, ſi ſit venenatum, debetis adminiſtrare ſecundum quantitatem theriace praeſcriptam,ſi ſanum,ſm mediã quantitatẽ. capio exẽplũ a theriaca,cuiᵒ q̃titas, q̃ aduerſus venena adminiſtrat̃ eſt, drac. j. haec igitur erit praeſcripta doſis in omnibus ſimilibus, quando adhibere debetis corporibus venenatis. ſi corporibᵒ ſanis adminiſtranda ſit,ſufficit quantitas drac.s.& hoc eſt,quod dicit Galenus 5. de ſimpl. alexipharmaca in corporibus ſanis adminiſtrata maiori quantitate, quam conueniat,maxime nocere: quod ſi dicatis Marcum Imperatorem, vt refert Galenus lib.de theriaca ad Piſon.continuo vſum eſſe theriaca, & magnam vtilitatem percepiſſe, dicendum eſt,eum ſemper vſum fuiſſe in multo minori quantitate, quam vſus fuiſſet,ſi fuiſſet venenatus. Si alexiphamarca ſint compoſita ex paucis rebus venenatis medio modo incedendum erit, vt ſcilicet in corporibus ſanis, & venenatis paulo plus exhibeatis, quam vbi multum venenati eſt ipſis permixtum. Haec itaque eſt ratio inueniendi doſim,quando intro ſunt ſumenda.Vbi extrinſecus eſt vtendum, non multum diuerſa ratione eſt incedendum, nam huiuſmodi omnia medicamenta operantur extrinſecus adhibita,vt dicit Galenus, vel quia attrahunt caliditate, vel proprietate occulta,ſi attrahunt caliditate, vt eſt allium, debent adminiſtrari extrinſecus in febre magna in pauca quantitate,ne ſcilicet dum volumus curare venenum,febrem augeamus, & propterea, qui vtuntur in febribus peſtiferis oleis iſtis alembicatis maxime calidis,debent parciſſimè vti;Vbi febris non adeſt,in paulo maiori quantitate adhiberi poſſunt. Similiter etiam dicendum eſt de ijs extrinſecis, quae proprietate attrahunt venena, vt ſcilicet expẽdamus an haec ſint admodum venenata, an non.ſi admodum ſint venenata,in exigua admodum quantitate ſunt vſurpanda. E.g.ſi volumus vti cantharidibus,hae ſunt maxime venenatae,attrahũt venena a proprietate,ſed quando volumus vti ipſis, vel medicamentis, quae ingrediuntur,debemus in exigua admodum quantitate vti, vt ſi doſis ſit cantharidum apud Hipp. iiij. vel x.granorum,extrinſecus non vtamur

mur ijs, nisi ad granum. j. vel ij. sed dicetis, cur est adeo pauca quantitate horum extrinsecus vtendum? haec est ratio, quam etiam refert Galenus 5. de simpl. 18. scilicet huiusmodi medicaměta esse aduersissima, & propterea magna prudentia, ita ijs est vtendum, vt nō loedant, immo vero videtur Galenus, eo loco maxime, abhorrere huiusmodi omnia remedia, quae sunt aduersissima. Sed video vos statim esse dubitaturos, quia Galenus 11. de simpl. vbi tractat de dracone marino, inquit, in scorpionis ictu si scorpio affricetur maxime iuuare, & in sese trahere totum venenum, verumtamen scorpio est aduersissimus naturae nostrae, quare non videtur sanum esse id Galeni consilium, quod extrinsecus aduersissima alexipharmaca non sint vsurpanda. dico dupliciter, vno modo, quod Galenus, quando damnat alexipharmaca extrinsecus adhibita, quae sunt maxime aduersa, loqui de ijs exhibitis in corpore non venenato, quia vbi non adest venenum in corpore, cum facultas medicamenti venenati sit potětissima, facile superans corporis nostri facultates, operatur vt venenum, & propterea maxime nocet: vbi autem venenatum fuerit corpus, solum operatur aduersus venenum: alio modo dici potest, scorpium adhibitum, & affricatum parti commorsae posse adhiberi duobus modis, vel viuum scilicet, vel mortuum: si viuus affricaretur, proculdubio nocere posset, quia sic est aduersissimus, sin autem affricetur mortuus, nullum detrimentum infere potest, sed magnam vtilitatem, quia cadauer scorpij, est ex sese veneno denudatum, vbi aũt affricatur ratione similitudinis totius substantiae, attrahit in sese venenum illud, quod parti commorsae inest, atque haec videtur fuisse Galeni sententia, & 11. de simpl. & primo de antidot. Est igitur haec ratio vtendi mensuris eorum medicamentorum, quae alexipharmaca dicuntur, quae etsi non videatur vsquequaque certa, vt dixi, excusare vos poteritis cum in rebus occulti id faciatis, quod melius fieri potest.



De dosi medicamentorum, quae apud seplasiarios habentur, siruporum scilicet, confectionum, conseruarum, pulverum. Cap. 24.




Ntequam caput de modo componendi aggredior, vt perfecta fiat de dosibus tractatio, putaui vtile,& iucundum vobis futurum, si etiã dosim eorũ medicamentorũ,q̃ apud Pharmacopolas habentur,traderem. sunt autem eorum alia,quae extrinsecus,alia,quae intrinsecus administrantur. Extrinsecus, vt olea, cerata, vnguenta, emplastra, quorum omnium mensuram non est, vt longo sermone doceam, sed sat est vobis intelligere, quod vbicunque pars aliqua affecta expostulat medicamentum extrinsecum, debere ea quantitate adhiberi, qua totam partem affectam cooperiat,atque hoc est potius opus chirurgi,quã medici. Quae intrinsecus capiuntur, vel sunt liquida,vel solida; si liquida,aut purgãt, aut alterant, vt sunt syrupi,succi,aquae,& tandem omnia quae,vel melle,vel saccharo liquida conficiuntur. Solida vero,aut sunt confectiones, aut conseruae, aut condita, aut pulueres,aut loch,aut pillulae aut trochisci. A liquidis itaque incipiamus alterantibus,vt sunt syrupi, quorum quantitas sumitur a modo vtendi, quia si debemus vti solis syrupis alterantibus, dosis est, ab vnc.j.s.vsque ad vnc.iij.si vero debeamus vti cum aquis,communiter non solent medici pertransire vnc. ij. & aquarum vnc. iiij. vel vnc.v. vnde potestis intelligere, si aquis solis vtendum sit, dosis sit ab vnc.v. vsque ad viij.si cum syrupis vsque ad iiij. vel v. sunt tamen inter syrupos alterantes, qui in minori quantitate dantur, vt sunt syrupi ad somnum conciliandum instituti, vt est syrupus de papauere,est enim communiter eius dosis ab vnc.s.vsq; ad vnc. j. s. Qui sint syrupi alterãtes nostis, vt est syrupus de endiuia,de cichoreo. s. simpl.& compos.de succo borrag.de farfara, de prassio,de beton. de stoecade, syr. bizant. de arthemisia, de eupat. de mentha, de absinth. de nymphea, myrtinus, citon. ros. recens ex rosis siccis,hi sunt,qui cõmunes habentur apud pharmacopolas, & quidam alij. Syrupi purgantes sunt,syr. ros. sol. mel ros. sol. syr. de cichoreo cum rhab. syr. viol. sol. syr. de polypodio noster, de epithymo Mesues, succus ros. syr. de pomis compos. horum dosis est, ab vnc.iij. vsque ad v. nec miremini maiorem esse dosim purgantium, quam alterantium, quia hi syrupi sunt ex rebus leniter euacuanti-

bus

bus compositi, nec possunt, nisi multa quantitate offerantur, corpus mouere. Inter haec liquida sunt nonnulla etiam medicamenta, quae propriè syrupi non sunt, vt oxymel simplex, & scyllit. oxisacchara, succi varij, vt miua citoniorum, rob de berberis compos. & simpl. rob nucũ, rob de ribes comp. & simpl. diamorõ; vtimur his raro solis, sed plerunque cum aquis, vel decoctis, est dosis eorũ ab vnc. j. vsque ad vnc. j. s. & notate, veteres medicos huiusmodi syrupos non habuisse, sed loco horum vsos esse succis radicum, herbarum, & fructuum, quos vt potestis videre apud Galenum 6. de local. melle componebant, atque ita vtebantur: sunt enim apud Paulum, & Aetium multa huiusmodi, quorum alia dicuntur propomata, alia potiones suaues, alia potiones vtilites. Propomata, vt habemus apud Alex. & vt in meis varijs lect. docui, erant vt plurimũ vina medicata, condita aromatibus, herbis, & radicibus, & vocabãt propomata, quia vt docet Plinius, instituta erant, vt praepotarentur ceteris cibis, quo excitarent appetitum. Potiones vtiles, & iucundae, vt docet Paulus, lib. 7. cap. 15. fiebant ex succis vna cum melle, nec vinum miscebant, quia huiusmodi potiones in vsu erant pro febricitantibus, fiebant enim ex succis pomorum, prunorum, cerasorum, & tandem ex omnibus succis fructuum dulcium, & suauium. Inter solida medicamenta, primo sese offerunt confectiones. Fuchsius, qui diligentissime tractat medicamentorum compositiones, appellat confectiones omnia semina, & aromata, quae sacharo condiuntur, & hoc nomen apud nos est populare, vt appellemus huiusmodi confectiones: sed apud pharmacopolas, apud Arabas, apud Cordum, confectiones vocantur illae, quae proprie apud Mesuem electaria dicuntur, & nomine confectionis, possumus intelligere quicquid ex pluribus medicamentis componitur cum melle, vel saccharo. dixi ex pluribus medicamentis, ad differentiam conseruarum, & conditorum, quae ex vna sola re, & ex saccharo, vel melle fiunt. Sunt confectiones apud pharmacopolas quatuor generum, aliae dicuntur opiatae, aliae aromaticae, aliae lenitiuae, aliae solutiuae: opiatae appellantur omnes illae, in quibus opium, vel aliud soporiferum ingreditur, vt est, diaolibanum Nicolai. Zaranea, seu Musa aenea, vel Egetaea Mesues, Philonium maius, siue romanum Nicolai, Philonium Mesues, persicum Mesues, requies Nicol. trifera magna Nicol. athanasia, aurea alexandrina, diacodion, theriaca Androrecens. Esdrae antidotus ex Aetio. Tot sunt opiatae confectiones verae, quibus vtimur ad somnum conciliandum, dosis harum est, a scrup. s. vsque ad drac. j. nam cum vtamur his confectionibus, solum in casibus maxime necessarijs, pauca datur quantitas, vnde non possum satis mirari Mesuem,

fuem, qui philonij, secundum descriptionem hamech, dat a drac.ij. vsque ad aur. ij. nam in hac confectione tertia pars est soporiferorum, vnde numquàm auderem dare vsque ad drac. j. Notandum est, apud Cordum, & apud plerasque nationes appellari etiam confectiones opiatas nonnullas, in quibus nullum soporiferum ingreditur, sed solum aromata, & medicamenta calefacientia, & exiccantia: quarum omnium confectionum vsus est in affectibus ventriculi, & vteri frigidis, huiusmodi sunt triphera maior Phenonis, triphra saracena. Mesues, triphera persica, confectio anacardina, diacastoreum Nicol. Micleta Nicolai, elect. de Baccis lauri, diasatyrion. Dosis harum est, a drac. j. vsque ad drac. ij. Aromaticae confectiones sunt, quae componuntur ex aromatibus, & saccharo, quaeue instituta sunt vt plurimum ad corroboranda viscera & ad omnes affectus frigidos, vt est aromaticum ros. aromaticum gariophil. diambra, diamuscus dulcis, & amarus, dianison, diacalamenthũ, diaspoliticõ, diatrion pipereon, diaciminũ, diacinamomũ, dianthum diamargariton calidum, & frigidum, diagalanga, diacurcuma, dialacca, diapoenidion, diaireos, diatragaganthum, calidum, & frigidum, diaprassũ, diatrionsandalon, diazingiber, loetificans Almanzoris, confectio liberans, electuarium Iustinum, elect. de gemmis, confectio cordialis, electuarium Plyrissarcoticum, confectio Alchermes, Dosis harum omnium communiter est, a drac. j. s. vsque ad drac. iij. Condita, vel conseruae sunt, vt dixi, herbae, vel radices, vel fructus, vel semina, quae conseruantur in varijs liquoribus, nam sunt multa, quae neque sicca, neque viridia, possunt conseruari, & tamen necessarium est, omni tempore ipsis vti, itaque inuenerunt medici rationem ipsa conseruandi, & propterea dixerunt conseruas. Corpora, & liquores quibus vtimur ad conseruas, sunt acetum, sal, oleum, cera, mel, saccharum, apud pharmacopolas nullus alius fere liquor est in vsu ad conseruas praeter mel, & saccharum: veteres cum carerent saccharo nostro depurato, vtebantur melle solo, nos frequentius vtimur saccharo, quam melle. Sunt cõseruae, quae apud pharmacopolas hñr, cõserua saluiae, anthos, sacch. ros. borrag. violatũ, & buglossatum, quae appellantur quatuor conseruae, conserua cichorei, menthae, endiuiae, citri, tam corticis, quam succi, acetosae, beton. citoniorũ, ninuph. sorborum, cornorum, acorus conditus, myrobal. conditi. Dosis harum est ab vnc. s. vsque ad vnc. j. s. Confectiones lenitiuae appellantur apud pharmacopolas illae, quae clementer, & sine vlla violentia mouent aluum, & purgant, & dicuntur lenitiuae, quia in ipsis nullum ingreditur medicamentũ validum, vt est scammonium, colocynthis. Sunt confectiones lenitiuae hae, diaprunis lenit. diaca-

tholicum, hiera Galeni, diacassia cum manna, & sine manna, diasena lenit. diasebesten lenit. cassia extracta cum sena, & sine sena, & aduertite fieri etiam cassiam extractam pro clysteribus, quae alio modo componitur, & non est inter lenitiua, electuarium lenitiuum vocatum est etiam ex his. Dosis horum est, ab vnc.s. vsque ad vnc.j. vel ad drac.x. Confectiones sol. sunt illae, quae recipiunt scammonium, colocynthidē, turbith, & similia. medicamenta vehementiora, vt est electuarium de succo rosarum, diaprunis sol. diasebesten sol. diasena sol. confectio hamech, elect. de psyllio. elect. indum maius, & minus, elect. de epithymo, catharticum Imperiale, diaturbith, diacartamum, diaphinicon, benedicta sol. elect. Elescoph. vel Episcopi. hiera Logod. hiera Pachij, hiera Archig. hiera de colocynthide. Dosis est a drac. ij. vsque ad drac. iiij. Pulueres etiam varij in vsu habentur apud Pharmacopolas, qui alias solent vocari species, quarum aliae sunt aromaticae, aliae quae purgant, aliae quae alterant. Species purgantes sunt, species hierae simplicis, hierae Pachij. sena praeparata. Dosis est a drac. j. vsque ad drac. ij. & notate apud complures pharmacopolas reperiri species separatas plurimorum medicamentorum, quae etiam inueniuntur compositae: ea propter si quādo vobis placet vti potius speciebus, quam compositis, seruate semper hanc proportionem, vt tertia tantum parte vtamini specierum respectu medicamenti ex illis compositi. do exemplum, dosis hierae est a drac. iiij. vsque ad drac. vj. Si placebit vti non hiera, sed speciebus, poteritis vti drac. ij. vel drac. ij. s. idem etiam seruandum est in alijs. Non purgantes pulueres sunt species cordiales temperatae, & non temperatae, species diarhodon Abbat. diacalamenti, diacimini, & tandem species omnium confectionum aromaticarum, quarum omnium dosis est, a drac. s. vsque ad drac. j. Sequuntur loch, quae a Graecis eligmata, a nostris lambitiua appellantur, vt sunt loch pini, farfarae, loch sanum, & expertum, loch de scylla, de papauere, de pulmone vulpis. loch ad astma. Horum dosis solet esse dimidium cochlearis, vel ad quantitatem nucis auellanae pro vice.



De pilulis. *Cap. 25.*



Nter alia medicamenta, quae conferuantur apud Pharmacopolas, sunt pilulae vocatae. conseruantur enim apud omnes in massa, quae appellatur ab ijs magdalium, ita vt mag dalium nihil aliud sit, quam massa illa ex qua conficiuntur pilulae, quae vocantur a Graecis, καταπότια. Sed notate, apud Graecos, καταπότια, omnia illa appellari, quae deuorari possunt, dicebat enim Scribonius Largus cap. 87. & Marcellus Em pir. cap. 26. catapotium esse illud medicamentum, quod non diluitur, sed ita, vt est, deuoratur, ex quo loco potestis intelligere, quid velint Theophr. & Dioscor. quando de varijs herbis sermonem habentes, dicunt sumi catapotium, quod nihil aliud est, quam fieri in ea forma, qua possint deuorari, non quod fiant pilulae. Finis propter quem facta fuerunt haec remedia, duplex est, vnus, quia multi sunt, qui abhorrent medicamenta, quae potu capiuntur, qui cum purgandi sint, necessarium est, vt purgentur medicamento minus insuaui, & ideo inuenta sunt haec medicamenta, quae parua quantitate accepta, minus aegros molestant, ea propter ipsa etiam ingrediuntur vehementia medicamenta. Alter finis est, vt permanentia diu in ventriculo, possint ab vniuerso corporis ambitu ad ventriculum humores trahere. Dosis harum solet esse a drac. j. vsque ad drac. j. s. Sed dubitatio est de cochijs, quia Rases auctor harum mandat, vt decima pars totius compositionis a se factae, pro singula vice sumatur, quod si expendamus illā partem, est dosis drac. ij. s. at si detur haec dosis pilularum cochiarum, valde periculosum est, quia daretur paulo minus drac. j. medicamentorum vehementer soluentium. Nonnulli difficultatem hanc expendentes, dixerunt contextum Rasis, esse deprauatum. Brasauolus, vt tueretur scripturam Rasis dixit, quod quando Rases posuit partem decimam, voluit dandas esse pilulas decem, pilulae autem, inquit, fiebāt ad formam ciceris, ita quod seruata hac dosi, dicit Brasau. non videtur Rases vllum errorem commisisse. Sed pace illius viri, non videtur mi hi accommodata haec defensio, quia vt docui vos, mensura ciceris est gr. ij. s. aut paulo plus, ea propter decem pilulae, ad formam ciceris, erunt circiter 26. aut 27. grana, ita vt summa tota non excedat scrup. j. s. sed huiusmodi mensura est parua, neque est rationi cōsentanea. Sed video vos statim pro Brasauola dicturos nonne Galenus primo de local. cap. 2. dat vndecim ex suis pilulis cochijs ad formam ciceris? igitur videtur sententia Br asau. Galeno esse consen-

taneam. respondeo id sane Galenum dicere, verumtamen sanè interpretanda est eius sententia, si quidem scribit, se iuuenem illum de quo loquitur, bis in quinque diebus hiera purgasse, & in prima vice drac. iiij dedisse, in secūda. v. addit, se ante hanc purgationem dedisse vndecim pilulas, ea propter videtur Galenus eo in loco dedisse eam paucam quantitatem pilularum, quoniam in animo habebat non purgare exquisitè, sed potius praeparare, & disponere ad purgationem faciendam per hieram: adeo vt haec sententia Galeni Brasauolae nihil faueat. Dicendum est igitur, Rasem exhibuisse eam quantitatem non quod mensuram eam voluerit esse omnibus communem, sed quod numquàm liceat transcendere eam quantitatem, scilicet drac. ij. s. quasi vellet dicere, dandas esse eas pilulas, saepe in minori quantitate, numquàm plus drac. ij. & media. hoc autem dicit Rases, quia tēpestate sua, & in ijs regionibus Arabiae licebat hominibus medicamenta paulo vehementiora recipere. Pilulae quae apud pharmacopolas sunt in vsu. haec sunt, alephanginae, assairet, artheticae, arabicae, de agarico, aureae, cochiae, aggregatiuae, de eupatorio. fumiterrae, de hiera, de hiera cum agarico, de colocynth. de euphorbio, foetidae maiores, & minores. Inde, de hermodactylis, de lapide lazuli, lucis, de mezereo, mastichinae, de tribus, de aloe, de sarcocolla, pilulae Ruffi, sine quibus, stomachicae, imperiales, de opoponace, de bdellio, de cynoglossa, bechicae. Harum omnium rerum fere communis est, quam dixi, dosis, exceptis tamen nonnullis, & praesertim, de cynoglossa: istae enim opiatae sunt, & confectae ad conciliandum somnum, & sistendum sanguinem, ideo numquàm transcenditur dosis scrup. j. vel drac. s. bechicae vero cum factae sint ad sistendam tussim, solent detineri in ore sub lingua, non deglutiri, dosis itaque est scrup. ij. vel drac. j. idem etiam dicendum est, de pilulis illis quas ad sitim sedandam componebant veteres, quasve Galenus 8. de local. dicit vocatas esse καταπότια ἄδιψα.

De trochiscis. Cap. 26.



NOn multum dissimilia pilulis sunt alia medicamenta orbiculari forma composita, & propterea appellata trochisci, vel ciclisci, vel artisci, nos vocamus trochiscos, vocamus quoque sphaerulas, & pastillos; quorum omnium tria sunt apud pharmacopolas genera, alij sunt, qui vehementer purgant, alij qui mediocriter, alij qui corroborant solum, & alterant. Trochisci qui purgant vehementer, sunt alhandal vocati, troc. violarum cum scam-

ſcammonio, horum doſis eſt a gr. v. vſque ad xij. vel xv. Qui vero minus purgant, ſunt trociſci de rhab. de agarico, agaricus troc. & notate differentiam eſſe inter trochiſcos de agarico, & agaricum trochiſcatum, trochiſci de agarico fiunt ex agarico tenuiſſimè trito, ſale gemmae, & ſyrupo acetoſo: agaricus autem trociſcatus fit ex agarico loto, & macerato in vino, cui infuſum ſit Zingiber. ſed de his alias. Doſis horum eſt a ſcrup. ij. vſque ad v. Trochiſci non purgantes, ſed alterantes, vel corroborantes, ſunt trochiſci ſcyllitici, de vipera, hedicroi, cyphi, troc. ramich. de capparibus, de eupatorio, de laeca, diarhodon, de berberis, galliae, aliptae muſcatae, de de carabe, de quibus volo vos monere, factos eſſe hos, ad ſiſtēdum ſanguinem fluentem, & communiter practicantes ſolent vti in omni fluxu ſanguinis, & quando è pectore emanat. ſed ſum huius ſententiae, non communire quando ſanguis è pectore exit, & adducor auctoritate Galeni 7. de local. 4. quo in loco dum examinaret primam Andromachi compoſitionem, dicebat, eam non conuenire in affectibus pectoris, quia nullum aderat medicamentum, quod facultate propria reſpiceret partes ſpirituales. ſic ego dico, ſi examinemus trociſcos de carabe, inſunt quidem multa medicamēta adſtringentia, ſed nullum adeſt, quod facultate ſua reſpiciat partes ſpirituales, igitur hoc obiter volui vos monere, ne coecorum more praxim veſtram faciatis. Sunt praeter hos alij appellati de myrrha, alkekengi, de roſis, de camphora, de ſpodio, de terra ſigillata, bechij. Doſis trochiſcorum eſt, a drac. j. vſque ad drac. ij. immo vero ſolent communiter trochiſci fieri ea magnitudine, qua pendēt drac. j. quaſi ſit ipſorum haec conſtituta doſis, ſed, vt dixi, licet etiam tranſcendere vſque ad drac. ij. eſt tamen differentia quaedam, quia in trochiſcis alkekengi pro qualibet drachma ingrediuntur tria grana opij vnde cum communiter opij ſolent dari gra. ij. vel iij. raro licebit tranſcendere ad drac. j. ſimiliter gallia, & alipta muſcata non dantur in hac menſura, quoniam haec medicamēta ſunt compoſita ex rebus odoratiſſimis, ex muſco, ligno aloes, ambra, atque raro ſoli hi trochiſci exhibentur, ſed ſolum dantur cum alijs, vt iucundiora efficiant medicamenta. Hic ſit finis capitis a nobis propoſiti de quantitate medicamētorum, quod ni fallor ita exacte tractatum fuit, vt pauca reliquerim vobis deſideranda.



HIER.



HIER. MERCVRIALIS

PRAELECTIONVM.

LIBER TERTIVS.

Qui medicamentorum componendorum rationem tradit, ac methodum.

De medicamentorum praeparatione, quae per elixationem fit. Cap. I.



SEQVITVR caput de modo componendi medicamenta, omnium sane vtilissimum. puto vnumquemque vestrum scire medicos in suis ordinandis receptis addere, misce, & fiat secundum artem. si postuletis, quae sit haec ars? perquam rari erunt, qui possint explicare, quia ignorant, dicunt hanc spectare ad pharmacopolas, verum hoc est, sed qui futuri sunt medici perfecti, & non vulgares, debent etiam haec intelligere, quia saepe facimus medicinam absque pharmacopolis, saepe etiam pharmacopolae sunt adeo ignari, vt melius sit ipsis carere, quare maxime laudare soleo veteres medicos, qui in domibus proprijs, & manibus proprijs parabant medicamenta. Hoc est videre apud Hippocratem, & Galenum, & apud omnes primarios medicos illius seculi, qui manibus proprijs, vt non defraudarent humanum genus, componebant medicamenta. nos postquam dedignamur componere, debemus saltem artem cognoscere, quomodo sint componenda. hic modus componendi nihil aliud est, quam ea certa ratio componendi, quam Arist. tertio, ni fallor, Ethic. dicebat esse sicut sal, quia sicut sal, necessarium est omnibus dapibus condiendis, haud aliter haec ratio operandi, quae est prudentiae pars, necessaria est omnibus humanis operationibus. Consistit haec ratio in

tio in tribus potissimum (de componendis medicamentis loquor) in mensura, tempore, & ordine, quae vel obseruantur in medicamẽtis antequam in mixtionem veniant, aut in ipsa compositione, & mixtione: ante mixtionẽ seruatur haec ratio, quando. Praeparantur medicamenta; praeparãtur autem, vel vt melius misceri possint, vel etiam, vt citra mixtionem in vsum venire quaeant: praeparatio quinque modis perficitur, coctione, ablutione, infusione, trituratione, leuigatione, & destillatione. Sex itaque sunt operationes, quibus vtuntur medici, & pharmacopolae ad sua praeparanda medicamenta, quas praeparationes cum instituerim vos exactissimè docere, de coctione agere incipiam.

Coctio quaecunque sit, siue naturalis, siue arte facta, necessario a calore perficitur. fit quidem naturalis a calore solari, & animali, sed de hac non est Scopus noster, vt in praesentia tractetur, sed de ea duntaxat, quae fit quidem a calore, sed artificialiter. Non naturaliter fit huiusmodi coctio omnis a calore elementari, hoc est igneo, dicit enim D. Plato in Prothagora, Prometheum illum suffuratum esse ignem a coelo, & donasse hominibus, vt esset omnium artium instrumentum. Porro calor elementaris, a quo fit coctio, modo coniungitur humido, modo sicco, vbi copulatur sicco, fit species coctionis, quae appellatur assatio, vbi autem copulatur humido, & fit coctio, dicitur elixatio, quam sententiam locupletissime explicatam habetis apud Arist. 4. Methcor. Videamus primo, quomodo medici vtantur hac praeparatione, quae dicitur elixatio, quae nihil aliud est, nisi coctio quaedã facta a calido humido, vt fiunt decocta omnium herbarum, & medicamentorum purgantium. Propter duos fines solent medici elixatione vti, vnus est, vt medicamentorum facultas liquoribus inducatur, quibus deinde vtẽdum est propter varia hominum beneficia: alter finis est, vt per decoctionem prauae medicamentorum qualitates, & vitia omnia auferantur. In elixatione autem facienda, vt secundum artem fiat, sunt quaedam obseruanda ex parte ignis, quaedam ex parte liquoris, quaedam vero ex parte medicamentorum. Ex parte ignis elixantis illud necessarium est obseruetur, ne sit vehemens, sed blandus, & ratio est, quam dicit Mesues, quia a flammeo, & vehementi igne facultates medicamentorum absumuntur, a blando, & leni retinentur. Ex parte liquorum, in quibus fit elixatio, sunt etiam nonnulla obseruanda, primum, vt si velimus per elixationem medicamenti facultatem liquori inducere, sit liquor depuratus, & denudatus omni extranea qualitate, quia vt dicit Arist. quod debet aliquid recipere, vt sit a natura recepti denudatum necesse est, ea propter, vel aqua communis, vel serum, vel quicquid aliud expers est qualitatis extraneae eli

gendum

gendum erit. Si autem optemus per elixationem medicamenta castigare, & corrigere, tum ad elixationem faciendam sunt ea eligenda, quae possint võto nostro satisfacere, verbi gratia, si volumus corrigere scammonium, & esulam, in aliquo liquore decoquimus, qui possit hoc efficere, vel in aliquo alio corpore, verbi gratia accipimus cytonium, in quo imponentes scammoneum ita elixamus, vt vires amittat, sic etiam vbi volumus corrigere facultatem ellebori, imponimus in raphano, vt scilicet elleborus castigetur. Ex parte liquoris est etiam illud obseruandum, vt accipiatur in ea mẽsura, qua possimus rectè coquere, elixare, & castigare, capitur autem mensura liquoris ex commensuratione medicamentorum elixandorum, vel corrigendorum, sunt vero medicamenta elixanda, vel corrigenda trium generum, aut sunt crassa, vt ligna, radices, vt semina aliqua, quae omnia crassa sunt, & dura: alia vero lenia sunt, & rara, vt flores aromata, semina frigida: alia vero mediocria, vt epithymus, capillus ven. nonnulli fructus, vt sebesten, pruna. secundum itaque differentiam variam horum medicamentorum capienda quoque est differentia liquorum assumendorum, quia si res fortes, & durae fuerint elixandae, debet liquoris maior portio assumi, & ratio est, quia res durae, & fortes, vt elixentur debent diutius ebullire, necessario in diutina ebullitione consumitur magna pars liquoris, ea propter necessarium est, vt accipiatur in magna quantitate. ubi res lenes sunt elixandae, ex aduerso debet minor esse quantitas liquoris. E. g. in elixando ligno accipiemus ligni lib. j. & lib. viij liquoris, vbi aromata, vbi flores erunt elixandi, multo minor quantitas accipitur, verbi gratia vna lib. medicamenti, & iij. vel iiij. liquoris, & ratio est, quia haec medicamenta parum ebullire debent, ne facultas euanescat, & ideo paucus debet esse liquor. sin medicamẽta sint mediocria debebit, etiam assumi mediocris quantitas liquoris, ita vt sit minor mensura, quam in medicamentis duris, & maior, quam in lenibus, & raris. E.g. vultis facere decoctum ligni, accipietis libram ligni, & 8. libras liquoris, coquetur autem vsque ad consumptionem medietatis, eo quia si extrahenda est facultas ligni ex illius dura, & tenaci substantia, operaeprecium est, vt per diutinam elixationem illud fiat. sin vero ex floribus, & aromatibus erunt vobis facienda decocta, accipietis partem vnam medicamentorum, & iiij. partes aquae, & curabitis, vt ebulliant duabus, vel tribus ebullitionibus ad summum, quia si plus ebullirent, proculdubio facultas ipsorum euanesceret: sin autem ex epithymo, ex capillo ven. ex sena faciendum sit decoctum, accipietur. E. g. lib. j. medicamentorum, & lib. v. liquoris, & ebulliẽt vsque ad consumptionem quartae partis. Sed dicetis, si n: bis faciendae

ciendae ſint elixationes diuerſorum medicamẽtorũ, ita vt alia ſint dura, & tenacia, alia vero lenia, & rara, & alia mediocria quid agendum? ratio obſeruanda eſt, vt omnia tempore inaequali coquãtur, vt ſcilicet primo denſa, & dura ponantur ad ebulliendum, vſquequo dimidio ſint cocta, deinde apponantur mediocria, vſquequo & ipſa dimidio ſint cocta, poſtremo lenia, & rara, ſic enim ſiet, vt dura debite coquantur, nec mediocria, nec lenia magis elixentur, quam par ſit. propter quod dum facimus decoctũ ligni, & volumus apponere, vel herbas, vel flores, curamus, vt primo decoquatur lignum ſolum, & vbi fuerit ſemicoctum, apponantur herbae, & ſi herbae ſint leniores, & rariores, vt in fine decoctionis ipſius ligni apponantur curamus. Id in coctione medicamentorum eſt quoque perpetuo obſeruandum, vt viridia magis coquantur ſiccis. Sed dicetis, videtur potius contrarium eſſe faciendum, quoniam omnes herbae recentes eo facilius coquuntur, quo ſunt recentiores, hoc probatur experientia quotidiana. dico facultates medicamentorum viridium magis in profundo latere, magis infixas eſſe, facultates vero ſiccorum eſſe magis in ſummo, ea propter ſi paulo plus ſicca coquantur, tota facultas, quae eſt in ſuperficie, cõſumitur, ex aduerſo ſi recentia minus coquantur, quam par ſit, facultas quae in profundo latet non extrahitur in liquore. Quod dico de ſiccis, idem putate dicendum de ſylueſtribus, & hortenſibus, nam ſylueſtria ſemper ſunt ſicciora, hortẽſia, & culta ſemper humidiora, ita vt eadem ratione qua ſicca, ſint minus bullienda, ſic, & ſylueſtria: vbi notare etiam debetis, quod quandocunque licet vobis vti in elixationibus medicamentis ſylueſtribus, ſemper ea potius eligatis, quã culta: quod, vt ſcribit Hipp. 4 de morbis, & Theophr. verae medicamentorum facultates ſunt in ſylueſtribus non in cultis, & vera remediorum natura quaerenda eſt a ſylueſtribus, non a mangonizatis, dicit enim Hipp. eo in loco, omnia a principio fuiſſe ſylueſtria, quando ſcilicet a natura ſolum producebantur: poſtea vero hominum induſtria eſſe mangonizata, & fere adulterata. Haec itaque de elixatione. circa quam poſſit quis dubitare, quomodo poſuerim inter elixationes, quando, vt ſcammonij facultas corrigatur, coquimus ipſum in cytoneo. Similiter quando elleborum corrigere volumus in raphano, nã videtur potius eſſe quaedam aſſatio, eo quia coquitur cytoneum in furno, & aſſatur: reſpondeo appellari elixationem huiuſmodi decoctionẽ a Meſue, quia humiditate, & liquore cytonei efficitur tota coctio, & quamquam mediate videatur quaedam aſſatio, immediate tamen eſt elixatio, quamquam manifeſtior eſt elixatio, quando vt corrigantur medicamenta decoquuntur in decoctis variarum herbarum, & florum, vt docet Meſues.

De assatione. Cap. 2.



Alterum genus coctionis efficitur a calido sicco; & communi quodã nomine videtur ab Arist. dici assatio, atque apud medicos in frequentissimo est vsu, fuitque etiam apud veteres. Sunt huius decoctionis quatuor genera, prout sunt quatuor ignis operationes circa corpora in quae agit, prima operatio ignis in corpus est, vt calefaciat: nam ante omnia corpus, in quod agit ignis, calefacit, secunda est, quod superficiem transmutat, & tunc crustam quandam inducit, tertia quando non solum superficiem, verumetiam totam corporis substantiam, transmutat, & hoc est, quando in carbones corpora transmutat; quarta, & postrema operatio est, quando non solum transmutat totam substantiam, verumetiam in cinerem eam redigit. secundum igitur quatuor hasce operationes quatuor habent medici praeparationes, quae varijs, & diuersis nominibus appellantur. Vbi solum medicamenta calefiunt dicitur a medicis torrefactio. & vt sciatis modum, & artem, accipitur lamina siue patella, quae ponitur super carbones, laminae superinijciuntur medicamenta, quae deinde crebro agitantur vsquequo medullitus calefiant, atque huiusmodi calefactio, vt dixi, appellatur torrefactio, cuius finis nullus alius est, nisi vt per ipsam medicamenta aperiãtur, quo possint magis extrahi, vel per coctionem, vel per infusionem, vel per ablutionem, facultates ipsorum, atque magis penetrare. sic, quando vultis, vt fiat cito aqua hordei, curandum est, vt hordeum mundatum in hunc modum torrefiat, sic facilius, & citius extrahitur vis, & facultas ab ipso. Secunda species coctionis a calido sicco est ea, quae proprie dicitur assatio, & fit eodẽ modo quo torrefactio, scilicet in eadem lamina, sed differt, quod in torrefactione solum calefit medullitus medicamentum, in assatione vero etiam superficies mutatur, atque hac ratione dicit Arist. 4. Metheor. & in problem. assata in profundo esse humidiora, in superficie vero licciora, & aridiora. Vsus & finis huius praeparationis multiplex est, vnus vt facultas purgatoria augeatur, alter vt minuatur, tertius vt facultas vna ab alia separetur. E. g. Scyllae radix purgat propter substantiam sui terrenam, & siccam, quia vero haec facultas obruitur ab eius humiditate viscida, & lenta, assatur scylla, quia per eam assationem consumitur humiditas viscida, & lenta, quae hebetabat, & obruebat purgatoriam facultatem: ex aduerso in psyllij semine facultas posita est in ipsius humiditate, quando igitur placet auferre a psyllio purgatoriam facultatem, assamus,

quia sic ea humiditas, quae erat vehiculum purgatoriae facultatis absumitur, & exiccatur. Separatur facultas a facultate, quando vritur, seu assatur rhabarbarum, nam in rhab. est, facultas purgatoria ratione partium tenuium, est adstrictoria ratione terrestriũ, & crassarum: quando igitur cupimus, vt rhab. adstringat, & non purget, assamus, eo quia ex assatione partes tenuiores, quae haerent in superficie, & purgant, igne consumuntur, & cum remaneat terrestris, fit medicamentum ad adstringendum efficax. Tertia praeparatio per coctionem a calido sicco est ea, quae a medicis vocata est combustio, quae etiam haud aliter efficitur atque assatio, & torrefactio, sed differentia est, quia in combustione tam superficies, quam profundae partes totae mutantur, haec praeparatio inseruit medicis, quando optamus a medicamentis acrimoniam, & acutiem, & vitium omne auferre, & proinde mitiora ipsa reddere. sic comburitur alumen, aes; cõburuntur, vt dicit Galenus 9. de simpl. omnia fere metalla, scilicet quae cum sint acria mordentia, & aspera, vbi fuerint combusta amittunt haec vitia, & vt dicit Galenus multo mitiora euadunt. Postrema praeparatio est: Incineratio, quae alias a medicis, atque a chymicis consueuit appellari calcinatio, & fit etiam huiusmodi praeparatio eodem instrumento, sed cũ redigenda sint medicamenta in cinerem, opus habent, & pluri tempore, atque etiam maiore ignis actione. sic in cinerem redigimus cornu cerui, sic consueuerunt fieri antispodia ex cõbustis radicibus arundinum. Vsus autem horum medicamentorum in cinerem redactorum varius est, vt excitent magis, vt possint diutius conseruari, & vt possint cum alijs medicamentis misceri. Hactenus de prima illa praeparatione, quae fit per coctionem. Sequitur ea, quae fit per infusionem.

De infusione seu maceratione. Cap. 3.


Edicamentorum infusio, seu (vt practici dicunt) maceratio, ad plurima in medicina vtilissima est, & nihil aliud est, quam quaedam medicamentorum in liquoribus maceratio, quae propter quinque, vel sex fines fuit instituta. Primus finis est, vt medicamentorum benignae facultates a prauis separentur, sic enim granum gnidium, & esula macerantur lacte, vt prauitas, & acrimonia corrigatur, sic etiã turbith aceto maceratur, quo ab ipso turbãdi facultas auferatur. & notate apud Me-

suem corruptam esse literam, quia vbi dicit, granum gnidium, & esulam macerari aceto, & turbith macerari lacte falsum est, quoniam contrarium verum est. Secūdus finis fuit, vt medicamenta maiorem operandi vim nanciscantur, sic enim agaricus infunditur oxymelli, sic hermodactylus infunditur succo raphani, & scyllae, vt maiorem operādi facultatem acquirat. Tertius finis est, vt res durae emolliantur, sic enim lignum guaiacum, myrobal. & similia infundimus, quae cum dura sint, opus habent emollitione. quartus finis est, vt medicamentis lubricitas comparetur, merito cuius possit diffugere, & dilabi, nec adhaerere intestinis, sic enim scammoniū maceratur in muccilagine tragacanthae, maceratur etiam in oleo viol. sicut & colocynthis eadem muccilagine maceratur, ne adhaereat intestinis. alter finis est, vt liquori facultas medicamentorum indatur, nam saepe vsu venit, vt medici opus habeant, vel ratione aegri, vel alia ratione, medicamentis liquidis, propter quod, vt possint vti medicamentorum solidorum facultatibus, excogitata est infusio, in quam cum medicamenta deponant facultates suas, vtiliter, & faciliter vtuntur ipsis. Causae vero praecipuae propter quas medici infusiones magis amant, tres sunt, prima est, quando cupiunt, vt medicamentum longè lateque per corpus penetret, sic aloem infundimus in decocto aromatum, atque ipso decocto vtimur, facit enim huiusmodi decoctum, vt facultas aloes penetret totum corpus, sic etiā infundimus agaricum in decocto Zingiberis, & decocto vtimur, vt facultas agarici permeet totum corpus. Altera causa est, quando optamus alicuius medicamenti diminutam facultatem, sic enim infundimus scammonium, & rhab. interdum in syrupis, vt postmodum syrupis illis vtentes, habeamus quidem illorum medicamentorum facultates, sed castigatas, & diminutas. tertia causa est, quando optamus separari facultates a facultatibus. exemplum, habemus in myrobal. & rhab. duas facultates purgatoriam, scilicet, & adstrictoriam, placet nobis solum vti purgatoria, quae in superficie posita est, ea propter infundimus rhab. & myrobal. atque ita purgatoria facultate potimur, & adstrictoria nihil incommodat. Hi sunt fines, & hae causae, ob quas medici infusiones medicamentorum requirunt. Ars autem faciendi infusiones aliqua requirit ex parte liquoris, aliqua ex parte medicamētorum. ex parte liquoris, vt primo diligenter aduertatur an vtendū sit liquore, cui medicamentum infundimus, an medicamento infuso. Si liquore sit vtendum, haec debet esse regula, vt tantum liquoris sumatur quantum sat est ad immergendum totum medicamentum: sin autem sit medicamento vtendum, debet quantitas liquoris esse maior, ratio est, quia vbi est vtendum liquore, studium nostrum esse

debet,

debet, vt facultas medicamenti efficaciter tota relinquatur in liquore, ea propter quanto minor est quantitas, tanto magis relinquitur facultas: vbi autem vtendum est medicamento, quia liquor debet corrigere, quanto maior est copia liquoris, dummodo sit intra modum, tanto magis medicamentum corrigit, & castigat. Ex parte liquoris requiritur & aliud, vt semper antequam infundatur medicamentum liquor calefiat, & conseruetur calidus, quoniam liquoris calor prodest ad eliciendam, & extrahendam medicamenti facultatem. Ex parte medicamentorum requiruntur etiam aliqua, & sunt, vt diligenter attendatur, quae sit substantia medicamentorum infundendorum, quia si materia sit dura, & densa, longo tempore sunt infundenda, ea propter lignum, rhab. myrobal. longo tempore sunt infundenda, & qui duabus, vel tribus horis dun taxat infundunt rhab. male agunt, quia cum corpus sit durum, nō potest facultas extrahi tam breui tempore. accedit etiam, quod si diutius infundantur haec corpora, non est necessarium, vt tam diu bulliant, ea propter minus detrimenti sustinet ipsorum facultas. Si substantia medicamēti sit mediocris, infusio debet fieri non ita diu, sic epithymus, & sarsa infunduntur, sed non tam diu, quam rhab. lignum, & myrob. Quae vero sunt tenui substantiae, adhuc pauciore tempore egent, vt sunt aromata, & flores. Quod si varia haec, & diuersa medicamenta sint simul infundenda, hoc etiam ars requirit, vt primo infundantur, quae sunt substātiae durioris, secundo quae mediocris, postremo quae tenuis. Est hoc in loco aduertendum circa medicamenta purgantia infundenda, vt semper, quando facitis infusionem, diligenter consideretis, an sint vobis liquanda solida medicamēta, an non, quia si liquanda sint solida, vt electuaria, quod plerunque contingit, vt est elect. lenit. elect. ros. Mesues, debetis metiri liquorem vestrum, ita vt possit sufficere ad liquanda haec medicamenta, & quantitas ad id praestandum idonea erit ad summum vnc. iiij. vel v. si non liquanda sint solidiora, saepe enim vtemini solum cum infusis, vel manna, vel melle, vel syrupo rosato solutiuo, eo in casu poteritis minori quantitate metiri liquores vestros. e. g. ad vnc. ij. vel iij. & ratio est, quia medicamenta, quae potu sumuntur, quanto minore quantitate exhibentur, tanto minus aegros molestant, & vobis parient aegrotantis gratiam. Est & aliud aduertendum, apud medicos esse vsum, vt faciant separatim infusionem medicamentorum, & separatim vtantur aliquo decocto ad dissoluenda solida medicamenta, quorum vsum non admodum probo, vtor & ego interdum, sed frequentius soleo vti infusione sola, propterea quod multo melius fermentatur facultas medicamenti in solo infuso, quam si infusioni addatur noua aliqua de-

ctio. iccirco, quando vel agaricum, vel elleborum, vel rhab. vel my rob. infundere placebit, accipiatis eam quantitatem liquoris, quae possit sufficere, ne cogamini ad eliquanda medicamenta nouam decoctionem inutiliter adiungere.

De lotione. Cap. 4.



Otiones medicamentorum sunt pariter ex ijs praeparationibus, quae necessariae sunt medicis ad felicem remediorum vsum. differunt lotiones ab infusionibus, vt etiam alias dixi, quia in infusionibus totae medicamentorum substantiae diu immerguntur, in lotionibus medicamenta secundum superficiem duntaxat abluuntur. Lotiones fuerunt quidem in vsu apud veteres, sed tempore Hipp. & hae, & infusiones non erãt admodum vsurpatae, sed magis decocta. Post Hippocratem veteres medici frequentissime vsi sunt & infusionibus, & lotionibus, vtebantur lotionibus propter multos fines, quorum ille vnus erat, vt acuitas medicamentorum, tam natiua, quam acquisititia, retunderetur, sic dicit Galenus 4. de med. per genera cap. primo, omnia mineralia lauari. sic etiam mandat Mesue semen vrticae abluendum esse muccilagine tragacanthae, vt scilicet acrimonia ipsius retundatur. sic dicit Galenus 9. de simpl. aes vstum adhuc acrimoniam retinere, eam autem deponere, si abluatur, & propterea fieri vtile medicamentum obducendae cicatrici. Alter finis ablutionis est, vt praua omnis qualitas auferatur, sic lapis cyaneus, & lapis arm. a medicis lauantur, vt amittant prauam illam qualitatem, qua vomitum concitant, sic etiam, qui volunt ab aloe remouere prauam illam facultatem aperiẽdi haemorrhoides (si tamen ei inest) abluunt aloen aqua bdellij, & tragacanthae. Tertius finis est, vt si quid terrestris, vel sordidi medicamentis inest, per lotionem totum auferatur, sic namque abluimus therebinthinam, passulas, herbas, atque radices, quo scilicet depurentur ab omni sorditie. Quartus, vt facultas medicamentorũ intendatur: propter quod, qui volunt aloes eccoproticam facultatem intendere, abluunt ipsam, vel decocto agarici, vel rhab. vel simili, quod possit facultatem purgandi augere. Quintus, vt auferamus a medicamentis odores tetros, ea propter olea, pinguedines, therebinthinam omni studio abluimus, vt ab ijs tetri auferantur odores. Sextus & postremus finis est, vt medicamenta subtiliora, & penetrabiliora fiant, vt scilicet possint magis cõmisceri, & ad hoc respiciebat Galenus 2. de simpl. 15. quando mandauit nobis,

bis,abluenda esse olea, pinguedines, & similia omnia, ex quo loco hoc debetis recipere documentum, vt quando vultis componere medicamentum,in quo ingrediantur pinguedines,vel olea,semper curetis ea ablui, quia sic magis commiscentur alijs medicamentis. Fiunt huiusmodi lotiones varijs liquoribus,interdum aqua simplici,interdum vino, interdum aquis alembicatis, decoctis varijs, & tandem fiunt varijs, & diuersis liquoribus,prout hoc, vel illud optamus. Terminus lotionis in oleis, & pinguedinibus est,vsquequo odor omnis, & sordities tollatur,& iccirco nō sunt haec saepe permittenda aromatarijs qui vna, vel alia vice abluunt, vt fugiant,labores, & nihil agunt. quia. e. g. terebinthina, si est spolianda graui odore,est saepissime abluenda, sic etiam de multis alijs. & notate etiam, quando medicamenta pinguia, & oleosa sunt lauanda,semper lauari debent calido liquore, contra quam conuenit in lauandis mineralibus, quae potius requirunt frigida, quam calida, quia mineralia lauantur quo tempore sol maxime ardet, quo tempore diu sub sole detinentur, & quo magis manent sub sole, eo melius perficitur ablutio mineralium. Terminus perfectae ablutionis est, vsquequo clara aqua euadat, nam ea est ars lauandi mineralia, vt sub sole agitentur, & saepe mutentur aqua,ac id tamdiu fiat,donec aqua euadat clara, atque etiam quousque acrimonia abolita sit. Sed dicetis, videtur esse parua differentia inter infusionem,& ablutionē. dico quod si respiciamus materiam infusionis,& ablutionis, est vna,& eadem, quia ijsdem liquoribus possimus vti ad abluendū, quibus ad infundendum, sed differunt secundum effectus, quia in infusione totae medicamentorum substantiae alterantur, & vt ita dicam,medullitus penetrantur a liquoribus,per lotionem vero tantum partes superficiariae alterantur, siquidem facultas,quae vel est corrigenda, vel auferenda, plerunque in medicamentis abluendis est in superficie posita,quod si sint aliqua medicamenta,quorum facultates in superficie positas optemus, vel non sunt abluenda, vel id parcissime agendum, quare prudentissime Mesue praecipiebat ne intybum aut cichoreum syluestre,rosas atque similia abluamus, ne scilicet herbarum facultas in superficie posita tota auferatur: sed dicetis,quomodo igitur aloe abluitur a medicis, quando nolunt vt purget, etenim facultas purgatoria aloes videtur esse infixa substantiae eius,quod si per lotionem auferatur, videtur etiam dicendum a lotione medicamentorum substantias penetrari. respondeo,verum esse id, quod Galenus saepissime, & omnes alij medici testati sunt, scilicet aloem lotam amittere facultatem purgandi, sed varij sunt modi, quibus potest ablui,vel enim abluitur saepissime, vel moderate, vel bis,semelue, si abluatur bis, semelue nihil fere detrimenti pa-

ti patitur vis purgandi, si mediocriter diminuitur, sed non aufertur, si saepissime abluatur non modo diminuitur, verumetiam pene extinguitur, & ratio est, quia tametsi facultas purgatoria aloes totam substantiam penetret, est tamen posita in partibus tenuibus, & multis, quo fit, vt per multas lotiones, multae illae partes aboleantur, per moderatas aliquae solum, per minimam nullae fere. & quod hoc sit verum inde licet colligere, quia qui volunt aloem abluere, primo conterunt ipsam in minutas partes, vt scilicet ratione ablutionis possit penetrari tota substantia, deinde vbi contriuerunt, affundunt aquam, agitant, ac dimittunt, vt subsideat, vbi subsedit proijcitur, & iterum noua affunditur, agitatur, ac ad subsidendum dimittitur, sicque interdum septies, octies, & decies id fit, prout volumus extinguere facultatem purgatoriam. & aduertite, quod quãdo veteres locuti sunt de lotione aloes, vt Diosc. & Galenus, semper intelligunt, vt debeat ablui aqua pura, non medicata, quia & decocta, & aquae medicatae praebent aloe varias facultates.

De trituratione. *Cap. 5.*



Rituratio, qua saepe medici vtuntur in praeparandis medicamentis, nihil aliud est, nisi medicamentorũ partitio modo in crassiores partes, modo in tenuiores facta. fuit autem propter tres fines instituta, vnũ, vt hac operatione possint medicamenta facilius commisceri, & confundi, dicebat enim Arist. mixtionem nihil aliud esse nisi miscibilium alteratorum vnionem, vt autem fiat vnio, operaeprecium est minimum vnius tangi ab alterius minimo, ea propter si debeant medicamenta commisceri, necesse est, vt ita parentur, vt vnius minimũ possit alterius minimum tangere. Alter finis fuit, vt prauae medicamentorum facultates inter triturandum difflentur, & euanescant, nam vt videre est, medicamenta vbi terũtur, semper aliqua corpuscula effluunt, in quibus cum positae sint prauae facultates, vna cum ijs hae facultates euanescunt, sic colocynthis, & scammonium, (vt dicit Mesues) teruntur, quamquàm male Serapio dixerit colocynthidem esse crasso modo terendam. Ex hoc colligere potestis, magna prudentia vtendum esse, vbi medicamenta praua conteruntur, quia alioqui non raro magnopere offenduntur terentes, & vidi ego homines ad mortem pene redactos propter hanc imprudentiam. Sed, dicetis, si verum est, per triturationem expirare prauas facultates, similiter verũ esse, quod expirent bonae, quia sicut illae positae sunt

in

in vaporibus, sic & bonae medicamētorum facultates positae sunt in tenuioribus partibus. Respondeo, triturationem duplicem esse. aliam lenem, aliam vehementem, vehemens dicit Mesues mala est, quoniam per eam dissipantur facultates medicamentorum. sin vero blanda sit, & lenis, (vt esse debet,) multum abest, vt bonae medicamentorum facultates quicquam mali patiantur. Sed dicetis, quae est ratio cur hoc debeat potius in bonis contingere, quam in malis? dico, summa naturae prouidentia factum fuisse, vt medicamentorum facultates vtiles tenacius inhaereant, quam prauae: posuit enim natura de animalium salute maxime sollicita, facultates medicamentorum meliores in intimis penetralibus, prauiores autē per superficiem extendit; non nego esse etiam in aliquibus medicamentis bonis facultates in superficie positas, sed maxime aduertendum est in his, vt terantur blandissimè, & crassiori modo, & hoc est, quod prudentissime nos monuit Mesue, rhab. non esse subtiliter terendum, quoniam cum facultas eius posita sit in tenuioribus partibus, per triturationem facile expirat: habeatis hoc documentum in praxi vestra, vt semper, quando rhab. estis administraturi, diligenter consideretis an sit densae substantiae, an rarae, quia si sit substantiae rarioris, praecipiendum est pharmacopolae, vt crassiuscule conterat, alioqui facultas facile difflatur, si fuerit substantiae densioris, permittendum est, vt subtilius trituretur. Tertius finis triturationis fuit, vt per huiusmodi operationem variae medicamentorum facultates acquirantur, quia si teratur crasso modo medicamentum, aliam facultatem habet, si subtilius aliā. exemplum adfero, diaspoliticum, & diatrionpipereon, vt habetis 4. de tuen. val. sunt componenda ex aromatibus crasso modo contusis, quia cum huiusmodi medicamentorum facultates sint, vt solum calefaciant ventriculum, & ipsorum facultas non pertranseat iecur, praeceptū est a Galeno, & alijs, vt conterantur crasso modo. sic si ciminum, & piper velimus ad vrinae vias perducere, operaeprecium est, vt terantur subtiliter, quia sicuti piper crasso modo contusum aluum ciet, haud aliter vrinam prouocabit, si subtiliter teratur. Ars triturandi nonnullas obseruationes exigit: etenim videndum est dum aliquid conterere debetis, cuius illud sit substantiae, an durioris, an tenuioris, an vero mediocris: praeterea videndum est, an medicamenta terenda debeant statim in vsum venire, an debeant fermentari cum alijs, si medicamenta terenda sint durae substantiae, necessarium est, vt subtiliter terantur, vt dicebat Mesues de scammonio, & ratio est, quia medicamenta duriora melius in vsum veniunt, vbi sunt subtilissima, quam vbi crassiora, nec timendum est, quod ita facultas ipsorum per triturationē expiret, quia posita est, in du-

in duriori ſubſtantia, ſic colocynthis, & agaricus curandum eſt, vt ſubtiliſſime conterantur: ſi ſint rarioris ſubſtantiae tum contrarium eſt agendum, vt.ſ.craſſo modo contundantur. exemplum habetis de ſcammonio Antiocheno, quod monebat Meſues eſſe craſſiori modo conterendum, quia eſt ratioris ſubſtantiae. ſic muſcus eſt craſſo modo conterendus, quia cum ſit rariſſimae ſubſtantiae, facile euaporat, immo qui volunt conſeruare muſci facultates, inter conterendum addunt ſaccharum, quia ſi per ſe ſolus conteratur facile eius facultas tota moritur. Si medicamenta ſint mediocris ſubſtantiae, erunt etiam mediocriter conterenda, ita vt neque craſſiora ſint, neque tenuiora. Haec dixi de ijs medicamentis, quae ſtatim trita in vſum venire debent. Sin autem conterenda ſint medicamēta, quae diu durare debent, & ſimul fermentari, & confundi, licet haec fuerint rarioris ſubſtantiae, verumtamen, vt magis poſſint cōfundi, efficiendum eſt, vt ſint ſubtilius trita, quā tererentur, ſi ſtatim in vſum adhiberentur. ſed dicetis, ſaepe vſu venit, vt medicamentū debeat fieri ex rebus durae, & tenuis ſubſtantiae, quid agendum in hoc caſu? prouidendum eſt, vt ſingula ſeparatim contundantur, & male agunt illi pharmacopolae, qui vt fugiant ſumptus, & laborem, omnia aromata ſimul terunt, tam mediocria, quam duriora, & rara, debetis igitur vos prouidere, vt ſingula ſeorſim terantur, vt quae dura ſunt ſubtiliter, quae rara minimum, quae mediocria mediocriter.

De laeuigatione. *Cap. 6.*



PRaeter triturationem, eſt & alia praeparatio qua medici ſaepe vtūtur, & dicitur laeuigatio, nam quando medicamenta trita reducuntur ad eam formam, vt ſint lenta, & palpabilia inſtar farinae: haec operatio dicitur leuigatio, & vtuntur hac medici, quando volunt, vt pulueres tenacius adhaereant, vel quādo volunt pulueres applicare alicui parti inflammatae, vel vlcerate, ne acrimonia, & aſperitate puluerum partes irritentur magis. fit haec laeuigatio hoc modo; accipiūtur pulueres triti ſubtiliſſimè, & ponuntur in mortariolo marmoreo, deinde affunditur aqua, vel roſarū, vel alia. Poſtremo piſtillo cōuoluit̄ ille puluis deinde ponitur ad ſiccandum, & iterum teritur diligentiſſime, & ſi prima hac vice non acquiſiuerit puluis lentorem illum, iterum illud agendum eſt, quouſque tandem redigatur ad formam farinae, & tota haec operatio dr̄ laeuigatio, q̄ non poteſt fieri ſine triturati one.

De

De destillatione. Cap. 7.



Ostremo inter operationes,quib⁹medici praeparant sua medicamenta,est destillatio, quae nihil aliud est, quam extractio liquoris per ignem a radicibus,lignis, vel alijs huius generis. Veteres medici caruerunt hac arte,atque hac praeparatione, & puto ego hanc esse vnam ex ijs artibus,quas significat Arist.1. Rethor. quando dixit, multas superesse artes inueniendas,& nondum inuentas. Tempore nostro ars destillandi ita exculta,& perfecta est, vt certe si reuiuiscerent veteres,deberēt nobis inuidere. sed tempore Mesues coeperunt nonnulla lumina apparere huius artis,obscura tamen, legetis apud ipsum semel atq; iterum aquam rosae destillatam, & aquam absynthij. Destillatio qua vtūtur medici,& pharmacopolae,tribus modis fit,carbonibus, vel cineribus,vel aqua bulliente, & dicitur balneum Mariae,vel duplex vas secundum Galenum. quādo dico carbones, intelligo ignitos, & flammam. inter hos modos melior omnibus est, qui fit calido humido, & ratio est, quia omnes operationes, quae fiunt a calido,quāto magis accedunt calido naturali,tanto sunt meliores.sublimationes, & destillationes,quae fiunt a calido naturali,planè fiūt a calido humido, eo quia blandissima, & vitalis est huiusmodi operatio,itaque quando fit destillatio per aquam bullientem, fit calido humido, & propterea haec operatio congenea est operationi naturali, & vtinam facilis esset haec operatio, quia cum requirat, & tempus,& sumptus, neque medici,neque pharmacopolae operam dant huic operationi.post hanc melior est ea, quae fit per cineres, quia neque vrit, neque fumo afficit, tertio loco est illa, quae fit per carbones ignitos citra fumum; deterrima est, quae fit per ligna, & flammam. In destillandis omnibus medicamentis, oleis, aquis, & omnibus alijs,multa sunt obseruanda notatu digna,primum, vt fiat in vasis vel vitreis, vel figulinis bene obturatis: cauenda sunt magno studio vasa omnia plumbea, & stannea. Vitruuius lib.7.cap.8. loquens de aquae ductibus, inquit, aquas ductas per tubulos salubriores esse illis, quae ducuntur per fistulas plumbeas, & probat hac ratione,quia qui opera faciunt cum plumbo,semper sunt decolores,quia a plumbo quasi venenantur: addit,veteres nostros cum haberent mensas argenteas, & terreas,semper maluisse vti terreis, quam argenteis propter salubritatem, hoc autem cognoscens Ganus 7.de local. tradens compositionem diacodij,monuit,aquas ductas per plumbum facere dysenteriā, & ideo prauas esse,& vitādas,

idem etiam primo de Antid. magna diligentia cauit ne medicamēta conſeruētur in vaſis ſtanneis. itaque fugiendae erunt ſemper deſtillationes factae in vaſis plumbeis, vel ſtanneis. Secundum obſeruandum eſt, vt quantum fieri poteſt fumus arceatur a rebus deſtillatis, & ratio eſt, quia fumus non ſolum inficit mala qualitate corpora deſtillata, verumetiam ingratiſſima reddit, & propterea aquae iſtorum monachorum, quae deſtillantur lignis, & plumbo, non eſt mirum, ſi adeo ingratae ſint, & ſaepe periculoſae. Tertium obſeruandum eſt, vt quicquid deſtillatur, numquàm totum colligatur, nam materia, quae exit in principio, vel in fine numquàm eſt bona, vel ſaltem non ita bona, quia in principio ſolet exire quaedam materia muccilaginoſa, vel aqua, & cruda, in fine aduſta, & excrementitia, & ideo ſolum ea eſt colligenda, quae neque in principio, neq; in fine exit. Quartum, vt quaecunque vultis diſtillare ſemper prius maceretis. Si corpora ſint dura, & valde terreſtria, longo tempore ſunt maceranda, ſi rara, & tenuia, minore, ſi media medio tempore. Ad macerandum autem pro deſtillatione nonnulla ſunt neceſſaria cognitu ſcilicet quo loco debeat fieri, & in quo humore. Locus debet eſſe ille, in quo ſit calor, vel naturalis, vel proximus naturali, naturalis calor eſt ſolaris, ea propter fiunt macerationes ſub ſole, eſt etiam calor fimi naturalis, quòd probatur, quia generat animalia. Non naturalis, ſed proximus naturali eſt, calor laconici, ita vt fieri debeant macerationes, vel ſub ſole, vel ſub fimo, vel in laconico. Liquor vero in quo fit maceratio multiplex ſolet eſſe, & in hoc magno iudicio eſt vtendum, quia ſi medicamentum ex quo vultis deſtillare aquam, vel oleum, ſit tenaciſſimum, & durum, vt ſunt metalla, maceranda ſunt in liquore, qui poſſit penetrare & ita rarefacere, vt deinde ignis beneficio poſſint facultates extrahi. ſic aromata ſolidiora, metalla, macerantur vel in aqua vitae vel in aceto alembicato, quia huiuſmodi liquores ſua tenuitate ita penetrant, & ita rareſaciunt corpora deſtillanda, vt poſſit facilius deinde ignis extrahere ſuccos. ſin medicamenta ſint rariora, ſufficit, vel vinum, vel aqua quia cum eorum facultates ſint in corporibus rarioribus, facillime illa molleſcunt his liquoribus. Sed dicetis, debemuſne in actu practico vti alembicatis aquis, an decoctis? dicam ſententiam meam. Si liceret vobis aquas deſtillare, vt decet, & vt ego animaduerti in plurimis locis fieri, proculdubio melius eſſet deſtillatis vti, deſtillantur autem in his locis vaſis vitreis optime lutatis, & calore cineris. vidi fornacem fabrefactum cum multis vaſis vitreis, in quo per cineres, & calore modico variae herbae deſtillabantur, & aquae illae mirifice retinebant odorem, ſaporem, & omnes qualitates herbarum, ſi liceret tales habere planè melius eſſet, ratio eſt, quia in de-

coctis licet habeamus facultates medicamentorum, adest tamen & alienum corpus, scilicet aqua, & aqua quidem alterius generis, in aquis destillatis non est aqua externa, sed solum aqua illius corporis cum suis qualitatibus adeo, vt clarum sit, multo meliores, & integriores seruari vires in destillatis, quam decoctis. Ceterum, quia medicinam facietis in locis, vbi non dabitur copia harum aquarum proculdubio potius debebitis vti decoctis, quam aquis vulgaribus quia cum sint illae aquae male extractae, inueteratae, plenae fumo, & sordibus, sane potius nocebunt, quam iuuabunt. Hactenus de praeparationibus, quae in vsum veniunt ante compositionem medicamentorum. nunc de compositione ipsa agemus.

De syruporum conficiendorum ratione. Cap. 8.



Edicamēta quibus vtuntur medici, aut a pharmacopolis accipiunt aut ipsi suo ingenio componūt; Atq; haec ad imitationem eorum, q̄ in pharmacopolijs conseruantur semper componunt. qua propter operaepretium esse duco, vt intelligatis totam hanc artem, quo possitis etiam sine pharmacopolis omnia medicamenta componere. Et vt haec tractatio ordine tradita a vobis complecti possit, diuidam in medicamenta, quae intus sumuntur, & ea quae extra administrantur. Quae intus accipiuntur, vt ab his incipiamus, aut sunt liquida, aut solida. inter liquida, primo sese nobis offerunt syrupi, quibus nihil communius, nihil frequentius in ore medicorum est. Instituti fuerunt syrupi, vt alias etiam dixi, tres potissimum ob causas; Vt medicamenta, sint suauiora, & propterea saccharo, & melle conficiuntur; Vt possint conseruari, quoniam non semper licet habere herbas, & succos, ideo necessarium fuit inuenire hanc rationem, vt possint conseruari; fuerunt tertio inuenti syrupi, vt penetrabiliora reddantur medicamēta. Itaque cum hi sint fines, ars componendi ex his finibus habetur. A fine suauitatis indicatur nobis, vel mel, vel saccharū, vel quid simile accipiendum esse. Ratione cōseruationis habemus hunc scopum, vt quae ingrediuntur sint ita depurata, vt possint conseruari: Ratione efficaciae operationis studiū nostrum esse debet, vt ea medicamenta ingrediantur, quae sint proposito nostro accommodatissima. Ars itaque, qua possimus consequi hos, fines est, vel ex parte ingredientium, vel ipsius corporis conseruantis, siue sit mel, siue saccharum. Ex parte medicamentorum ingredientium sciendum est, duo esse genera syruporum apud pharmacopolas, aliud simplicium,

cium, aliud compositorum. De simplicibus primo tractabo. Simplex syrupus est, qui fit ex succo, & saccharo. Ex parte succi sunt tria potissimum obseruanda, vnum vt succus, quo vultis vti ad syrupos, sit extractus ex radice, vel herba eo tempore, quo est in vigore. nam si hoc tempore velletis extrahere succum ex absynthio, ex cichoreo, & facere syrupum, si non vanum erit opus, erit saltem inutile, eo quod succus herbarum hoc tempore non est in suo vigore, quare debent extracti esse vere, vel aestate, quo tempore quisq; viget. Alterum obseruandum est, vt extractus succus depuretur ab omnibus excrementis, etenim quaecunque corpora debent cõseruari, debent vacare excrementis, & ea humiditate, quae putredini est exposita; alioqui si fuerint excrementis, & superflua humiditate pleni succi, facile corrumpentur. Tertium obseruandum ex parte succi est, vt coquatur antequam misceatur, eo quia non sat est vacare excrementis, nisi etiã ita disponatur, vt possit resistere ambientis calori putrefactiuo, nec quaeuis coctio ad hoc est idonea, sed necessarium est, vt ea sit, quae reducat ad substantiam, quae possit resistere, & haec est communiter ea, quae fit ad consumptionẽ medietatis, qua propter postquam erit electus succus, erit coquendus vsque ad dimidium, & depurandus. depuratur succus si transmittatur, vel per philtrum, vel per colum non semel, sed iterum atq; iterum vsquequo purus inueniatur. Ex parte conseruantis, siue sit saccharum, siue mel, sunt etiam duo obseruanda, vnum vt eligatur mel, & saccharum optimum, & ideo, quando res vrget, non fidatis pharmacopolis, quia saepe loco optimi sacchari, vel mellis sumunt quodcunque illis in promptu est. Alterum obseruandum, vt saccharum, & mel clarificẽt, & coquatur, clarificandum quidem propter finem iucunditatis, coquendum vero propter finem conseruationis, nam & saccharum, & mel, habent semper aliquid humiditatis, merito cuius dum alijs miscentur, facile corrumpuntur. Modus clarificandi est, vt accipiaẽ lib. 1. sacchari, vel mellis, & lib. j. aquae, & albumen vnum oui: albumen, & aqua prius simul miscentur, & agitatur donec spuma euadat, vbi facta est spuma, ponitur ad ignẽ, & additur saccharum, vel mel, & permittitur, vt parum bulliant post quod tota illa materia percolatur stamine, & percolata iterum ponitur ad ignem, & permittitur bullire donec tota illa aqua sit cõsumpta, quo tempore habetis, & mel, & saccharum clarificatum. Postquam itaque habebitis succum, & saccharum optime apparata, vt fiat syrupus, sunt omnia miscenda, & ponenda ad ignem, vbi miscentur, haec est ars tradita a Mesue, vt accipiantur quatuor partes succi, & tres partes sacchari, vel mellis, & aduertite deceptiones

nes

ñes pharmacopolarum, qui ponunt saepe plus sacchari, vel mellis, quam succi, quare non est mirum, si inefficaces sint eorum compositiones. accipiuntur itaque hae partes succi, & sacchari, & ponuntur ad bulliendum, vsquequo tota compositio acquirat consistentiam, est vero consistentia, quando medicamenta illa accepta supra spatulam non diffluunt, sed adhaerẽt, & affigũtur. Itaq; terminus ebullitionis succi, & sacchari est vsquequo acquirant hanc cõsistentiam. Sed video vos statim dicturos, antequam deducatur ad hanc consistentiam, nonne consumitur totus succus, ea propter nõ videtur esse illa efficacia? praeterea Paulus lib. 7. vbi tradit potionum vtilium, & iucundarum decoctiones, non videtur seruare hũc terminum, vt scilicet coquantur ad consistentiam, sed solum ad tertias, ad dimidium, & similia; dico verum esse, quod maior pars succi expiret, sed remanet facultas in saccharo, eo quod pars terrestrior succi remanet, & virtutes, quae sunt positae in terrestriori parte, ab ea conseruantur, & propterea efficaciores redduntur, idq; abunde testatur ipse sapor, quia si facti sint secundum hanc artem syrupi, retinent saporem succi ex quo sunt compositi. De Paulo vero dico, eas cõpositiones de quibus meminit, factas esse partim, vt conseruentur, partim, vt statim in vsu haberentur. q̃ fiebant, vt conseruarentur, coquebantur interdum ad comsumptionem duarum tertiarum, quod si non coquebantur vsque ad hũc terminum, signum erat eas potiones statim in vsu esse habitas, non autem seruatas. vos etiam, quãdo placebit componere syrupos, & ijs statim vti, poteritis curare, vt non ita perfectè coquantur, sat erit vsq; ad consumptionem tertiae partis, quia sic erunt efficaciores, at non conseruabuntur, sed debetis id ante oculos habere an velitis medicamenta, quae componitis, conseruare, an non; multi sunt syrupi, qui fiunt hac arte, & vt dixi omnes sunt simplices. syr. ros. recens. syr. viol. s. syr. de cichor. s. de betonica, de acetosa, de fumoterrae, s. de lupulis, s. de farfara, de buglossa, de borag. de agrimonia, de iua, de pomis, ẽt de soncho, de acetos. citri, de cyton. de myrto, mel. ros. viol. sic ẽt fiunt syrupi oẽs ex infusionibus, vt ros. florũ psicorũ florũ viol. Est itaq; horum omnium syruporum vna, & eadem ratio, quam monstraui, qua propter vbi vobis contigerit componere, poteritis facere hac arte. Syrupi compositi fiunt duobus modis, vel ex decoctis solum, & saccharo, vel ex decoctis, succo, & saccharo. In his circa saccharum est eadem ratio seruanda, quam monstraui, item circa decocta, vt scilicet, primo macerentur, deinde coquantur secundum artem praescriptam. Vbi parantur ex decocto, & saccharo, accipitur pars vna decocti, & duae sacchari, & bulliunt ad consistentiam, atque ita fit syrupus ex decocto, & saccharo dictus

compo-

compositus: vbi vero volumus addere succum vbi, redacta proxime fuerit compositio ad terminum cõsistentiae, adduntur duae tertiae vnius partis succi, & iterum decoquuntur ad constitentiam, & vt habeatis exemplum aliquod syrupi compositi, accipiemus syrupum de pomis compositum Mesues, quem describit in cap. de soda frigida. Est syrupus huiusmodi. ℞. capill. ven. florum, & rad. borrag. buglossae, polypodij anà vnc. j. chamepyteos, (& notate vulgares contextus habere chamomaeli, sed antiqui habent chamepyteos, & melius) senae, sthaecados anà drac. vij. chamaedrios, elleb. nigri anà drac. iij. eupat. Mes. drac. iiij. succi pomorũ decocti, & depurati vnc. viij. aquae communis lib. iij. sacch. albi clarificati, & cocti. lib. ij. haec est descriptio Mesues syr. de pomis compos. confusè, vt videtis tractata: vt fiat secundum artem quid agendum? vt monstraui, primo faciendum est decoctum, accipietis radices, & senam, & infundetis: post ij. vel iij. horas infundetis herbas. postremo infundetis post ij. vel iij. horas flores, facta infusione primo ponuntur ad coquendum radices, & sena, & vbi dimidio fuerint cocta, ponuntur ad bulliendum herbae, quae vbi fuerint proxime coctae, apponuntur flores, ita vt haec omnia bulliant ad consumptionem medietatis, donec maneat decoctum ad lib. j. s. vbi facta fuerit huiusmodi decoctio, accipitur saccharum albificatũ, & omnia simul coquuntur vsque ad consistentiam. atque in fine, vt dixi, succus descriptus ab auctore, & iterum coquatur vsque ad consistentiam. Haec est igitur ars componendi syrupos compositos, poteritis vos semper postulante vsu, sic componere: Sed notare debetis huiusmodi syrupis interdum addi aromata, & cõmuniter haec operatio nuncupatur a pharmacopolis aromatizatio: fit igitur aromatizatio syruporum duobus modis, vel enim adduntur aromata puluerizata, postquam fuerit syrupus coctus, vel aromata contusa ponuntur in petia ligata, atque dum coquitur syrupus, haec petia in ipso continetur, & exprimitur saepissime, atque hic est alter modus aromatizationis, interdum etiam postquam positus est, syrupus ad conseruandum, additur aliquod aroma in petia ligatum, & ibi continetur, & notate, in syrupo de cichoreo comp. cum rhab. consueuerunt plerique omnes pharmacopolae accipere rhab. & ipsum in petia ligatum conseruare in vase vna cum syrupo. Sed ego ridere soleo huiusmodi vanum laborem, quia illud rhab. nihil facit, experiamini, & capiatis illud rhab. conseruatum, videbitis totum esse integrum, ita vt nihil amiserit facultatis, quare damno ego omnino huiusmodi vsum, & potius mihi placet, vt infusio, quae ponitur in syrupo sit crassior, & copiosior, quia sic est maior vis syrupi, & ita debet fieri, alioqui inutilis est, & ideo non miremini, si saepe fru

stremini

ſtremini voto. Porro ſucci, qui conſeruantur, & quibus vtimur, duum, & ipſi ſunt generum, alij dicuntur ſimplices, alij compoſiti, ſimplices ſucci ſunt, quando ſolum coquuntur ad conſumptionem medietatis, & percolati diligenter reponuntur. ſic fit ſuccus de ribes, ſuccus cichorei, endiuiae, & tandem omnes ſucci. Compoſiti ſunt ſucci, qñ commiſcentur, vel melle, vel ſaccharo, vt dixi. E.g. accipiunt ſex librae ſucci depurati, & cocti, & dimidiũ mellis, ideſt lib. iij. & omnia bulliunt vſque ad conſiſtentiam, eſt tamen aliqua differentia, quia interdum plus mellis additur. modo vna cum melle additur ſapa, vt in diamorone. Sunt quaedam alia liquida medicamenta maxime vſitata apud medicos, quae fiunt paulo diuerſo modo, & inter alia eſt oxymel, quod omnium vſitatiſſimum eſt, & iccirco vtile erit, vt cognoſcatis quomodo ſit conficiendum. Communis modus conficiendi eſt, vt accipiantur mellis deſpumati partes duae, aquae clariſſimae pars vna, & ponantur ad bulliendum vſquequo tota aqua euaneſcat deinde accipitur acetum acerrimum, & paulatim apponitur, vſquequo mel illud acceperit conſiſtentiã, & aciditatem aliquam. Galenus 4. de tuen. val. 6. inquit, oxymel non eſſe componendum vna forma, & vno modo, ſed ſecundum varietatem guſtus hominum, ita etiam variandam eſſe compoſitionem? ſunt, inquit, Galenus, qui amant vinum meracius, alij dilutius, ſic ſunt quibus quanto acidius eſt oxymel, tanto eſt gratius, rurſus alijs aciditas ingrata eſt, & iccirco merito dicit Galenus in conficiendo oxymelle acetum non eſſe ad determinatum pōdus accipiendum, ſed modo plus, modo minus, ita & vos facietis, quãdo vultis, vt paretur alicui oxymel, exploretis illius guſtum, & ſecundum illum poteritis apponere modo dimidium aceti, modo tertiam vnam, modo duas tertias prout poſtulabit vſus. Galenus eo in loco vbi mandat mel eſſe deſpumandum, nullam mentionem facit aquae, ſed inquit addendam eſſe aquam, vbi confectum erit oxymel, & vbi erit vtendum, adeo vt ſi aduertatis mentem Galenus vſus oxymellis eo tempore erat, vt dilueretur quemadmodum diluitur vinum, & nos hodie quoq; diluimus oxymel, ſed raro aqua ſola, verum vel brodio, vel decocto, ſed cur Galenus ſola aqua? haec eſt ratio, quia oxymel parabat pro ſanis eo loco, nos autẽ oxymelle vtimur fere ſemper ad aliquam aegritudinem, & ideo diluimus cum decoctis accommodatis. Sed dicetis, quando deſpumatur mel, cur non facit mentionem aquae Galenus; quicquid ſit de mente Galeni, melius eſt addere aquam dum deſpumatur, quia inter deſpumandum ſola aqua abſumitur, tota mellis ſubſtantia permanet, hoc non fit, ſi mel ſine aqua deſpumetur.

De Pastillis seu Trochiscis. Cap. 9.



FIt oxymel compositum eo plane modo quo simplex, id tamen interest, quod sicuti in simplici aqua vtimur pura, ita in cōposito, loco aquae vtimur decocto, fit autem decoctum varijs modis, prout varij, & diuersi sunt fines quos optamus. haec est igitur summa artis vsurpandae in componendis syrupis, vt succi colligantur tempore debito, coquantur, & depurentur, vt fiant decocta secundum artem praescriptam, vt eligatur saccharum, seu mel optimum, vt coquantur blando igne in loco a ventis, & fumo libero, vt a puluere etiam caueatur, & vt omnia conseruentur in vasis terreis optimè tectis: Paulus laudauit vasa picatā, sed tempore vestro non sunt admodum in vsu. Post medicamenta liquida sequitur, vt ars a nobis tradatur componendi solida, & primo sese offerunt pastilli seu trochisci, quos dicit Galenus 5. de med. per genera, cap. 11. sic vocatos esse a figura orbiculari. Vt ex Galeno, Oribas. & ex Paulo lib. 7. cap. 12. colligere possumus, habuerūt veteres medici trociscorum tria genera, vnum eorum quibus in potu vtebantur, alterum eorum, quos ano infundebant, tertium eorū, quae extrinsecus illiniebant, omnia tamen haec tria genera fiebant vno, & eodem modo, scilicet ex medicamentis in puluerē redactis, & aliquo liquore exceptis, quibus pastillos orbiculares cōficiebant atque siccabant, eius magnitudinis, vt penderēt drac. j. Finis huius compositionis, vt colligere potui ex Galeno 5. de medicamētis per genera, fuit duplex, vnus, vt medicamenta parentur, quibus possent medici ad plures scopos vti, ea propter ad numerantur trochisci a Galeno inter medicamenta, quae πολύχρηστα a Graecis dicuntur, & quod hoc sit verum possumus ex eo facile colligere, quia omnes trocischi componuntur ex varijs, & pene contrarijs medicamētis. Alter finis fuit, vt haberentur in promptu medicamenta quocumq; tempore, nam saepe vsu venit, vt medici cogantur statim adhibere medicamentum, vel in potu, vel alio modo, itaque vt haberentur huiusmodi medicamenta, inuenerunt hanc formam, qua simul componuntur, conseruantur, & postulante vsu adhibentur. Modus quo adhibebant antiqui erat, quòd tempore vsus hosce pastillos eliquabant, vel aceto, vel vino, vel mulso, vel melle, prout hoc, vel illud magis optabant. In componendis trochiscis ars, quae debet adhiberi, aliqua postulat ex parte medicamentorum, aliqua ex parte liquoris, aliqua etiam ex parte exiccationis. Ex parte medicamentorum id requiritur, vt diligentissime omnia terantur separatim, at-

que

que etiam, si necessitas exigat, leuigentur. Ex parte liquoris requiritur, vt tantum accipiatur, quantum satis sit ad redigenda medicamenta, in formam trochisci, nam non videbitis nec apud Galenū nec apud Mesuem praescriptam esse vnam quantitatem liquoris quo sunt excipienda haec medicamenta. Id tamen non est ignorādum, non fuisse apud medicos vnum genus liquoris, quo vterentur, sed plurima, vt enim obseruare potui ex Galeno 5. de med. comp. per genera, interdum vtebantur decocto aliquo, interdum vino passo, mulso, aceto, melle, nos etiam interdum vtimur infusionibus, vel muccilaginibus. Contingit etiam interdum, vt nullo liquore vtamur, & est, quando ingredientia trocischos sunt humidiora, ita vt possint per se sola sufficere conficiendis trocischis, vt contingit in trochis. cypheos, in quibus passulae sat sunt ad conficiendos pastillos, sic ēt in troch. viol. tam eorū, q̃ fiunt cū scāmonio, quā q̃ sine scāmonio, nō vtimur liquore, eo qđ flores viol. recentes sat sunt ad pastam illā efficiendam. Ex parte etiā exiccationis requiritur, vt non exiccentur, neq; ad ignē, neq; ad solē, ne. s. vi aut ignis aut solis facultas medicamentorum minuatur, sed exiccādi sunt in vmbra, in locis, tamen in quibus neque puluis, neque ventus offendere potest. Et vt vos exerceam in aliquo ex trochiscis, disputabimus nonnulla de troc. alhandal, qui frequentissime vsurpantur, & sunt maximi momenti. eorum secundum Mesuem haec est descriptio. ℞. pulpae colocynth. subtiliter incisae vnc. x. vngatur oleo amyg. dul. per totam diem, deinde redigatur in massam cum hac infusione. ℞. aquae ros. vnc. iiij. bdellij, gummi arab. tragacan. anà drac. vj. fiat infusio. s a. vbi cum hac infusione fuerit semel colocynthis ad pastam redacta, exiccatur in vmbra, vbi exiccata fuerit, minutissime teritur, & trita, iterum cum eadem infusione redigitur in pastillos orbiculares. Sed circa compositionem horum trochiscorum orta est controuersia inter pharmacopolas, certe magno studio diffinienda, nam nonnulli contextus, vbi dicitur colocynth. vnc. x. habent drac. x. quapropter aliqui vncias malunt, aliqui drachmas. Sed puto ego omnino accipiendas esse vncias non drachmas, duabus rationibus, vna, quia si drachmae tantum caperentur, proculdubio maior esset copia correctoriorum, quam medicamentorum, at vt monstraui suo loco, semper debet correctoriorum minor quantitas esse, quam medicamentorum. Altera ratio est, quia hi trochisci tantum facti sunt ad corrigendam acrimoniam colocynth. vt enim habeatur colocynthis alterata, & castigata, inuentus est hic modus castigādi ipsam, nam vt videtis, gummata ingrediuntur infusionem, vt scilicet lentore ipsorum acrimonia colocynth. retundatur. itaque, si acciperemus drach. & non vnc. colocynthidis tanta

est copia gummatum, vt non modo corrigant colocynthidem, sed eius vim plane destruant, quare non sinatis, vt quisquam pharmacopolarum vobis persuadeat in componendis his troch. esse capiẽdas drach. & non vncias. Video aliquem optaturum esse a me intelligere, nunquid vlla methodus haberi possit, qua in componendis pastillis modo hoc, modo illo liquore vtamur, quoniam magni refert, an vino, an succo, an alio liquore debeamus medicamenta in pastam redigere; hanc methodum a nemine explicatam inuenio; verumtamen, vt studio, & diligentia potui ex Galeno, & Mesue colligere, haec est, vt quando volumus componere trochiscos, consideremus finem, & effectum futurum illorum trochis. etenim, vt habetis ex Paulo, & Oribas. loco citato, trochisci, qui potu sumuntur alij fiunt ad sistendum fluxum sanguinis, fluxum alui, ad condensandum, ad deobstruendum iecur, lienem, renes. Similiter qui fiunt vt infundantur in anum, alij fiunt ad obtundendam acrimoniam, alij ad compescendas dysenterias, & fluxus alui: Similiter qui fiunt ad illiniendum, fiunt, vel ad sistendum, vel exiccandũ, vel ad vrendum. Fiunt etiam alij trochisci ad purgandum, vt dixi de trochiscis alhandal, & violarum cum scammonio. Cum itaque tot sint fines, & effectus, qui sperantur ex vsu trochiscorum, in ijs componendis semper debemus sumere eum succum, qui possit cooperari fini nostro. Sic videbitis apud Galenum 5. illo secundum genera cap. 11. & 12. quod pro trochiscis ad adstringendum vtitur succo, vel decocto myrti, nam huiusmodi decoctum cum adstringat cooperatur alijs medicamentis. Sic in conficiendis trochis. de spodio, & terra sigillata vtimur nos succo plantaginis. pariter etiam in trocchis. de absynth. & rhabarbaro, quia volumus aperire, vtimur aqua endiuiae, cichorei, decocto cetrach. vbi volumus exiccare vehementer vtimur vino, vt in pastillis Andronis, qui conficiuntur vino dulci; vbi vero volumus componere trochis. ex rebus purgantibus, vtimur semper eo liquoris genere, quo speramus nos posse corrigere medicamenta, vt intellexistis de trochiscis alhandal, & viol est tamen animaduertendum nonnullos in conficiendis troch. adhibere muccilagines, quorum consuetudinem probare non possum quia experientia constat, eos trochiscos, qui parantur muccilagine faciliter contrahere situm, ea propter loco muccilaginum potius adhibendum est, vel mel, vel mulsum, vel sapa, quoniam & isti liquores habent aliquem lentorem, merito cuius possunt cõseruari medicamenta citra corruptionem. Haec est summa conficiendorũ trochiscorũ, vt medicamẽta eligant, diligentissime teratur, & cũ aliquo liquore accõmodato in formã pastilli, qui pendeat drac. j. redigant, & deinde in vmbra siccent in loco a vẽtis, & pulueribꝰ libero.

De

De pilulis. Cap. 10.



Rochiſcos ſequitur tractatio de pilulis, quae quidem omnium maxime neceſſaria eſt vobis, eo quod non ſolum cogemini ſaepiſſime vti pilulis, verumetiam ipſas componere, vel componendas mandare. Fiunt pilulae, vt breuiter dicam, ex omnibus medicamentis aridis ſubtiliſſimè tritis, aut leuigatis, eo modo confarctis, & compoſitis, quo componuntur paſtilli; id intereſt, quod paſtilli fiunt in paruis formis, pilulae autẽ in maſſa, quae (vt dixi alias) dicitur magdaliũ. Liquor qui adhibetẽ ad conſeruandam huiuſmodi maſſam, ſolet etiam eſſe varius, id tamen ſemper habere debet, vt poſſit morbidam, & mollem conſeruare eam maſſam, vt ſunt mel roſ. s. & ſol. ſyr. roſ. s. & ſol. ſapa, mulſum. & notate pilulas aureas ex deſcriptione Nicolai a nonnullis fieri ſecundum auctoris deſcriptionẽ, cum infuſione tragacanthae, ſed huiuſmodi modus mihi placere non poteſt, quia infuſio tragacanthae facilè corrumpitur, & praebet occaſionem medicamentis, vt facile ſitum contrahant, ea propter laudo ego potius, vt huiuſmodi pilulae componãtur cum melle roſato ſolutiuo. rediguntur etiam interdum in maſſam pilulae cum elect. roſ. Meſ. vt pilulae aggregatiuae, quamquàm etiam non deſint impuri pharmacopolae, qui non faciunt has pilulas cum electuario, cum tamen deberent facere. Quantitas liquoris, aut electuarij in conficienda maſſa pilularum ea eſſe debet, quae ſufficiens ſit ad redigenda medicamenta requiſita in paſtam: & vt habeatis veram rationem, & artem componendi pilulas, proponam vobis exemplum vnum & alterum, ſuper quod diſputans, & diſcurrens, intelligetis multa obſeruanda circa compoſitionem pilularum; ſecus enim eſt fere idem modus in conterendis pulueribus, in conficiendis decoctis, quem mõſtraui in trochiſcis. Erit autem exemplum, quod proponam, pilularum alephanginarum, quia iſtae ante omnes alias deſcribuntur ab auctore Meſue. Quatuor de his conſiderabo, quis fuerit auctor, quem finẽ habuerit, quae ſint ingredientia, & qua arte conficiendae. Omnes vſque ad haec tempora exiſtimarunt, auctorem harum pilularum vnum fuiſſe Meſuem, eo magis, quod ipſe ſibi hanc laudem videtur vendicare, verumtamen dum ego rem diligentius conſidero, inuenio auctorem multo antiquiorem, & fuit Lampon Peluſiota, cuius & deſcriptionem & mentionem habetis apud Galenum 8. de med. loc. 2. cuius etiam meminit 3. de local. 3. quis fuerit iſte Lampon, non inueni a quoquam indicatum, puto tamen fuiſſe medicamentariũ

aliquem

aliquem magni nominis, postquam Galenus non consueuit recensere medicaměta, nisi virorum illustrium, nam eo in loco dum referret cōpositiones Andromachi, qui fuit medicus Neronis, inter alia proponit medicamentum, quod maxime refert naturam pilularum alephanginarum, verum vt consueuerunt posteriores semper aliquid addere, vel immutare veterum medicamenta, sic fecit Mesues nonnulla addidit, aliqua etiam subtraxit, verumtamen totam basim, & compositionem sumpsit ab hoc auctore, vt demonstrabo in sequentibus.

Finis propter quem a Lampone excogitatum fuit hoc remediū, vt colligere licet ex Galeni scopo in 5. de med. com. secundum genera, fuit, vt inseruiret ad plurimos vsus, & praesertim ad inflammationes internas, ad tardas coctiones, ad inflationes, & dolores stomachi, ad sputa sanguinis, & ad ischiadicas affectiones. Mesues autem, qui alephanginas pilulas ita vocatas tradit, quia fiunt ex aromatibus, dixit, hoc medicamentum non solum praedictis affectibus conuenire, verumetiam corroborare cerebrum, & expurgare, ita vt non videatur finis Mesues a fine Lamponis in alio distare, quam quod Mesues voluerit suas pilulas etiam cerebro auxiliari. Videamus modo (quod erat tertium propositum,) quae sint medicamenta ingredientia compositionem Lamponis, & quae pilulas Mesues. Descriptio medicamenti Lamponis apud Galenum haec est. ℞. cinamomi, calami arom. cassiae nigrae, xylobalsami, schoenanthi, palmae elatis anà vnc. iij. alij contextus habent vnc. j. omnia haec in crassas partes contusa in ollam conijciantur, & aquae pluuiae sextarijs iij. infusis, donec dimidiū superfit, coquantur, atque cocta excolentur, deinde accepta aloes indicae lib. j. aqua pluuia quantum satis est, superinfunditur, & sub caniculae aestu teritur donec exiccetur, tū miscentur croci, myrrhae, mast. ana vnc. iij. alij textus habent vnc. j. conterantur deinde, & siccata reponuntur, haec est forma medicamenti Lamponis relata a Galeno. ceterum, vt dixi, cum Mesues scopum habuerit suis pilulis etiam cerebrum corroborare, huic medicamento complura alia aromata miscuit, nonnulla etiam subtraxit. est itaque Mesues descriptio huiusmodi. ℞. cinamomi, cubebarum, ligni aloes, calami arom. macis, nucis myrist. cardamomi, assari, gariophil. mastichis, schoenanthi spicae, carpobalsami, anà drac. viij. absynth. rof. anà drac. ij. s. aquae communis lib. 12. aloes lotae, & subtiliter pul. lib. j. myrrhae, mastich. anà drac. v. croci drac. iij. haec est descriptio pilularū alephanginarum apud Mesuem ex qua potestis facile intelligere multa addita fuisse a Mesue, & subtracta esse aliqua, praesertim vero palmam, elaten. Circa compositionem horum medicamentorum, vt specu-

lationem

lationem habeatis vtilissimam, & pulcherrimam, tria ante caetera occurrunt circa decoctum faciendum consideratione digna, primũ cur Mesue in sua descriptione abstulerit palmam elaten. Secũda difficultas est in decocto faciendo, sitne seruanda dosis aquae a Lampone descripta, an potius a Mesue, nam vt intelligere potestis, Lampon pro 140. drachmis medicamentorum, accepit tres sextarios aquae, sunt autem tres sextarij lib. v. Mesues autẽ pro 136. drachmis medicamentorum accepit lib. xij. aquae itaque est dignum consideratione, quisnam melius egerit, an Mesues, an vetustus ille auctor. Tertia difficultas est, quia & Lampon, & Mesue videntur cõtrarij regulis, & ab ipsis traditis, & a nobis explicatis; si meministis, dum de decoctione verba facerem, dixi, ex omnium sentẽtia in decoctione facienda illud esse obseruandum, vt crassa corpora multum infundantur, & multum coquantur, aromata, & flores parum. verumtamen vterque hic auctor in decoctione facienda pro hoc medicamento praeceperunt esse faciendam vsque ad consumptionem medietatis ita vt manifestissime videant̃ recessisse a legibus, & praeceptis traditis. Circa primum sciendum est, palmam elaten tria, (vt ego colligere potui) significare apud medicos, primo tenerum germen palmae, hoc habetis apud Galenum 7. de simpl. quem sectatus est Esichius. secundo significat fructum palmae, quem dactylum vocamus. postremo tegmen, & corticem fructus, atque has duas significationes postremas habetis explicatas apud Diosc. in cap. de palma, itaque consideratione dignum est, sub nomine elatis apud Lamponen quid accipiendum, an germen, an fructus, an tegmen fructus. haec res quoniam a nemine explicata inuenitur, ita mea sententia est diffinienda, vt accipiendus sit fructus, & adducor ad hoc, quia cum intentio illius auctoris esset medicamentum facere, quod ventriculo praesertim succurreret, proculdubio fructus palmae apud omnes scriptores hanc facultatem habet, ventriculum roborandi: accedit, si aestimemus reliqua ingredientia magis conueniunt cum fructu, quam cum germine, aut tegmine, sed consideratione dignum est cur si hanc facultatem habet fructus palmae, Mesues noluerit ipso vti? puto ego ratione grauissima permotum fuisse Mesuem, quia sibi proposuerat medicamentũ componere, quod non solum ventriculum, verumetiam cerebrum maxime iuuaret, atqui fructus palmae licet conferat ventriculo, obest tamẽ cerebro, eo quia proprietate quadam occulta dolorem capitis inducit, quod autem dactylus hac proprietate praedictus sit multi testati sunt, imprimis autẽ Diosc. post Galenus 2. de med. local. vbi Apollonij medicamenta ad ebrietatem recenset, 2. de alim. fac. & lib. de facile parab. ad Solonem, in his omnibus locis Galenus Diosc.

sectatus, testatur palmulas dolorem capitis facere, sed praeter hos sunt, & alij, ĩprimis Xenophõ apud Athen. lib. 14. dypnonosophist. & Plutarchus in praeceptis connub. adeo vt passim testimonia habeatis hunc fructum cerebro incommodare, quare non immerito videtur fecisse Mesue, qui in suis pilulis alephang. hoc medicamento vti noluit. In secunda difficultate, sum ego huius sententiae, dosim aquae in hoc decocto faciendo non esse accipiendam a Mesue, sed a Lampane, quod autem ita sentiam, plures rationes efficiunt; vna est, quam attuli dum tractarem de infusionibus, vbi fiunt infusiones, & decoctiones, quo minor copia liquoris accipitur, eo magis liquori facultas medicamenti inditur, vnde cum multo minor sit ea, quam describit Lampon, videtur esse amplectenda. accedit & alia ratio, quia si sumantur 12. librae aquae, & debeat consumi medietas, diu aromata bullient, & ideo magis eorum facultas dissipabitur: sin autem quantitatem accipiamus Lamponis, solummodo consumendae sunt lib. ij. s. quae in multo pauciori tempore consumentur, quam sex, ita vt non adeo immineat periculum ne consumentur facultates aromatum. sed quid ad Mesuem? in plerisque veterum commentariorum scripturis innumera inueniuntur errata circa pondera. & ratio est, quia cum scriberent notis, & non vocibus, facile erat labi in notis, immo hoc tempore typographi dum cudunt libros medicorum, & vtuntur notis, saepissimae errant, ea propter non fidatis libris in numeris, & põderibus, sed potius vtamini ratione; ita dico in praesenti, posse defendi Mesuem, quod numerus ille sit corruptus. Circa tertiam difficultatem, Brasauola vir diligentissimus duas responsiones adfert, vna est, morem fuisse Mesue, & optimis quibusque scriptoribus, vt vbi semel tradiderunt praeceptum aliquod, non amplius repetant, sed illud supponant, & propterea in huiusmodi compositione Mesuem supposuisse decoctionem fieri debere aromatum secundum artem, semel ab ipso traditam, vt scilicet primo crassiora infunderentur, secundo mediocria, tertio tenuia, atque idem in decoctione seruaretur, haec est prima eius responsio, quam ego etiam facile amplector quia verissima est. Altera responsio est, dum infunduntur, & coquuntur aromata, vel posse contundi subtiliter, vel crasso modo, si subtiliter contundantur, parum esse coquenda, sin crasso modo, posse coqui pluri tempore, iccirco, inquit, cum Mesue voluerit aromata esse crasso modo contundenda, voluit consequenter etiam coquenda esse vsque ad dimidium, quod dixit Brasauola pro Mesue, idem etiã dicere possumus pro Lampone, qui voluit suam decoctionem ad dimidium esse faciendam: verum haec responsio mihi non placet, ratio est, quia siue aromata crasso modo, siue subtiliter contusa accipiantur,

piantur,facultas ipsorum posita est in partibus tenuibus, quae faci le destruuntur ex multa coctione, ita vt non minus offendantur facultates aromatum, si crasso modo sint contusa, quam si subtiliter attestatur quotidiana experientia, quia siue coquamus piper, siue cinamomum, siue gariophyl. ad minimam quamque coctionem videmus statim aquam infici odore, sapore,horum aromatum, immo vero,si rationem Auenzoar,& Auerr. sectari vellemus, non essent vllo modo aromata dum coquuntur terenda, etenim Auenzoar lib.primo,tract.16.cap.6.& Auerr.5. collect. 31. loquentes de modo conficiendi aquam hordei, praecipiunt, vt caueatur ne grana conterantur,eo quia si faciendum est decoctum optimum,& infusio,inquiunt debere grana illa in sese trahere aquam, quod non possunt, nisi viuida sit eorum facultas attractrix, haec facultas, inquiunt,consistit in totalitate, & continuis partibus granorum,quare si contundantur, facultas attractrix labefactatur, qua offensa, non potest attrahi aqua a granis, & propterea non fiet optima coctio, quod autem a contusione facultas attractrix diminuatur, atq; etiam extinguatur, probant, quia grana, quae mandantur terrae contusa,sunt inefficacia, vbi sunt solida nascuntur, vnde colligitur in fractis abolitam esse facultatem, in integris conseruari. hac itaq; virorum grauissimorum auctoritate sustinere possemus etiā in decoctis faciendis potius aromata integra esse coquenda, quam vllo modo fracta. sed de hac re esset altior disputatio habenda,sat est nō valere rationē Brasauolae.quare melius responderi potest, id quod dixi a principio, quantitatem aquae eam esse debere, quam praescripsit Lampon non Mesues, nam si haec quantitas seruetur,cum sit lib.v.& debeant consumi lib.ij.s. non diu coquentur aromata, & proinde non erit periculum, vt ita consumantur facultates,vt contingeret, si sex librae essent consumendae. Itaque constituta hac quantitate aquae pro componendo huiusmodi medicamento, primo fiant decoctiones medicamentorum,infusiones,& decoctiones secundum artem, quam docui. Praeter decoctum iubet Lampon accipiendam esse lib.j. aloes indicae.i. aloes electae, & aquam pluuiam,& sub aestu caniculari terendam donec exiccetur, & edulcoretur. Mesues similiter mandat, vt facto decocto, accipiatur aloes succotrinae lib. j. & lauetur in scutella lapidea vitreata in aqua pluuiali pluribus lauationibus, & exiccetur, in quibus omnibus conueniunt Mesues,& Lampon, nisi quod Mesues dicit,pluribus lauationibus esse abluendam aloen,quod Lampon non dicit, sed significat,dum voluit esse efficiendum donec edulcoretur, non quod vmquam dulcis euadat, sed vsquequo ingratissima illa amarities obtundatur,id quod fieri non potest nisi pluribus lauationibus.Sed

circa hoc duo sunt cõsideranda, vnum, cur vterque auctor vult abluendam esse aloem aqua pluuia. voluerunt quidem abluendam esse aloem, quia cum intentionem haberent exiccandi ventriculum, & roborandi, aloes lota magis roborat, quam illota, similiter magis siccat, quam illota, dissipando, non purgando. praeterea cum medicamento hoc proposuissent sibi parum expurgare, proculdubio, lota aloes, vt dixi alias ex Galeno, minus purgat, quã illota, quare magno iudicio aloen lauandam iusserunt: cur potius aqua pluuia? puto ego hac ratione, quia aqua pluuia magis abstergit, quam vlla alia aqua, & hoc norunt mulieres, quae magis dealbant pannos aqua pluuia, quam aqua putei, vel fluminis. Accedit & aliud, quia aqua pluuia magis penetrat, quia cum sit facta ex vaporibus in aere agitatis, & super tegulis sit confracta, proculdubio tenuior euadit, & sic magis penetrat, & quod hoc sit verum, petatis a mulieribus, quae dum volunt coquere legumina, potius eligunt hanc aquam, quam vllam aliam.

Vbi aloe fuerit lota, & edulcorata, mãdat Lampon, vt decoctum aromatum accipiatur, & super aloem affundatur, deinde sub sole ponatur, ibique teratur donec exiccetur, postquam exiccata fuerit, vt commisceantur mastichis, myrrhae, croci anà vnc. iij. alij dicunt vnc. j. atque ita trita, & mixta omnia conseruentur sicca. hoc idem Mesue etiam praecepit in suis pilulis alephang. sed differentia est inter hos, quia Mesues vult, vt decoctum partiamur, & prima vice dimidium superinfundatur aloe, quod vbi sit exiccatum, deinde alia pars superinfundatur, at Lampon vult totum decoctum esse superinfundendum. addit Mesues secundum varias corporum dispositiones posse modo minui, modo augeri aloen, similiter loco aquae pluuiae posse vsurpari decoctum myrobalani. Est dignum consideratione, quis sit melior modus Mesuesne, an Lamponis? dico vtrumque rectè fecisse, Mesuem quidem, quia cum magna sit quantitas decocti, proculdubio si tota simul affunderetur, multum temporis consumeretur, priusquam esset totum exiccatum, caeterum in descriptione Lamponis cum multo minor sit decocti quantitas, potest iure tota simul affundi; Sed video statim ingeniosum esse dubitaturum, si sectari placeat nobis Mesuem, errorem maximum cõtingere, quia quousque prima portio exiccetur, pertranseunt, quatuor, aut quinque dies, interim residuum decocti corrumpitur, ea propter non videtur tutus esse modus Mesues, sed vtilior multo Lamponis: dico hoc verissimum esse, scilicet residuum decocti corrumpi, & propterea male eos pharmacopolas facere, qui hunc stilum sequuntur. quid igitur agendum? vt euitetur omnis error, si Mesuem sequi velimus in dosi hac, partienda sunt aromata omnia in

duas partes, similiter aqua antequam fiat decoctum, vbi exiccata est aloes, faciendum est dimidium decoctum, ac superinfundendũ aloe, vbi exiccata est haec portio, facienda est alia portio decocti, & superinfundenda, atque ita agendo, omnem errorem euitabimus, quia habebitur Mesues intentio, nec periculum erit, vt corrũpatur decoctum. Brasauola improbauit hunc modum, hac ratione, quod multo melius est, facere vna vice decoctum, quam duabus, quia multo, inquit, efficacior est facultas omnium aromatum simul acceptorum, quam partis illorum, quoniam si omnia aromata simul coquantur, diutius bulliunt, in hac temporis diuturnitate fit maior impressio aromatum in decoctum, quare hac ratione ductus statuebat, melius esse vna vice fieri decoctum, quam duabus, & quia videbat errorem, qui sequuturus erat, si dimidia pars decocti, vt praecipit Mesue, conseruaretur quatuor, aut quinque diebus, excogitauit modum, quo possit hic error euitari: modus hic est, vt pararetur vas latum, atque aloe trita in eo poneretur, deinde totum decoctum vna vice superinfunderetur, atque ita collocaretur sub sole diebus canicularibus, etenim si hoc fieret, dicebat, euenturum esse, vt totum illud decoctum in vase lato absumeretur vna die, vel duabus, quod quidem minime contingit vbi decoctum ponitur in vasis angustis.& q̃a poterat q̃s obijcere Brasauolae, hoc non esse curare, vt decoctum imbibatur ab aloe, sed potius, vt a sole totum absumatur: huic obiectioni duas adfert responsiones, vnam quòd tametsi a sole magna pars decocti absumatur, verumtamen partes terrestres remanent, quibus cum insit facultas medicamentorum, illa pars commixta aloe reddit eam efficacissimam: altera responsio est melius esse, vt aloe numquàm ponatur sub sole, neque fiat decoctum ex aromatibus, sed vt aromata integra puluerizata commiscean tur aloe, vt fit hiera picra vocata Galeni. Aduersus has Brasauolae responsiones nonnullis moueor ego rationibus non contẽnendis, vna, si ponamus totum decoctum sub sole, vt ipse vult, plane necessarium est, totum a sole absumi, nec misceri aloe, & ratio est, quia calor aestiuus vehementissime agit in totam liquoris substantiam, & proinde aequaliter dissipat, ita vt non sit aestimandũ a sole ardente partes solum inutiles dissipari, & vtiles relinqui. probo hoc duobus exemplis luculentissimis si accipiatur decoctum quodcumque, & ponatur sub sole, videbitis etiam citra aloem consumi totum a sole; praeterea si accipiamus decoctum brassicae, vel alterius herbae, & statuamus sub sole, & deinde gustetur, quando iam incipit desiccari, & quando iam prope totum est desiccatum, non videbitis qualitates diuersas, aeq; partes illae paucae relictae, erũt & subtiles, & odoratae, atque erant, quando incipiebant desiccari,

ita vt appareat, modum hunc inutilissimum esse, quia totum decoctum absumeretur, nec quicquam impartiretur aloe. Ad secundam Brasauolae responsionem dico, multo melius esse, vt exiccetur aloe sub sole, quam sub vmbra, primo quia vbi lota est, non facile humiditas illa absumitur nisi a calore solari: Praeterea si decoctum est commiscendum, & imbibendum ab aloe, vt fiat cum aliquo calore necessarium est, calor debet esse efficax, nec tamen vehemens, talis est calor solaris, quia commiscet citra detrimentum, & cum lenitate: praeterea non valet, melius esse aromata tota commisceri, vt in hiera, quia alia est intentio, & alius scopus eorum qui fecerunt alephanginas, & Lamponis, alius eorum, qui composuerunt hieram: qui cōposuit alephanginas, & Lampon proposuerūt sibi desiccare, & absumere prauos humores viscerū, serosos humores tollere, neque tamē insigniter purgare, qui composuerūt hieras proposuerunt sibi non modo desiccare, verumetiam mediocriter purgare, itaque illi recte fecerunt, quando voluerunt primo ablui aloen, deinde decoctum aromatum potius apponi, quam aromata, vt scilicet desiccaret magis medicamentum, penetraret, neque purgando multum sollicitaret. isti similiter recte fecerunt, quia cum proposuissent sibi exiccare, & mediocriter purgare, ad hoc obtinēdum magis auxiliantur aromata integra, quam decoctum, & quod hoc sit verum consideretis discursum Galeni 8. de med. local. 2. vbi comparans hieram Andromachi, & medicamentum Lamponis dicebat, ad siccandum sine purgatione melius esse Lamponis medicamentum, ad desiccandum, & purgandum praestare hieram Andromachi, quo etiam in loco illud vobis non est silentio praetereundum, scilicet haec medicamenta, πολύχρηστα, vt dicit Galenus minus conferre ad particulares quosque affectus, quam medicamenta ad eos solum effectus peculiares destinata, vt etiam hac ratione debeamus existimare secus componenda esse medicamenta πολύχρηστα, quam quae ad vnam affectionem sunt destinata. Quare vt rem paucis definiam, sum ego huius sententiae, vt si Mesuem sequi velimus, & in componendis his pilulis, & in omnibus similibus semper debeamus pluribus vicibus facere decoctum, quam facere totum simul, & partem deinde conseruare, quia omnia decocta paruo tempore possunt conseruari. Sin autem Lamponem sequi velimus, & in componendo hoc medicamento, & alijs dico praestare, vt semper vna vice decoctum fiat, quia cum paucum sit, facile paucissimis diebus partim absumetur, partim aloe ipsi miscebitur. Modus igitur componendi erit, vt aloe primum lauetur, & exiccetur deinde fiat decoctum, post affundatur aloe exiccata, deinde conteratur, postremo addatur mastix, myrrha, & crocus, & vbi omnia

fuerint

fuerint commixta, redigãtur portione eiusdem decocti in massam, & exiccata conseruentur. & notate hac arte ẽt vos posse facere omne genus hiere tam cum aloe lota, quam cum illota. Sed tria adhuc remanent consideranda, & finis erit, vnum, cur neque Mesue, neque Lampon voluerint myrrham, crocum, & mastichem, apponi alijs aromatibus in decocto, sed postremo loco esse miscenda. secundum cur Lampon voluerit, ita trita simul, & sicca esse reponenda, non autem massae fecerit mentionem. Postremum est de dosi medicamenti vtriusque, alephang. scilicet, & medicamenti Lãponis, quia dosis pilularum alephang. communiter vsurpata est, à drac. j. vsque ad ij. Lamponis medicamentum datur, vt est eius praeceptum, ad obolum j. vel ij. est autem obolus, vt intellexistis scrup. s. ita vt dosis Lamponis sit scrup. s. vel scrup. j. Ad primum respondeo, iure praeceptum fuisse, vt neque mastix, neque myrrha, neque crocus coquerentur cum alijs aromatibus, quoniam omnia gummata, & resinosa non possunt bene coqui, immo vero Galenus 5. de med. local. primo, & secundo, de med. per genera 9. dicit crocum, & myrrham, & alia multa medicamenta, dum coquuntur vires amittere, immo vero praecipiebat, vt quandocunque haec sunt alijs miscenda, misceantur duntaxat vbi fuerint medicamenta ab igne sublata, quasi timeat etiam quamlibet minimam ignis actionem in haec corpora. nec moueat vos, quod Auic. 2. Can. loquens de mastiche, saepe faciat mentionem mastichis decocti, quia ibi loquitur de radicibus decoctis, & folijs illius arboris, nõ de gummate, Galenus autem, & Mesue, quando faciunt mentionem mastichis intelligunt gummi, quod quidem dixi non posse coqui, & amittere vires dum coquitur; sic etiam, quando legetis apud Auerroem in decoctione aquae hordei apponendam esse mastichem propter stomachum, intelligitur, vt apponatur postquam coctio facta est, si gummi sumatur, vel si mastix coquenda cum hordeo accipitur, vel radix, vel cortex, vel folia. Ad secundum respondeo, haec medicamenta, & alia non esse conseruanda in pulueribus, quia sic facile difflantur, sed melius est, vt conseruentur vnita, & vt vniantur aliquo liquore, quia vt nostis ex principijs philosophiae, aridum non potest vniri absque humido, quod si etiam verba Lamponis examinemus apud Galenũ, dicit, omnia terenda esse, simul miscenda, & sicca conseruanda, non negat propter hoc, quod vniri debeant, modo vbi fuerint vnita exiccentur. Ad tertium de dosi dico, vt colligere possumus ex Galeno, mentem Lamponis fuisse, vt creberrimo, & frequenti vsu sui medicamenti paulatim siccarentur humores viscerum, ea propter optimum duxisse, vt creberrime acciperetur, & in pauca quantitate, Mesues autem, & alij, qui hu-

iusmodi pilulis alephanginis vtuntur per interualla, & qui potius aceruatim, quam paulatim exiccare optant, non est mirum si in maiori quantitate exhibuerunt. Hic itaque sit finis examinis compositionis pilularum, quia quae dixi de vno exemplo, idem quoque obseruandum erit in cunctis.

De confectionibus, seu electarijs tum lenientibus tum purgantibus. Cap. 11.



Equũtur ordine nostro cõfectiones, seu electuaria vocata, quorũ si meministis, diximus quatuor esse genera, lenitiuas, solutiuas, opiatas, & aromaticas. Lenitiuas componendi ratio ferè vna, & eadem est, & quamquam hoc medicamentũ aliter a pharmacopolis paretur, est tamen haec ratio vobis cognoscenda, quia innumeri, & penè loethales committuntur errores, quos vt cognoscatis operaeprecium est. Accipiemus autem vnam cõfectionem lenitiuam vocatam, ex qua licebit colligere rationem componendi alias. Confectio lenitiua, vt habetur apud pharmacopolas, sic describitur. ℞. passularum vnc. ij. capill. veneris recentium, viol. recentium, hordei mundi. anà, manip. j. iuiubarum recentium, sebestem recentium anà num. xx. liquiritiae rasae recentis vnc. s. pulpae prunorum, tamarindorum recentium anà drac. vj. fol. senae, maluarum, polypodij crassi, & recentis anà vnc. ij. mercurialis manip. s. aquae communis lib. vj. facch. albi, pulpae prunorum, tamarindorum, cassiae, facch. viol. anà vnc. vj. misce, & fiat s. a. electuarium. Haec est confectio electuarij lenit. confusa, in qua plerique pharmacopolae hac vtuntur arte, primo multam aquã accipiunt, & ex rebus decoquendis faciunt longum decoctum, in quo deinde macerant cassiam, & thamarindos, post facta expressione addunt saccharum rub. in multa quantitate, deinde ponunt omnia ad ignem, & faciunt ebullire vsque ad consistentiam. In qua arte duos errores committunt, primo, quia decoctum pauca virtute pollet, quoniam fit in maiori aquae quantitate, quam conueniret, deinde cum macerent in decocto thamarindos, & cassiam, faciunt vt haec corpora magis crassescant, atque imbibentia humorem decocti, & ipsa, & decoctum euadunt inefficaciora. Vera autem ars componendi & hoc electuarium, & alia, est, vt semper fiat decoctum breuius, quã fieri potest, ea propter apposui ego dosim aquae librarum vj. quae non est definita, faciendum est autem decoctum

in hac

in hac aquae quantitate vsque ad consumptionem duarum tertiarum, vt scilicet ex lib. vj. aquae remaneant duae. ita efficacissimum euadit decoctum. Facto decocto addendum est saccharum, & bulliendа haec duo vsque ad consistentiam, deinde addendum est saccharum optimum, & omnia miscenda, vt acquirant debitam formam electuarij: qua acquisita, non est amplius bulliendum medicamentum, sed addendum est saccharum viol. flores cassiae, pulpa thamar. & in fine pro qualibet libra medicamenti addendae sunt drac. xj. fol. senae puluerizatorum. Sed dicetis, cur non vis, vt faciunt pharmacopolae, vt bulliant cum alijs cassia, & thamarindi? quia haec corpora non sustinent coctionem, facile enim ex quacunque ebullitione expirant, & dissipatur eorum facultas. Secundum igitur hanc artem poteritis mandare, vt omnia electuaria lenitiua fiat, & apud pharmacopolas, & vsu postulante a vobis ipsis componi possunt. non dissimili ratione componuntur etiam confectiones solutiuae, verumtamen, quia & in ipsis sunt nonnulla peculiaria obseruanda, vt exerceam vos in his, proponam confectionem celeberrimam, quae a pharmacopolis confectio hamech dicitur. Sic appellatur ab inuentore, & compositore, qui apud Arabes Hamech vocatur, eius descriptio apud Mesuem est haec. ℞. myrob. citrini. vnc. iiij. chebulorum, indorum, rhab. anà vnc. ij. agarici colocynth. polypodij anà drac. xviij. absinth. thymi, senae anà vnc. j. viol. drac. xv. epithymi vnc. ij. anisorum, rosarum, foenic. anà drac. vj. succi fumiterrae praeparati lib. j. prunorum num. 60. passularum vnc. vj. seri q. s. pro infusione. floris cassiae vnc. iiij. pulpae thamar. vnc. v. mannae vnc. ij. diagridij vnc. j. s. sacch. albi. lib. j. s. myrob. citrin. chebul. indorū anà vnc. s. bellicorum, emblicorum, rhab. sem. fumiterrae anà drac. iij. anisorum, spicae, anà drac. ij. misce, & fiat electuarium. s. a. Veteres haec medicamenta confuse scripta nobis reliquerunt, eo quia cum tradidissent artem componendi, & fere omnia relinquerent iudicio peritorum pharmacopolarum, non curarunt deinde distincte omnia tradere, vnde fit, vt pharmacopolae nostri cum non intelligant artem vniuersalem, facile committunt plurimos errores, & si vllibi committunt, in hac celeberrima confectione committunt. quapropter diligēter est vobis cognoscenda ratio componendi ipsam primo itaque ex rebus. descriptis facienda est infusio, & corpora solidiora, quae opus habent longiori maceratione primo infundenda sunt, in ea quantitate seri, sub qua possunt mergi. Defennius in suo depurgant. med. lib. vult accipiendas esse lib. xx. seri, sed longe errat hic vir, quia si medicamenta praescripta infundantur in hac quantitate seri, proculdubio omnia natabunt, & fiet infusio inutilis, imo propter magnam quantitatem seri non

non poterit conseruari. praeterea descriptio dicit, q.s. ideo accipiẽda est ea quantitas qua possint demergi, & tegi medicamenta, debet autem vas, vbi omnia haec infunduntur, esse stricti orificij, erãt autem, quae infunduntur, primo myrobal. polypodium, & passulae. tertio die postquam erunt praedicta omnia infusa, erunt addenda infusioni sena, absinth. anisum, foeniculum, cum succo fumiterrae, & si forte fortuna seri quantitas praeinfusa non sit sufficiens ad omnia tegenda, addenda est portio seri tanta, vt possit sufficere ad tegendum, quinta die addenda sunt rosae, violae, epithymus, & deinde sunt bullienda, atque vbi facta fuerit decoctio, sunt omnia exprimenda, & quia rhab. agaricus, & colocynthis, sunt infundenda, non debent infundi cum alijs, vt pharmacopolae faciũt, sed debent haec omnia separatim infundi secundum artem, quam vos docui. Postquam igitur facta fuerit infusio, decoctio, & expressio aliarum partium, addendum est saccharum, & omnia sunt coquenda vsque ad consistentiam, quo facto addenda est pulpa cassiae, thamarind. & manna dissoluta cum infusione rhab. tum accipienda est infusio rhab. agarici, & colocynth. & diligenter exprimenda, & vbi expressa fuerit, cum alijs miscẽda est ad ignem, postquam perfecta fuerit haec mistio, permittendum est, vt refrigescat, & vbi parum refriguerit, addenda sunt aromata s. a. pulverizata, & in fine apponendum est diagridium. Haec est vera ratio componendi confectiones solutiuas, vt possint in his propriae, & solidae facultates conseruari, & si experiemini drac. j. huius confectionis, atque comparetis illius operationem cum confectione pharmacopolarum aliorum, videbitis multo efficaciorem esse. Sed circa hanc confectionem sunt quinque nobis aduertenda, quae deseruient omnibus alijs. Vnum est, apud me valde suspectam esse scripturam Mesues, vbi tradit infusionem conficiendam esse quinque diebus, dum enim considero spacium huius temporis, & simul naturam ipsius seri, vix possum induci quin timeam corrumpi serum: quare praestaret mea sententia infusionem facere duntaxat trium dierum spacio. Quod dico de confectione hamech, idem & de omnibus alijs dictum puta tote. Secundum considerandum est, huiusmodi confectionem componendam tantum esse vere, & autumno, nam si componeretur aestate, proculdubio infusio corrumperetur, quoniam vt nostis serum sub aestu facile contrahit acorem, & vbi infusio acida est, in causa est, vt etiam ceterorum medicamentorũ facultates corrumpantur. Hyeme quoque non est componenda, quia necessarium est, vt serum sit caprinum, nempe quod minus est corruptioni obnoxium, hyeme caprinum serum haberi nõ potest: vnde si vellent vestri pharmacopolae lucro dediti componere hyeme non

me non patiamini, quia non possunt eam facere, vt deberent. Tertium est aduertendum. Fuchsium, & Brasau. in ea fuisse opinione, vt accipiendum sit non diagridium, sed scammonium. i. scammonium non praeparatum. Sed vt credo, adducebantur isti hac ratione, quia cum scammonium sit coquendum, si fuerit praeparatum recoquitur, recoctum multum virium amittit: verum horum pace mihi videtur multo consultius esse, si accipiatur scammonium praeparatum, & non coquatur, sed in fine compositionis apponatur, vt consului, nam vbi coquitur sine praeparatione, non praeparatur, quoniam ratio praeparandi est, vt in cytoneo coquatur, & a cytoneo acquirit facultatem adstrictoriam, merito cuius omne pene venenum amittit, quare vt dixi, melius est accipere praeparatum, & deinde amplius non coquere. Quartum considerandum est, etiam in compositione huius confectionis errasse Brasauolam, qui vult mannam, cassiam, & thamarindos esse bulliendos, eo quod dum bulliunt haec medicamenta, inquit, non amittitur ipsorum facultas, sed, vt mox docui, res secus est, quia manna, & cassia dum coquuntur quantumuis parum bulliant, amittunt semper aliquid virium, praeterquam, quod fiunt gustui ingratiora, & consequenter reddunt medicamentum valde ingratum. Quintum obseruandum est, circa serum. solet enim plerisque modis serum a caseo separari, gutture gallinae puluerizato, puluere cardui, succo ficus: separatur coagulo, separatur aceto, sed modus accommodatissimus est, vt separetur solum coagulo, & si opus sit, addatur vel modicum mellis, vel oxymellis, ne scilicet acescat. Atque hic est modus, & ratio secundum quam poteritis componere omnes cōfectiones solutiuas: quia nullae sunt ferè confectiones, in quibus non ingrediatur aliquod ex praedictis medicamentis.

De opiatis. *Cap. 12.*



Sequuntur confectiones opiatae sic vocatae, quod opium ipsas ingrediatur ita copiose, vt soporem inducat. Inter has praecipua est, philonium vocatum, sic dictum ab inuentore, qui Philon Tarsensis fuit. & vt hoc obiter sciatis, vt refert Srrabo lib. 14. in Tarso viri fuere, & in philosophia, & omni disciplina encyclica percelebres, ita vt Athenienses, & Alexandrinos superarint, immo refert, Romae suo tempore fuisse viros Tarsenses literis maxime excellentes: inter quos fuit Philon arte medica excellentissimus, qui vt memoriae mandauit Plutar. multa me-

dicamenta reliquit, quae manus Dei appellabantur, & inter illa vnum fuit Philonium, cuius descriptionem celebratam habetis apud Galenum 9. de med. local. cap.4. quae est huiusmodi. ℞. croci drac. v. Pyrethri, euphorbij, spicae nardi anà drac. j. piperis albi hyosciami, anà drac. xx. opij drac. x. mellis opt. despumati q. s. misce. Haec est descriptio medicamenti Philonij vocati apud Galenũ in quo medicamento componendi, vt & in omnibus alijs, tres fuere scopi medicorum, vt docet Galenus. Primus vt ijs medicamentis sensus stupefierent, & dolores consopirentur, alter, vt affectio a qua dolor originem ducit per haec medicamenta tollatur, & quia medicamenta, quae sensus stupefaciunt, consueuerunt semper aliquam noxam in corporibus relinquere, tertium scopum habuerũt, vt per haec medicamenta haec noxa omnino aboleretur. His itaque tribus scopis permotus Philon & alij medici, in componendis his medicamentis non solum stupefacientia adhibuerunt, verumetiam stupefacientibus commiscuerunt aromata, ac alia medicamẽta concoquentia, calefacientia, & exciccantia, quos antiquos vos etiam sectantes poteritis, vsu postulante, secundum illorum praecepta haec medicamenta componere. Ceterum compositionis ratio haec est, vt mel prius optimum accipiatur, deinde albificetur secundum artem vobis superius indicatam, & post coquatur vsque ad consistentiam, deinde auferatur ab igne, & alia medicamenta subtilissime pulverizata melli misceantur, atque ita medicamentum cõficitur, & conseruatur. Quantitas mellis a Galeno non est definita, verumtamen haec debet esse in omnibus ars, vt vna pars medicamentorum accipiatur, & tres partes mellis, ita vt si in hac Philonis compositione supputentur a vobis medicamenta, videbitis quantitatẽ mellis debere esse duarum librarum. Est notandum vnum maxime vtile in Philonio descripto a Galeno, in qualibet drachma medicamenti duo opij grana ingredi, in Philonio Romano, quod communiter habetur in vsu, pro qualibet drachma ingrediuntur circiter quinque grana opij, vnde quando vobis erit exhibendũ Philonium Rom. debetis semper in minori dosi exhibere, quã Galeni. E.g. dabitis Philonij Galeni drac. j. Philonij Rom. drac. s. Hac arte ducti vos poteritis etiã postulante vsu intelligere, qua quantitate opij sit vobis vtentendũ in conficiendis medicamẽtis stupefacientibus. Haec est ars componendi confectiones proprie opiatas vocatas, dico proprie, quia theriaca, & mytridatica confectio, atque alia huiusmodi, tametsi capiant opium, verumtamen proprius eorum effectus non est stupefacere, & ideo non debent vocari opiata.

De

De confectionibus aromaticis. Cap. 13.



Aud multum dissimili modo componuntur confectiones aromaticae, quarum vsus est corroborare membra, & malas intemperies tollere. Inter alias vsitatissima est, Aromaticum rosatum appellatum, quod Mesues adscribit cuidam Gabrieli, eius autem descriptio haec est ℞. rosarum rub. drac. v. glycyrrhizae rasae drac. vj. ligni aloes, sandali, citrini anà drac. iij. cinamomi drac. v. macis, gariophill. ana drac. ij. s. gummi arabici, tragacāthae anà drac. ij. & scrup. ij. nucis muscatae, cardamomi galangae anà drac. j. spicae nardi drac. ij. ambrae scrup. ij. musci, scrup. j. syr. rosaceo. syr. de corticibus citri, anà q. s. misce, & fiat confectio. Modus conficiendi aromat. rosatum, & alias confectiones aromaticas, vnus, & idem est, vt scilicet omnia aromata separatim terantur, sed non subtilissime uerum crassiusculo modo: deinde cum syrupo vtroque supradicto confarcienda simul, vt supradixi de alijs. quantitas autem syrupi eadem debet esse, quam dixi ante de melle, scilicet vt sint tres partes syruporum, & vna aromatum. Sunt hoc in loco quatuor animaduertenda, vnum est, has confectiones aromaticas posse fieri cum melle, & cum saccharo, verumtamen, quae fiunt cum melle semper sunt efficaciores, sunt sanè, quae fiunt cum saccharo iucundiores, sed magis in ipsis desideratur efficacia. ea propter, quando vobis erit in vsu habendum, vel diatrion piper. vel diaspolit. ex descriptione Galeni 4. de tuenda val. hortor, vt potius cum melle, quam cum saccharo vtamini, si vultis, vt efficacius operentur. Alterum est obseruandum, pharmacopolas, quando faciunt has cōfectiones cum saccharo, errare, quoniam pro qualibet vncia sacchari apponunt semidrachmam aromatum, cum potius deberent drac. j. pro qualibet vncia apponere. Tertium est, apud pharmacopolas conseruari multorum huiusmodi medicamentorum species, & praesertim aromatici ros. quae species sunt duum generum, aliae dicuntur completae aliae incompletae, completae sunt in quibus est muscus, & ambra; incompletae vero, in quibus, neque muscus, neque ambra, inest. Vnum debetis circa species, quae conseruantur apud pharmacopolas, intelligere, scilicet post sextū mensem has species fieri inutiles. qua propter debebitis semper aromatarijs vestris praecipere, vt parent semper exiguam copiam harum specierum, & vt eas semper remoueāt post sextum mensem, alioqui continget saepe vobis frustrari fine, quem optatis. Quartum, & vltimum obseruandum est, confectiones aromaticas,

quae fiunt solidae in aestate, leuius esse coquendas, vt sint gratiores, hyeme autem fortius, vt scilicet conseruari possint: Contra autem faciendum est in syrupis, & eclegmatibus, quae debent aestate melius coqui, ne scilicet acescant, nam facile corpora, quae ingrediuntur haec medicamenta, acescũt sub magnis caloribus. Dubitabit aliquis vestrum, cur Galenus 6. de tuenda val. in fine, in componendo suo illo diacytoneo, vult mel, & acetum simul bullire, deinde addi Zingiber, & piper, & iterum ad bulliendum poni nam hoc videtur esse contra praeceptum, quod alias dedimus, scilicet aromata non esse bullienda? dico, si recte mentẽ Galeni attendamus, ipsum voluisse, vt liquores illi bulliant vsque ad consistentiam, & in fine addantur aromata, neque multum bulliant, sed parum: nam licet aromata inter bulliendum valde euanescant, minime tamen omnium euanescunt piper album, & zingiber, & ratio est, quia haec aromata sunt corpulentiora, & solidiora.

De conseruis. *Cap. 14.*



Onseruarum faciendarum ratio, siue sint ex floribus, siue ex herbis, vna atque eadem est, propterea, quod dicam de conserua rosarũ, idem dictũ putatote de alijs. Conseruam rosarum conficiendi ratio haec est, vt accipiantur rosae electae rubeae, semiapertae, quia si nõdum apertae sint, crudae sunt, cum nondum acquisierint perfectionem, si totae apertae acciperentur, magna portio facultatis exinanita esset, propterea consilium optimum est pharmacopolarum, & medicorum, vt semiapertae accipiantur. Quantitas rosarum debet esse, vt dixi in alijs confectionibus aromaticis, vt scilicet vna pars sit rosarum, & tres sacchari, rosae itaque huiusmodi electae separatim in mundissimo mortario contunduntur, vbi sunt cõtusae, additur saccharum, atque iterum simul, & saccharum, & rosae contunduntur, vbi sunt omnia simul contusa, ponuntur ad lentum ignem, atque ibi calefiunt, ac diligentissime simul miscentur. damnat Fuchsius quantitatem hanc sacchari, eo quod sit nimia, atque ab ea vis florum obruatur, sed male mea sententia Fuchsius hunc communem vsum damnauit, quia non est verum ab hac sacchari quantitate obrui flores, immo si plus adderetur florum, fieret iniucunda confectio, accedit etiam, quod si plus adderetur florũ, cum nõ coquantur, vix in quartum, vel quintum mensem conseruari possent, quare seruanda est haec proportio, quia & iucundiorem confectionem facit, & efficit, vt conseruetur.

De eclegmatis. *Cap. 15.*



Clegmatum componendarum ratio est, vt fiãt secundum formam mediam inter syrupos, & confectiones solidas. vnde vocantur peculiari quodam nomine haec medicamenta a Graecis ἀρτηριακὰ: a nostris autem lohoch. Sed huiusmodi medicamẽta fere hoc tempore in disuetudinem abierunt, & raro conseruantur apud pharmacopolas; ratio est, quia nisi statim in vsum veniant, facillime corrumpuntur, vnde corrupta postmodum non solum nullam praestant vtilitatem, immo saepe contrarios effectus operantur, quam deberent. ratio propter quam facile corrumpantur est, tum quia sunt in forma quadam humidiori, tum quia medicamenta, ex quibus componuntur pleraque, corruptioni valde sunt obnoxia, huiusmodi est butyrum, dactyli, nuclei pini, amyg. dulces, nuces, quae omnia etiam ex se solis, vt nostis, facile corrumpuntur, cum igitur non conseruentur admodum apud pharmacopolas, eo magis ad vos pertinet, haec etiam medicamenta componendi rationem intelligere, quam vt melius assequamini ponam vobis vnum exemplum, & est celeberrimum illud apud Mesuem eclegma, quod appellatum est, lohoch sanum, & expertum, cui⁹ descriptio haec est. ℞. cinamomi, hyssopi, liquiritiae, anà vnc. s. iuiubas num. xxx. passularum, ficuum, dactylorum, anà vnc. ij. foenugreci drac. iij. capillorum ven. mancip. j. anisorũ, foeniculi, ireos calamenti, sem. lini, anà vnc. s. aquae communis lib. iij. fiat decoctio s. a. deinde addantur penidiorum lib. ij. & coquantur ad spissitudinem mellis, tunc adde nucleorum pini mũdatorum drac. v. amygd. dul. mund. succi glycyrrhizae, tragacanthae, gummi arabyci, amyli anà drac. iij. ireos drac. ij. misce. Circa compositionem horum eclegmatum illud ante cetera consideratione dignum est, in facienda decoctione horum medicamentorum, secus agendum esse, quam in alijs, nam cum debeat decoctio viscididatem habere, primo operaeprecium est, vt omnia diutius coquantur, quam in alijs, sic enim per longiorem decoctionem acquiritur maior viscididitas, & crassities. dicebat enim Arist. 4. Metheor. ea quae coquuntur, semper fieri crassiora, igitur vt haec crassities acquiratur, sunt decoquenda magis. praeterea aliae decoctiones adhuc dum calent exprimuntur a pharmacopolis, in his secus est, est enim expectandum vsquequo refriguerit decoctum, & vbi refriguerit, tunc est diligenter exprimendum; facta decoctione viscida, & crassa, additur mel, vel saccharum, vel quid aliud, & curatur, vt bulliant ad consistentiã mellis, tum

lis, tum in mortario ponitur tota haec materia, atque alia medicamenta adduntur, & in ipso mortario diligenter agitantur, & conquassantur, donec tota haec massa viscidıtatem, & crassitiem insignem acquisierit. Hactenus intellexistis, quae sit ars, & ratio componendi ea medicamenta, quae a pharmacopolis pro vsu interno parantur, & conseruantur. Sequitur modo, vt sermonem habeamus de ijs, quae a pharmacopolis, & medicis componuntur pro vsu externo corporis nostri.

De oleis. Cap. 16.



Edicamenta, quae extrinsecus in vsu habentur, alia conseruantur apud pharmacopolas, alia vero non, quae conseruantur sunt olea, vnguenta, & cerata, quae fiunt ex tempore, & non conseruantur, sunt epithemata, emplastra, sacculi, sinapismi dropacismi. Initium sumam ab oleis, eo quod simpliciora sunt, & fere in omnibus ingrediuntur, quae conseruantur. Olea, quae apud pharmacopolas, & medicos habentur, sunt duum generum, alia simplicia, alia composita. Simplicia aut fiunt ex oliuis, aut ex alijs rebus, quae fiunt ex oliuis adhuc duum sunt generum, quorum vnum fit ex oliuis immaturis, & dicitur a Galeno 6. de tuenda val. ὀμοτριβὲς, Latini appellant omphacinũ, aliud autem fit ex oliuis maturis, & vocatur oleum commune; rursum aliud est salitum, aliud salis expers, aliud recens, aliud vetustum. Hae sunt omnes differentiae oleorum, quae in vsu sunt apud pharmacopolas, & medicos. Oleorum simplicium faciendorum ratio raro solet in vsu esse apud pharmacopolas, eo quod facta olea accipiuntur ab alijs, verumtamen hoc etiam cognoscendum est a medicis, nam tametsi Columella, & Plinius abunde nobis tradiderint olea faciendi rationem, verumtamen sunt etiam aliqua, quae in his futuri medici desiderant, eo quod oleum omphacinum, vt habetis apud Atheneũ lib. 2. dypnonosoph. efficitur ex oliuis φαυλίοις vocatis, nam Theophrastus lib. de odoribus, & 6. de hist. planct. 2. manifeste hoc nos docuit, ex oliuis, quae φαυλίαι vocantur, debere fieri oleum omphacinũ, Athenaeus vult etiam fieri ex amygd. atque hoc scribit traditum esse a Theophrasto; verumtamen non reperio apud Theophr. huiusmodi oleum factum ex amygdalis, propterea, vel vitiatus fuit codex Athen. vel fuit eius in hoc peculiaris error. Ceterum quae sint oliuae φαυλίαι, inuenio con-

trouer-

trouersiam, Eustatius in comment. ad Homerum vult oliuas esse, quae sunt minimae. Plinius vero lib. 15. cap. 3. plane sententiam contrariam habet vbi scribit, oliuas φαυλίας omnium esse maximas, atque maiorinas vocatas, quasi velit Plinius icirco esse φαυλίας vocatas, eo quod sint prauae ad oleum conficiendum: fuit enim sententia Plinij, & Columellae, oliuas grandiores accommodatas esse ad edendum, inutiles ad oleum fafaciendum. sed sum alterius sententiae ab istis, scilicet oliuas φαυλίας neutras esse, neque maximas, neque minimas, nam haec vox apud Graecos, φαῦλος, significat id, quod prauum est in eo genere, sic & in genere oliuarum, quapropter dico etiam ego in genere oliuarum eas dici φαυλίας, quae sunt prauae, quomodo autẽ sunt prauae? vbi maturescunt oliuae, semper inter eas, quae sunt maturae, reperiuntur aliquae, quae non sunt maturitatem assecutae, has puto esse φαυλίας & ex his conficiendum esse oleum omphacinum, adducor ad hoc existimandum grauissima ratione: si enim faciendum esset oleum ex oliuis immaturis, qualescunq; sint, vt hodie faciũt pharmacopolae, proculdubio illud non esset oleum perfectum, quia oliuae dum crudae sunt, dum non sunt maturitatem adeptae, habent potius succum, quam oleum, quapropter ex ijs potius extrahitur succus, quam verum oleum. caeterum oliuae, quae non potuerunt maturescere, adeptae sunt propriam perfectionem, & propterea ex ipsis potest fieri oleum, & illud oleum vere omphacinum dicitur. & notate, sum ego huius sententiae, omphaciũ apud veteres non fuisse factum ex qualibet vua, sed ex eo genere, quod communiter appellatur agrestum, quod numquàm maturescit: habet suam perfectionem ille succus, quando est acerbus, igitur in oleo omphacino faciendo oliuae φαυλίαι sunt eligẽdae, vt ego vos docui. Caeterum oleum commune faciendum est ex oliuis maturis, sed hac in re illud maximae est obseruandum, quod monuit nos Plinius; vbi faciendum est, oleum pro vsu medicamentorum, non esse faciendum ex oliuis nigrescentibus, & sponte decidentibus, sed ex oliuis quidem maturis, & decerptis, quia vbi oliuae sponte decidunt, flaccidae sunt, & oleum illud nõ est oleosum, quia ille succus non est oleosus, quasi sint tunc temporis illae oliuae semi corruptae. Salitum oleum fit ex oleo cõmuni, vel omphacino electo, & sale: accipiuntur quatuor, vel quinque partes olei, & vna salis triti, & simul in duplici vase ponuntur ad ignem vsquequo sal liquescat, & commisceatur oleo, atque istud oleum, salitum vocatur, quod maxime commendatur a Paulo in podagricis, vt suo loco videbitis. Haec sunt olea medicorum ex oliuis. Olea vero, quae fiunt ex alijs rebus, sunt, quae fiunt ex amygd. dulcibus, &

amaris

amaris, ex ſemine lini, ex ſemine canabis, iuſquiami, ſinapis, atq; ex alijs multis huiuſmodi, quae enumerare ſuperſedeo. Inter haec olea poteſtis etiam enumerare omnia, quae fiunt per elembicum, quae ſunt innumera. Ratio faciendi olea ex alijs rebus eſt haec, vt videatur an corpora ſint arida, ex quibus cõponendum eſt oleũ, an vero humida, ſi arida, primo teruntur, deinde madefiunt cum aqua vitae, vel aceto lambicato, poſtmodum inuoluuntur panno lineo mundo, atque ſub praelo ponuntur & exprimũtur, quod expreſſum eſt colatur, atque conſeruatur. ſi corpora ſint ſubhumida, vt amygd. & nuces, non eſt neceſſe macerare, ſed teruntur, & panneo lineo tecta ſub praelo ponuntur, exprimuntur, & colantur expreſſa. Haec eſt ratio faciendi olea ex ijs rebus, quae non ſunt admodum dura. In his oleis faciendis eſt illud notandum, aliqua eſſe, quae conſeruantur, aliqua, non, vt oleum amygd. dulciũ, & amararum. cito ranceſcit, ea propter haec olea ſunt paranda, quãdo ſunt in vſu habenda, non autem conſeruanda; haec eſt ratio, qua Theophr. mandabat, olea odorata eſſe componenda ex oleo facto ex glãde Aegyptia, vel Syriaca quoniã huiuſmodi oleum ſeruatur magis, quam oleum amygd. Olea compoſita ſunt ea, quae apud veteres medicos myrrha, ſeu vnguenta ſunt appellata, cuius rei explicuit rationem Athen. lib. 15. dypnoſoph. vbi ſcribit, huiuſmodi olea compoſita in Aegypto inuenta fuiſſe, & quia potiſſimum ex myrrha, & cum myrrha componebantur, ea propter myrrha ſunt appellata. Vſus horum oleorum, vt ego inuenio apud ſcriptores, duplex fuit, vel ad odores conciliandos, vel ad auxiliandum corporibus valetudinarijs. iterum, vt ego inuenio, vſus horum oleorum, & vnguentorum fuit apud veteres, tam intrinſecus, quam extrinſecus, nam clariſſimum eſt, ex Plinio, Theophr. Plutarcho, & Athen. veteres conſueuiſſe huiuſmodi vnguenta cibis, & potibus miſcere, quamquàm Theophr. dicat, cibos ingratos eſſe quibus miſcentur haec vnguenta: Similiter etiam inuenietis apud Medicos, Aetiũ, & Ariſteũ, huiuſmodi vnguenta pro auxilijs, in potu vſurpata fuiſſe, olea vero pro odoribus conciliandis duntaxat excogitata. Videntur haec potius ad vnguentarios ſpectare, quam ad medicos, verumtamen quoniam dicebat Galenus, artem coſmoticam, & ornatoriam pertinere etiam ad medicos, & medici ipſi coguntur, vel ob iucunditatem, vel ob auxilia gratificari aegris, ea propter haec non ſunt vobis ignoranda. Fiunt haec omnia olea compoſita, vt docet Theophr. lib. de odor. & Paulus. lib. 7. vel ex floribus, vt roſ. viol. liliaceum, vel ex folijs, vt myrthaeum, & anethinum, vel ex folijs, vt irinum, nardinum, vel ex ligno, vt palmeum, vel ex fructibus, vt melinum, myrthinum, laurinum, vel ex lachryma, vt ſta-

ćte,

cte, vel ex pluribus aromatibus, vt aegyptiam, secundum Theophr. quia apud Hipp. vt testatur Galenus in explicatione linguarũ vnguentum aegyptium alio modo fiebat. In componẽdis his oleis illud primo est obseruandum, vt oleum eligatur purum atque optimum. & vt possit esse, & colore, & qualitate, & sapore accommodatum, semper erit oleum lauandum. Modus lauandi oleum legitimus hic est, accipitur phiala magna vitrea, quae vocatur boccia, quae collum habeat longum vno brachio & cõtineat lib.vj.vel viij. liquoris. In hac phiala ponuntur duae partes aquae feruẽtis, & vna olei, deinde conquassantur omnia diligentissime, vsquequo optime misceatur oleum cum aqua, & tota illa materia candida fiat: liquor albefactus tollitur e phiala, & ponitur in catino sub sole, atque ibi detinetur vsquequo separetur oleum ab aqua, & vbi separatum est, colligitur magno cochleari, & in vase conseruatur, atque hoc appellatur oleum lotum. Et hic est verus modus lauandi oleum. Vbi lotum est oleum, sic faciẽdum est compositum. accipitur vnc.j.olei, & drac.j.medicamentorũ, ita vt seruetur haec proportio vnc.j. olei, & drac.j.medicamẽtorum, verum est, quod interdum augetur dosis medicamentorum vsque ad drac.ij.vel iij.prout scilicet, vel medicamenta minus sunt efficacia, vel prout magis cupimus efficax facere oleum. Componendi modus triplex solet esse, vel per maceratione vel per insolationem, vel per decoctionem: Fit per macerationem, quando flores, vel aromata in oleo ad macerandum detinentur, & hic modus inutilissimus est, quia oleum nisi aliquod aliud artificiũ addatur, non potest extrahere multum virtutis. Per insolationem est modus multo vtilior, & hic seruatur, quãdo olea facere volumus ex floribus, nam flores cum facile ab igne consumantur, & odores ipsorum euanescant, fugimus ignem, & sub sole componimus oleũ; ratio seruãda in insolatione docetur a Paulo lib.7. vbi scribit, nonnulla esse, quae exigunt diuturniorẽ insolationem, nimirum, quae debent fieri efficaciora, & tenuiora, vt est ol.camom. & rosatum, nonnulla vero, quae exigunt minorem insolationem; vt liliaceum, & violaceum, fit autem insolatio, quando accipiuntur flores, & in oleo demersi exponuntur soli, sub quo tamdiu detinentur, donec fiat oleum odoratum. Tertius modus est, per coctionem, & hic est, omnium vtilissimus quoniam per coctionem facile ab oleo recipiuntur medicamentorum vires. & circa coctionem quatuor, vel quinque sunt diligenter obseruanda, vnum, quod in primis monet Paulus, scilicet flores numquàm esse decoquendos, sed radices solum, & gummata: dicebat enim Theoph. in lib.de odoribus, flores, vt emittunt longe odorem non opus esse, vt terantur, quoniam facultatem odoriferam gerunt in superficie, radices vero, & alia

corpora si debent longe odorem mittere, necessario esse terenda, eo quia facultatem odoriferam gerũt in intimis partibus, a quibus nisi extrahatur per attritionem, nullo modo odores propagãtur, ex qua Theophr. sententia elicitur ratio, propter quam flores non sunt coquendi. Secundum animaduertendum, quod monuerunt Theophr. & Galenus, huiusmodi oleorum cõpositiones faciendas esse semper in duplici vase, eo quod a calore blando humidum non cõsumitur, neq; oleum, neq; facultas medicamentorum, sicuti consumitur a calore sicco igneo. Tertium est, non omnia, vt monuit Paulus, eodem modo esse decoquẽda, sed alia vnam solum decoctionem ferre, alia vero pluribus indigere. Quartum est, quod vbi olea sunt componẽda ex varijs rebus, semper primo coquenda sunt ea, quae contumaciora sunt, vt est aspalatus, spathe, arbor thuris, laurus, secũdo loco aromata, vt folium, spica nardi, ammoniacum, postremo coquẽdi sunt succi, & adipes: vt seruetur haec ratio in coquendo, scilicet primo ponantur ad bulliendũ contumaciora, secundo loco aromata, vltimo pinguedines, & succi. Quintum obseruandum est, in compositione oleorum per decoctionem, plerunq; addi liquorem aliquem, vt vinum, acetum, aquam vitae, aut succum aliquem, coctio faciẽda est, donec ille liquor totus sit consumptus, & ratio propter quã adduntur huiusmodi liquores est, quia nisi addãtur, per decoctionem solet consumi oleum, nõ consumitur autem vbi aliquis huiusmodi liquor sit admixtus, nisi prius liquor sit consumptus; ignis enim primo depopulatur humidum tenuius, antequam humidum crassius, & viscidius. Oleum rosatũ, qđ paratur apud pharmacopolas, duorũ generum est, alterũ simplex vocatum, alterum completũ, simplicis faciendi ratio est haec. Oleum accipitur lotum, vt dixi, & rosae recẽtes contusae in ipso reponuntur, deinde vas obturatur, atq; ita sub sole ponitur per aestatem integram, mox percolatur, & cõseruatur. hoc oleum appellat C. Celsus fere semper rosatũ. Completum autẽ hoc pacto efficitur, macerantur rosae per tres dies, vt dixi, in oleo, post tertium diem ponitur oleum ad bulliendum per sex horas, deinde colatur, & exprimitur: iterum ponuntur aliae rosae recentes, quae similiter macerantur, coquuntur, & exprimuntur, sicq; fit tribus vicibus & vbi factum est, ponitur ad conseruandum, atque ita oleum ros. completum vocatur. Sed illud scire debetis: quamquàm sit haec regula, & ratio data nobis a Mesue, verumtamen nostri pharmacopolae minime eam seruant, contenti semel tantum macerari, & bullire oleum, sed errant; immo sum huius sententiae ex praecepto Mesues, quam plurima olea sic esse facienda, vt ros. completum, vt oleum viol. chamom. anethinum, de absinthio, menthae, rutae, oleum cheirinum, liliaceum, sambucinum, hypericonis, myrthinũ,

cyto-

cytoneorum, nenupharinũ, haec omnia olea, quae sunt in frequentissimo vsu apud medicos, & pharmacopolas, existimo ego ea ratione facienda esse, quam de oleo completo rosato mõstraui. exemplũ autem eorum oleorum, quae componuntur cum vino, erit olei mastichini compositio, quae in hunc modum se habet. ℞. mastichis electi vnc. ix. olei ros. cõpleti lib. iij. vini aromatici vnc. viij. bulliãt omnia in duplici vase vsque ad cõsumptionem vini, sed notare debetis haec omnia olea, & praesertim, quae fiunt ex aromatibus odoratis, & similibus medicamentis, non debere fieri ex oleo simplici, sed vel ex oleo amygd. dul. aut amararũ, vel sesamino, vel ex oleo de glande vnguẽtaria vulgo de ben vocato. ratio huius accipitur ex Theophr. ex lib. de vnguentis, scilicet quia haec olea magis recipiũt facultates aromatum, & odorum, quam alia, accedit etiam, quia vbi oleum simplex coquitur, rancescit facilius. Aliud etiã adnotare debetis, saepe his oleis addi ceram, vt habetis apud Galenum 6. de tuen. val. 14. & additur cera, quando optamus olea magis permanere, tradit enim cera permanentiam quandam oleis, & vbi addẽda est, cera solummodo addi debet, quo tpe in vsu olea habere vultis.

De vnguentis. Cap. 17.



SEquuntur ordine vnguenta communiter apud medicos, & pharmacopolas vocata, dico communiter, quia veteres Graeci, quae nos appellamus vnguenta, ipsi vocare consueuerant cerata, eo quod componantur ex oleis, pinguedinibus, & cera. In his faciendis est nõ parua diligentia adhibenda, tum circa oleum, tum circa pinguedines, tum circa ceram: Circa oleũ, quod ingreditur vnguentum, sunt ea omnia seruãda, quae vos docui in hesterna lectione, scilicet, vt semper quando vultis fieri vnguenta, curetis diligentissime olea lauari, siue vultis oleum omphacinum, siue quodcunq; aliud. Similiter circa pinguedines illud quoq; est obseruandum, vt & ipsae antequam misceantur reliquis medicamentis, diligentissime lauentur. Plerique pharmacopolae consueuerunt pinguedines lauare aqua frigida, sed hoc institutum nequaquã possum commendare, & ratio est, quia sicuti videtis pinguedines facile concrescere sub aere frigido, sic ab aqua gelida quodammodo congelantur, quapropter multo melius est pinguedines aqua calida abluere; experientia enim quotidiana comprobatum est, quaecunq; lauantur aqua calida multo magis emundari, & nitidiora fieri, quã quae aqua gelida. Amplius est obseruandum in faciendis his vn-

guentis, ceram non esse per se eliquādam, quoniam multum illi detrahitur ab igne, sed eliquari semper debet cum oleo, debet vero poni in duplici vase, quia illud est communissimum praeceptū, omnia olea, & vnguenta, vt docuit Galenus plerisq; in locis; bullienda esse in duplici vase, quod si, vel succus, vel aliquis alius liquor apponendus sit in conficiendo vnguento, curandum est, vt bulliat donec totus ille liquor sit cōsumptus, & ratio est, quia si remaneret aliqua vel minima portio illius liquoris, numquàm concresceret, neq; vmquam fieri posset optima vnguenti forma. Dabo autem vobis duo exempla vnguentorum, vt ex ipsis vsu postulante alia quoque vos ipsi conficere possitis, & primum erit vnguentum stomacale vocatū quod familiarissimum est, & pharmacopolis, & medicis. Est autem huiusmodi. ℞. olei mastichini, olei nardini, olei de absynthio, anà vnc. vj. olei ros. completi, olei de mentha, anà vnc. iij. mastichis, gariophyl. maceris, calami arom. menthae, rosarum, anà vnc. ij. s. cinamomi, ligni aloes, anà drac. j. cerae albae, vnc. vj. fiat vnguētum. s. a. si supputetis in hac ordinatione omnia diligēter, videbitis portionem cerae ad alia esse quartam partem, & hoc est fere vsitatissimum in componendis vnguentis, vt quarta pars cerae ad olea semper ponatur, paulo plus, vel minus, portio vero medicamētorum ad cerā, & oleum simul, est, xvi. pars. vnde quādo vobis placuerit huiusmodi vnguentum pro stomacho ordinare, quod plerunque vobis continget, si & vos hāc proportionem seruetis, & optime facietis, & alij cognoscent vos esse medicos rationales. Aliud vnguentum est pectorale vocatum, quod etiam solet esse valde familiare: dabo ipsius exemplum, vt cognoscatis quomodo sint componenda vnguenta in quibus ingrediuntur pinguedines. ℞. olei amygd. recentis, olei viol. olei liliorum, anà vnc. vj. butiri loti s. a. pinguedinis gallinae, pinguedinis anatis similiter lotae, anà vnc. ij. medullae vitulinae recentis vnc. j. croci, drac. ij. cerae albae vnc. vj. misce fiat vnguentū. In componendo huiusmodi vnguento primo sunt abluendae pinguedines, & butyrum separatim, modo separatim cera, & oleū sunt eliquanda in duplici vase, post pinguedines, & butyrum sūt ad ignem simul miscenda cum cera, & oleo. Vbi erunt omnia probe mixta, tolluntur ab igne, & permittuntur refrigescere, & vbi refriguerint admiscetur crocus, atque sic factum est vnguentum pectorale: poteritis vos etiam omnia alia vnguenta componere, vel mādare, vt componantur.

De Ceratis. Cap. 18.



Erata communiter vocata, vt habetis apud Galenũ 7.de compos.13.med.per genera, v.à Graecis scriptoribus vocata sunt emplastra, & malagmata, apud Paulum lib.7.cap.20. appellãtur κυράκοπα nostrates medici, & pharmacopolae vocãt, vt dixi, cerata, in his enim praeter pinguedines olea, & cerã, & alia medicamenta, additur etiam resina, & ratio est, quia cum haec medicamenta sint excogitata, vt diutius, & tenaciter partibus adhaereant, resina illud praestat, vt possint tenaciter adhaerere, & hoc est, quod dicebat Galenus primo de med. per genera, cap.12. addi emplastris ceram, & resinam, vt simul & tenacia euadant, & lenia. Sed quia multa sunt resinarum genera, mãdat Galenus non quoduis genus eligendum esse, sed omnium accommodatissimam esse resinam terebinthinam, aut laricinam, quia huiusmodi resinae sua suauitate, & lenitate substantiae reddunt cerata vtiliora, & minus ingrata. Ars componendi cerata accipitur a Galeno 5. de med.per genera.c.2.& 2.cap. 12. Galenus his in locis describit nobis ceratum sacrum appellatum, quod testatur acceptum fuisse ex templo Vulcani in Memphi, nam hoc templum, vt testatur Herodotus in Thalia, erat templum praeclarissimum, & consuetudo fuit antiquorum, quando medicina nondum erat exacta, vt remedia generosa probata describerentur in templis, quo scilicet cõseruaretur perpetua memoria eorum, & vt posset medicina omnibus esse communis. sic etiam habetis apud Plinium lib.20.cap. vlt. theriacam fuisse descriptam in templo Apollinis. hoc itaque ceratum sacrum describit Galenus locis citatis, & in describendo tradit nobis artem componendorum ceratorum. quia vero etiam huiusmodi ceratum hodierna die in frequenti vsu esse solet, dabo vobis descriptionem ex Galeno. ℞. lithargyri loti vnc. xij. sem. orig. rutae, ana dra. viij. squamę aeris p̃paratae, aeruginis p̃paratae gẽtianę anà drac. vj. colophoniae vnc. vj. & drac. ij. mannae thuris vnc. j. s. ammoniaci, vnc. ij. aeris vsti, & loti, aloes, propoleos, diphrygis anà vnc. j. chalbani, vnc. j s. cerae, vnc. iij drac. j. Aristol. dictamini cretici, anà drac. x. olei antiqui loti lib. ij. s. Haec est descriptio cerati sacri apud Galenum, in quo conficiendo illud primo monet Galenus lythargirium coquendum esse in oleo vsquequo non coinquinet manus, hoc est vsquequo consistit, tunc addendam esse squamam aeris, & aeruginem praeparatam: post haec resinam, & ammoniacũ semper eandem cocturam sequendo, vsquequo non coinquinet ma

nus,

nus; post haec addendum est aes vstum, & diphriges, tum cera, subinde propolis, in fine vero adduntur aloe, manna, dictamnum, aristol. & gentiana, quae omnia miscentur, & detinentur ad ignem vsquequo non coinquinent manus, & quia saepe decipiuntur pharmacopolae, qui auferunt ab igne priusquam facta sit consistentia, ideo est notandum, quādo ablatum est, & non probe coctum ceratum, iterum ad ignem ponatur, ratio propter quam Galenus, & alij voluerint hunc ordinem esse seruandum, est ea, quam dixi saepissimae, scilicet, in conficiendis his medicamentis numquàm medicamenta varia esse eodem pacto coquenda, sed quae sunt solidiora diutius coqui debere, quae minus solida, minus, quae subtiliora minime omnium. Fuchsius fuit huius sententiae, non esse necessarium, vt in conficiendis ceratis seruetur vlla proportio cerae, olei, & aliorum, sed omnia esse dimittenda arbitrio pharmacopolae cōponentis, ego vero non possum probare sententiam huius viri, primo, quia si hoc verum esset, sequeretur vnumquemque posse ad libitum suum apponere ceram, & oleum, hoc autem est facere sine arte, nam si liceret vnicuique ponere eam quantitatem, quae sibi placeret, proculdubio nulla appareret ars. Secundo sequeretur, sub quacunque proportione posse cerata eandem praestare facultatē, quia si liceret huic vnam proportionem seruare, & illi alteram, atque nihilominus quisq; recte faceret, sequeretur, sub diuersis proportionibus vnam, & eandem vtilitatem haberi, quod est absurdum, ita quod male agunt, qui ingenio suo hoc componunt, vos autem curabitis, vt semper in componendis ceratis seruetur proportio, erit autem proportio haec, vt pro qualibet vncia resinae, vel cerae, accipiatis semper vnc. s. pulueris medicamētorum, & semper accipiatis minus olei, quam fieri potest, & ratio est, quia in ceratis oleum prohibet consistentiam; vnde si multum olei adderetur, necessariū esset multiplicare resinas, & medicamentum, & vt videatis manifeste rē esse, vt dixi, audiendus est Galenus 2. de med. per genera, qui in emplastris viridibus Archigenis conficiendis monet resinam debere esse ad duplum cerae. E. g. accipiuntur resinae lib. ij. cerae lib. j. olei cyathi duo, idest, vnc. iij. ita vt si supputetis, resinae, & cerae, sint librae iij. olei, vnc. iij. Itaque numquàm debetis transcendere hanc proportionem vnciae vnius olei, ad lib. j. resinae, & cerae. sed & illud animaduertendum venit, harum rerū, quae liquantur, duo esse genera: vnum eorum, quae eliquantur aceto, vino, & aqua, vt sunt gummata omnia, quae vbi sunt eliquanda non infundi debēt in multa copia liquoris, vt faciunt pharmacopolae, sed in ea tantū quantitate, in qua possint vix dissolui, & per setaceum transmitti: alterum genus est eorum, quae solo igne, & sine liquore liquefiunt in

duplici

duplici vasae, vt est cera, oleũ, resina, pinguedines, ppolis, galbanũ.

Circa ceratorum vsum, est, illud postremo notandum saepe vsu venire, vt cerata postquam sunt confecta, sint iterum eliquanda, atque alijs medicamentis miscenda. chirurgi omnes, & pharmacopolae consueuerunt eliquare ad ignem cerata, & permiscere alijs rebus, quod quidem valde a ratione, & a Galeno alienum est, a praecepto Galeni, quia primo de med. per genera mandat, vt semper haec medicamenta dum sunt eliquanda, & permiscenda, id fiat in duplici vase, est quoque contra rationem, quoniam nisi haec medicamenta ita colliquentur, saepe friguntur olea, & pinguedines, & valde deprauãtur, quapropter vbicunque vobis contigerit mandare, vt plurima cerata simul misceantur, semper curate, vt in duplici vase misceantur blando igne.

De emplastris seu cataplasmatis. Cap. 19.



Racter haec medicamenta, quae apud Pharmacopolas conseruantur, sunt quam plurima alia, quae a medicis ex tempore solent cõponi, vt emplastra, epithemata, fomenta, sinapismi, vesicatoria, & dropacismi, quorum omnium componendorum rationem puto vobis vtile futurum esse, vt intelligatis Fuchsius fuit eius opinionis, emplastra, & cataplasmata differre, quia emplastra fiunt ex herbis decoctis, farina, oleo, & pinguedinibus: cataplasmata, ex radicibus herbis decoctis, & contusis: vnde huiusmodi differentiam acceperit, nec ipse docuit, nec ego reperire potui: apud me compertum est, & Galenũ, & alios indifferenter his nominibus esse vsos: quare non est, vt solliciti sitis in distinguendis cataplasmatibus, & emplastris. Ratio componendi est, vt primo fiat decoctum. s. a. scilicet, vt radices primo coquantur, deinde herbae, & vbi factum erit decoctum, addatur farina, quo fiat gluten, post farinam apponatur radices, & herbae contusae, & per cribrum missae, subinde addantur pinguedines, & olea. postremo pulueres, ita vt nunquam pinguedo, vel oleum bulliant cum alijs. Proportio seruanda in componendis huiusmodi emplastris est, vt ad lib. j. decocti addantur vnc. iiij. farinae, vel fermenti, pulue-rum vnc. iij. si qui erunt apponendi, & vnc. iij. vel iiij. pinguedinis. exemplum, si placebit emplastrum componere ad maturandum, ita debebitis conficere. ℞. rad. althaee vnc. iiij. fol maluae, viol. anà manip. j. aquę cõmunis lib. ij. fiat decoctio, deinde ℞. dictae decoctionis lib. j. radicum, & herbarum contusarum, & percribrum transmissa-

rum

rum vnc. ij. farinae tritici vnc. iiij. pinguedinis porcinae vnc. iij. misce & fiat emplastrum, haec est ratio, quã si seruabitis, vt saepe vsu veniet, in componendis emplastris numquàm errabitis, & cognoscent alij vos esse medicos rationales.

De fomentis. *Cap. 20.*



Omenta apud medicos duũ sunt generũ, alia humida, alia sicca, humida nil aliud sunt nisi decocta spongijs, vel vesicis partibus diuersis applicata, nam capiuntur spongiae, & in decoctis varijs imbibuntur, deinde exprimuntur atque ita expressa calida apponuntur parti affectae: sed quia hic modus est momentaneus, vbicunq; optamus fomenta conficere, quae diutius adhaereant parti affectae, accipimus vesicas, & implemus modo oleis, modo varijs decoctis, sicque vesicas parti affectae applicamus. In his faciendis nulla adhibenda est alia ars, quam ea quum decocta faciendi rationem docerem. Fomenta sicca fiunt ex herbis, floribus, lenibus lignis, & aromatibus, contunduntur enim haec omnia crasso modo, & in sacculo, vel lineo, vel sericeo cõsuuntur, atque partibus affectis apponuntur, modo capiti, modo ventriculo, modo lieni, modo alijs. In his componendis nulla fere est necessario seruanda proportio, sed haec omnia permittũtur iudicio medici, quia siue plus, siue minus apponatur harum rerum, parum refert modo id semper in animo habeatur, vt pro ratione affectus, & ratione partis affectae haec, vel illa eligantur medicamenta.

De epithematis. *Cap. 21.*



Vmidis fomentis nõ admodum dissimilia sunt ea medicamentorum genera, quae a Graecis dicta sunt epithemata, si videatis Paulum, Aetium, & Graecos, epithemata vocabant medicamenta in malagmatis formam composita, quae medijs partibus corporis applicabant, perinde ac nos vtimur emplastris, & sum ego huius sententiae, apud medicos nostros nomine epithematum intelligi quicquid superpositum partibus affectis adhaeret, ita vt voce quadam communi possint vnguenta, & cerata dici epithemata, quamquàm, vt dixi, apud Graecos frequentius vsurpantur pro remedijs factis in formam malagmatum. Caeterum nostrates

nostrates medici, & pharmacopolae vocant hodie epithemata decocta quaedam accommodata praesertim cordi, liquida, panno Sericeo, vel lineo conspersa, & adhibita, sic etiam possumus nos aptare epithemata, quae iecori, & ventriculo adhibentur. Proportio, quam seruare debetis in componendis epithematibus, haec est, vt accipiatur decocti, vel liquoris stillatitij lib. j. specierum drac. iij. vel iiij. florum p. j. parum bulliant, atque deinde madefiat pannus lineus in ipsis, & adhibeatur parti affectae: verum illud magno studio adnotare debetis, vbicunque epithemata pro corde facere vultis, semper addendum esse aliquod vehiculum cordi amicum, vt est, vel succus citri, vel limonum, vel acetum. & vt habeatis exemplum vniuscuiusque, si pro corde vultis, faciendum erit huiusmodi. ℞. aquarũ rosa. melissae, acetosae anà vnc. iiij. aceti ros. vnc. j. specierũ cordial. temperatarum drac. iij. misce calefiant blande, & cordi adhibeantur. haud aliter, si componendum erit pro iecore, erit agẽdum. hoc vnum mementote semper, vt vbi iecori, vel ventriculo epithemata componere vultis, addatis aliquid, quod possit haec viscera corroborare: sunt enim haec sua natura laxa, eorum vsus est maxime necessarius toti, quare summa diligentia curandum est, vt seruetur eorum robur. erit exemplum pro iecore istud. ℞. aquarum absynthij, hepaticae, cichorei ana vnc. iiij. specierũ triumsandalon drac. iij. succi limonum vnc. j. succi absinthij vnc. j. s. misce, & fiat epithema. his exemplis, & hac ratione poteritis tuto vobis postulante vsu semper epithemata parare.

De sinapismis. Cap. 22.



QVi versati sunt in legendis optimis auctoribus praesertim antiquis, facile videre possunt sinapismos, & dropacismos, fuisse in frequentissimo vsu apud veteres. Cur tempore nostro desueuerint ignoro, nisi quod res nostrae quotidie in deterius labãtur. Sinapismos vocabant veteres medicamenta in formã emplastri composita, ex sinapi, & caricis, vtebantur autem huiusmodi medicamentis, vbicunque instituerent attrahere ab alijs partibus ad superficiem, & propterea Methodici vocabant metasyncritica, vt est apud Orib. quasi dicamus ex alto trahẽtia: cur vterentur sinapi, & ficubus, non inuenio facile explicatam rationem, nisi quod sinapi habebant veteres inter saluberrima remedia: dicebat enim Pythagoras, vt est apud Plinium, sinapi inter medicamẽta, quae alte penetrant, & attolluntur primatum obtine-

re, adeo vt cum ad attrahendum requiratur facultas medicamentorum, quae alte penetret, & colliquet, proculdubio inter omnia ad hoc praestandum maxime accommodatum est sinapi: caricas autẽ apponebant tanquam materiam, ne scilicet sinapi nimis vreret, & etiam alia ratione, quia quadam natiua facultate attrahunt ad cutẽ tam si intus, quam si extra adhibeantur. Ars componendi sinapismos, vt habetis ex Antyllo apud Oribas. lib. x. coll. cap. 13. & apud Aetium lib. 3. c. 191. erat haec, accipiebant primo caricas, & in aqua tepida pridie macerabant, mox cõtundebant, & in massam redigebant, pariter accipiebant sinapi acre quale est syriacũ, vel aegyptiũ, contundebant ipsum, ac separatim infusum illud caricarum affundebant, & terebant ita diligẽter vt leuigaretur. vbi vsus postulabat, cõmiscebant simul sinapi praeparatum, & caricas praeparatas. Proportio, quam seruabant, vt inuenio, erat triplex, nã quando volebãt mediocriter attrahere, accipiebant partem vnam sinapis, & tantũdem caricarũ, vbi volebant minus trahere, accipiebant partes duas caricarũ, & vnam sinapis, vbi autem attrahere vehementer optabãt partes duas sinapis, & vnam caricarum. Atq; hi erant omnes modi quibus antiqui in curandis affectibus frigidis, & in euocandis ex alto humoribus vtebantur.

De vesicatorijs. Cap. 23.



Aud absimile sinapismis est genus illud remedij, quo interdum nos vtimur, vesicatoriũ dictum, dicitur vesicatorium, quia facultate calida, & pene vrente cutem a carne separat, ac replet cutem, vel flatu, vel aqua. Fit vesicatorium multis modis, interdum ex herbis, & corticibus vrentibus, interdũ vero ex cantharidibus. inuenio Hipp. in lib. de morbis, & in libris de affectib⁹, saepe vsum esse ad vrendũ lino crudo ὠμόλινον sua lingua vocat, verum quid esset istud ὠμόλινον & quomodo fieret, alias docebo vos, res incognita fere omnibus; Inuenio etiam veteres vsos esse grano gnidio, quod mezereon pharmacopolae nostri nuncupant. Vbi faciẽdum est, vesicatorium ex herbis, ut ex flãmula Iouis, ex ranunculo, ex uite alba, & similibus, accipiuntur herbae, & contunduntur, ita ut succus non euanescat, postmodũ ad formam scuti superponuntur partibus uesicandis; omnes autẽ partes consueuerunt uesicari, non solum brachia, & crura, uerumetiam caput, dorsum, coxae, & omnes partes affectae; Frequentior modus apud nos est, qui fit ex pane, uel ex fermento, una cum cantharidibus,


bus,dico fieri ex pane, quia etiam veteres, vt testatur Orib.vbi optabant sinapismum blandiorem,loco caricarũ vtebantur pane.Exẽplo horum poteritis vos, vbi vesicandae erunt partes molliores, & in corporibus,tenerioribus, loco fermẽti,& cerae,vti pane. proportio seruanda a nemine est tradita,quia hoc remediũ nuperrime coepit esse in vsu praesertim in febribus,verum mea est sentẽtia,vt parum deuiaremus a veterum proportione in sinapismis, verum quia remedia nostra,praesertim cantharides, sunt multo vehementiora quam sinapi, existimo non omnino adhibendum esse eã quantitatẽ quam adhibebant sinapis antiqui,quare proportio haec erit, vt ad vnc.j.fermenti,vel caricarum,adhibeamus drac.iiij.vel v. canthari dum,prout scilicet corpus, quod curare debebimus, erit vel magis tenerum, vel minus illud puto magna diligentia esse considerandũ, quod etiam docui in febribus pestiferis,huiusmodi medicamenta non esse indiscriminatim omnibus febribus adhibenda, nam inuenio veteres tantũ vsos esse sinapismis in ijs febribus,in quibus, vel lethargus,vel cataphora, vel propensio in somnum aderat, in alijs febribus magnis fugiebant vsum sinapismi, itaque si nostra vesicatoria sunt vehemẽtiora sinapismis, planè non video cur debeamus ita indiscriminatim vti.laudo vt vtamini in ijs affectibus,vbi caput vehementer afficitur, & praesertim frigidis affectibus,atque tum potius pedibus adhibeatis,quam manibus:quamquàm manibus etiam interdum possumus adhibere, vbi magno impetu materia venenata in cor praecipitatur, sed de his alias fusius egimus, de febribus tractantes.

De Dropacismis. *Cap.* 24.



Ropacismus in vsu tempore Hipp. numquàm fuit,& quamquàm apud Paulum lib.6. c. 107. legatur pharmacum picatum secundũ Hippocratem,erat tamen aliud medicamẽti genus,vt ibi docet Paulus. Dropacismus igitur,vt habetis apud Orib.lib.10.coll.cap.12.medicamentum fuit, quod componebatur modo ex pice sola, modo ex pice, & alijs medicamentis, ca propter appellabant hanc medicationem veteres Picationem, & qui hoc genus medicamẽti administrabant vocabantur picatores, vt docet Paulus.Octauius Horatianus lib.4.suae med.vocauit hanc operationem dropacare.Simplicem dropacismum ita componebãt antiqui,accipiebant picẽ,& modico oleo molliebant:vbi erit emollita, cadentem adhuc partibus apponebant, & vbi refriguerat,ma-

gno impetu auellebant, iterum emolliebant, iterum applicabant, & euellebant, sicque pluribus vicibus agebant, atque haec erat veterũ Picatio. Vtebantur hoc genere remedij propter plures fines, vnum ad rubefacienda corpora, & ad attrahendam materiam antequam apponerent sinapismum, & quãdo ad hunc finem vtebantur dropacismo, prius nouacula pilos auferebant. vtebantur etiã ad pilos euellẽdos, habetis enim apud Galenũ primo de med. loc. cap. 4. aliquos fuisse, qui vel metu nouaculae, vel quia non fidebant sese barbitonsoribus committere, pilos e barba, & alijs partibus auferendos curabant picatione. refert Plinius lib. 14 cap. 20. propter hunc finem olim in magno precio fuisse picem, & refert Suidas interdum apud Lacedemonios lege cautum fuisse, ne pix inferretur in balnea. Erat alius vsus picationis apud veteres, scilicet ad macilẽta corpora pinguefacienda; de hoc vsu habetis Galenum 6. de tuenda val. cap. 8. vbi scribit, nihil esse praestantius ad pinguefacienda corpora, quã picationem. sed optabitis scire qua ratione picatio possit conferre ad pinguefacienda corpora. explicatur ratio a Galeno eo in loco, nam extenuatio corporũ propter duas causas oriri potest, vel quia facultas nutritoria sit imbecilla, vel q. a facultas attractoria, & distributoria sit infirma, nam vt fiat caro opus est, ut ad partes attrahat alimentum, & attractum concoquatur. vbi fit macrefactio propter infirmitatem facultatis distributoriae, tum mirifice conferunt dropacismi, & picationes. Cõpositus dropacismus ita fiebat, vbi volebant medici potius calefacere, quam exiccare. pici addebant pyrethrum, cachri, bitumen: primo enim puluerizabant haec omnia deinde pici eliquatae miscebant: vbi vero magis siccare volebant, addebant sulphur viuum, salem, cinerem sarmentorum; vbi scarificare intendebant, addebant limnesium, & euphorbium. Proportio medicamẽtorum, & picis, non est explicatè tradita a veteribus: verumtamen possumus eam intelligere ex dropace, qui gallus vocabatur, descripto apud Paulum lib. 7. nam si expendatis descriptionẽ illius, inuenietis quatuor esse partes picis, cerae, & aliorum, vnam autem medicamentorum, vos similiter si quandoque componere optabitis, poteritis hac seruata proportione componere.



De tempore componendi vtendiq; medicamentis compositis Cap. 25. & vltimum.



Vperest postremum caput de tempore componendi,& vtendi medicamentis compositis, in quo breuissimus ero, est enim clarissimum,in omnibus actionibus humanis temporis oportunitatem esse maxime necessariam, vt non immerito in proemio suae medicinae tradendae Hipp.posuerit etiam temporis oportunitatem. itaque etiam in componendis medicamentis necessaria est temporis occasio, circa quod sunt nonnullae vniuersales obseruationes. quarum prima est, vt medicamenta magna, & egregia numquàm componantur,nisi in tempore tranquillo,& sereno a vẽtis, & a nebula libero, dicit enim Hipp.lib.de aere, aquis, & locis, tantam esse vim aeris in corpora nostra, vt non solum haec elementorum harmonia, verumetiam & spiritus, & animus non parum mutentur. Altera obseruatio est, vt medicamenta componenda die,& non nocte componantur: idque, duas ob causas,vnam quia nocte non potest ea adhiberi diligentia, quae requiritur: altera,quia aer nocturn⁹ humidus est,caliginosus,prauis vaporibus refertus,a quibus omnibus cõtaminari compositiones necessarium est.sed hoc animaduertere debetis,me non prorsus excludere noctem a compositione medicamentorum,quia vt monet Galenus 7. de med. local. in capite diacodij, vbi dies integra requiritur ad compositionem medicamentorum, semper etiam subintelligenda est nox, ea propter in quibus medicamentis necessariae sunt lõgae macerationes, in ijs etiam necessarium est nocte operari,vbi vero compositio quinque,vel octo horis perfici potest, semper potius die,quam nocte componenda sunt. Tertia obseruatio est, vt componantur medicamenta semper duabus horis ab ortu solis, vel in meridie, hoc enim tempus magis tranquillum est, & aer purior. Astrologi sunt in ea sentẽtia,tam in dandis, quam in componendis medicamentis,esse quorundam astrorum ortus, & aspectus obseruandos,dicunt enim, si Luna existente in Tauro medicamentum componatur,illud vomitorium euadere.sed vt praeclare disputauit Auerr.aduersus Agagenem,nugae sunt,quod in coelo haec sint animalia, & quod haec sydera possint quicquam in corpora nostra: si in componendis pharmacis vllum sydus est spectandum, sola cauenda sunt plenilunia, nam vsu probatum est apud Agricolas, arbores caesas sub plenilunio marcescere, & ineptas esse fabricis,

scilicet propter superfluum humorem, quo corpora eo tempore replentur. haud aliter dicendum est de pharmacis, quae si componantur sub plenilunio, fieri potest, vt nimium humorem contrahant, & proinde facile putredini subijciantur. Quarta obseruatio est, vt medicameuta, quae componuntur ex herbis, succis, floribus, omnia componantur, vel in medio, vel in fine veris, eo siquidem tempore succi, herbae, & flores omnes in vigore sunt: similiter quae ex longis infusionibus fiunt, praestat componere tempore verno, quia reliquis temporibus infusiones longae, & macerationes solent facilius acescere, quam hoc tempore, excipiuntur tamen infusiones, & macerationes illae, quae insolationem postulant, quia vbi medicamēta sunt insolanda, multo satius est, vt componantur diebus canicularibus, quo tempore solis facultas multo fortior existit. Quinta est nonnulla esse medicamenta, quae propter varias praeparationes non possunt fieri nisi aestate, id enim manifestissimum fit ex theriaca, in quam cum ingrediantur pastilli viperei, & scyllae, quia longa indigent praeparatione, non potest huiusmodi medicamētum alio tempore parari, quam aestate. Sexta obseruatio est, vt semper in componendis medicamētis hyems fugiatur, est enim istud tempus valde aduersum & compositioni, & fermentationi. Circa tempus vtendi medicamentis compositis, sunt pariter nonnulla subtili obseruatione digna, illud autem potissimum est, vt medicamenta in vsum non accipiantur, nisi facta fermentatione, loquor de ijs medicamentis compositis, quae conseruātur apud pharmacopolas, quia quae ex tempore parantur, in ijs non expectatur fermentatio. Haec autem non vno tempore fit in omnibus medicamētis, in alijs enim serius, in alijs celerius: syrupi enim, & conseruae non egent longa fermentatione, quia conseruae constant ex paucis medicamentis, syrupi per coctionem acquisiuerunt prope omnem fermentationē, verumtamen sunt etiam aliqui syrupi, & praesertim compositi, qui si statim recipiantur in vsum sunt, inefficaciores, quā si paulo post, vt est de cichoreo cum rhab. syr. de mentha. syrupi etiam compositi fere omnes efficaciores sunt, si paulo post in vsu habeantur, quā si statim. Pilulis & trochiscis non debemus vti statim, quia haec cōponuntur ex aridis quamplurimum, & requirunt fermentationem, similiter confectiones omnes requirunt fermentationem, vt scilicet solum post 10. vel 15. dies in vsu habeantur. Opiatae confectiones propriae requirunt longiorem fermentationem, & ideo male agunt qui statim huiusmodi opiatis vtuntur, ratio est, quia opium sua frigiditate, & suae naturae duritie rebellis est, & contumax castigationi, quapropter si statim vtamini opiatis, nō potest opium esse rectè castigatum ab alijs medicamentis: & haec est ratio propter quā, si vta-

si vtamini theriaca post sextum mensem, soporifera est, multo magis, si ante sextum mensem, scilicet, quia nondum opium per fermẽtationem est castigatum, & correctum ab alijs medicamentis. si vtamini theriaca post sextum annum, vel duodecimum, videbitis ipsam omnino carere facultate soporifera, scilicet quoniam iam vis opij est plane coercita, & castigata. Sed dicetis, cur igitur, si opium adeo contumax est, veteres medici in omnibus magnis cõfectionibus ipsum adhibuerunt? problema a nemine consideratum. puto ego hoc fecisse veteres, quia cõfectiones generosae, & magnae, omnes compositae sunt ex medicamentis efficacissimis, & calidissimis, si debet caliditas horum compesci, & fraenari, necessarium est, vt id fiat multis alijs medicamentis mediocriter refrigerantibus, vel vno aliquo vehementer refrigerante, si fiat multis mediocriter refrigerãtibus, proculdubio contaminaretur cõpositio, confunderentur multa, quia multa, quae moderatè refrigerant, necessarium est etiã alias habeant facultates, quae sunt contrariae intensioni componentis, ea propter praestat corrigere calida vno aliquo vehementer refrigerante: hoc est mysterium, quo puto veteres semper in magnis cõfectionibus addidisse opium. Dixi de theriaca, ipsam valde soporiferam esse, si vtamur ante sextum mensem, contra quod statim dubitabitis, cur Aetius lib. 13. cap. 92. & 93. inquit, theriacam coctam esse, & perfectam post duodecimum mensem, & aliquos etiam vti consueuisse ipsa post vnum mensem, quando scilicet ipsam efficaciorem optabant, nam videtur ibi Aetius manifeste dicere theriacã aduersus venenata efficaciorem esse post vnum mensem, quam alio tempore, contra quod nos diximus esse magis soporiferam: dico verba illa apud Aetium omnino esse mendosa, quod ex eo apparet, quia omnia, quae ibi scribit, sunt excepta, ex lib. Galeni de theriaca ad Pison. cap. 14. si igitur sunt inde excerpta perspectissimum est, debere eo pacto legi, quo leguntur in eo libro, iam vero in eo libro scribitur esse coctam, & perfectam post duodecimum annum, & nõ post duodecimum mensem. & scriptum est etiam eos, qui volunt efficaciorem theriacam, vti post quintum, aut sextum annum, & non post vnum mensem, quare cauete ne vos decipiat textus corruptus Aetij, quia omnia sunt corrigenda ex lib. de theriaca ad Pisonem, qui liber an sit Galeni, habebitis iudicium meum in principio eius libri, in operibus Galeni, quae nunc excuduntur Venetijs. igitur vt dixi, cõfectiones omnes opiatae antequam in vsu habeantur requirunt fermentationem, & longum tempus. Sunt etiam alia medicamenta, quae longo tempore conseruari possunt, vt sunt pilulae de elaterio, nam elaterium, vt docet Galenus, etiam vltra centesimum annum conseruatur, verumtamen magna diligentia adhibenda est,

da est; ne etiam in vsum recipiantur medicamenta minus vetusta: quia vbi inueterascunt nimium, non modo facultates amittunt, verum etiam interdum loethalia euadunt, scilicet cum temporis longitudine corrumpantur. Hic itaque finis sit tractationis nostrae de componendis medicamentis: in qua tradenda conscius mihi sum, me, neque laboribus animi, neque studijs propter vtilitatem vestram pepercisse. Si satisfecero, gratias ago domino Deo, sin minus obsecro vos, vt excusatam habeatis imbecillitatem meam.

FINIS.





HIERONYMI MERCVRIALIS FOROLIVIENSIS,

De Oculorum affectibus Prælectiones.





LANTIS similares duntaxat partes, non autem instrumentarias aut has quidem paucas traditas esse, nemo dubitat; cuius rei ea fuit ratio, quia hoc corporum genus paucis operationibus erat destinatum; animalia verò quorum plura debebant esse officia, plura quoque instrumenta habere debebant: Homo autem ad felicitatem natus iure plurimis omnium instrumentis donatus est, vt non mirum sit naturam fuisse sollicitam in varijs, ac diuersis instrumentis fabricandis, sed maximum studium in sensibus positum est, quod cum, vt ait Plato in Timęo, debeant esse intellectus satellites, opus fuit vt pluribus conficerentur artificijs: & inter sensus nemini dubium, oculos, & aures maximè a natura fuisse curatos, ratio est, quia, vt ait Aristotelis. lib. de sensu & sens. & primo methaph. duo hi sensus ad acquirendam prudentiam, & disciplinas maximè conferunt, quæ duo felicitati inseruire certum est. Cùm igitur oculi, & aures ita necessarij, & vtiles sint, iure Galenus lib. 8. de vsu part. hanc sententiam nobis reliquit, naturam cerebrum, & caput in sublimi posuisse, vt oculi in eo locarentur, tanquam in specula scilicet speculatores futuri,

& hominem ab iniurijs defensuri; vt iure dictum sit à Corn. Celso, oculos maximè esse custodiendos. Hæc dixi, vt intelligatis, me non frustra hunc laborem suscepisse, vt curandi oculos rationem ostenderem. Ergo strenuè laboremus, vt præclaram cognitionem adipiscamur. Scio aliquos hæc sicco pede pertransire; sed hinc possumus conijcere vtilia esse, quod antiqui medicos habuerint, qui nullam aliam artem, quàm curandi oculos exercebant. Videre etiam potestis Galenum ipsum 4. de comp. medic. s. loc. in hoc negotio longè copiosissimum, & exactissimum fuisse; tanta est huiusce tractationis magnitudo, difficultas, vtilitus. Hanc igitur nos aggressuri primùm omnes oculorum affectus ad sua capita redigemus, deinde singulas species tractabimus, hoc obseruato ordine, vt primo loco affectuum ipsorum nomina, secundo eorundem naturas, tertio causas, quarto signa; postremò vberrimam curationem tradamus.

INDEX CAPITVM DE OCVLORVM, ET AVRIVM AFFECTIBVS PRÆLECTIONVM,

De aurium affectibus.

Finis Tabulæ.


INDEX IN PRAELECTIONES DE OCVLORVM, ET AVRIVM AFFECTIBVS.

A indicat faciem primam, B faciem secundam.

da

Hu-

Index Finis.



HIER. MERCVRIALIS FOROLIVIENSIS DE OCVLORVM AFFECTIBVS PRAELECTIONES.

De Visoriae facultatis affectibus: Coecitate, Visus diminutione, impedimento, μυωπία, νυκταλωπία. Cap. I.



VM Oculorum operationes duae sint, visio, & motus, clarum est morbos omnes in oculis contingentes, vel in visione, vel in motu contingere. Visio autem ex tribus constituta est, virtute quae a cerebro per neruos ad crystallinum humorem mittitur, Instrumento ipso, qui est crystallinus humor, & partibus deseruientibus, & virtuti, & crystallino humori; hae autem partes, vel extrinsecae sunt, vt palpebrae, cilia, vel intrinsecae, humores nempe, ac tunicae. Operatio similiter motus ex tribus constituta est, ex virtute à cerebro transmissa, ex instrumentis mouentibus, ex corpore moto, qui oculus est. Itaque morbi omnes, siue ad visionem, siue ad motum pertineant, aut sunt in virtute, aut in instrumento virtutis, aut in partibus seruientibus, & virtuti, & instrumento, vt habetur ex Galeno primo, de sympt. caus. 2. Vt igitur ordine rem aggrediar, initium sumam à morbis, qui fiunt in virtute, sed debetis adnotare, innumeros oculorum morbos apud medicos inueniri, quos si sigillatim tractare vellemus, res esset, & longa, & inutilis, tractabo autem solum morbos primarios, & eos, ex quorum cognitione, cognitio, & curatio aliorum comparatur, quod fecit tasse Galenum 4. de composit. me-

dicamentorum secundum locos facile potestis intelligere. Vitia igitur virtuti visiuae contingunt, vel quia haec à cerebro ad crystallinum humorem non mittitur, vel quia non mittitur ita, vt mitti deberet. Si nullo modo mittitur, fit vitium illud appellatum à Graecis τύφλωσις, seu cœcitas, & à Galeno ἀμβλύωσις, seu offuscatio; si vero mittatur virtus, sed non, vt deberet, fiunt haec vitia omnia, quia vel res ipsae non clarè videntur, atque hoc visus diminutio appellatur, aut non videntur debito tempore, aut debito spacio. si res clarè non videantur, fit visio impedita, si vero non debito spatio, aut quia res propius admouentur, aut quia remouentur longius, vt possint conspici, si non debito tempore est, vel quia magis videtur interdiu, quam vesperi, vel e conuerso, quia magis videtur nocte, quam die. Quando res proprius admouentur, vt videantur, vel quando longius remouentur, appellatur vitium, μυωπία & qui sic male vident, μύωπες, vt est apud Arist. 31. part. probl. Latini hos videntur appellasse luscos: illos vero, qui non debito tempore videt hoc est, magis die, quam vespere, appellant Graeci νυκτάλωπες. Sed volo vos, vt possitis in medicis intelligendis versari, illud animadtere, differentiam inter scriptores fuisse, quia alij voluerunt nictalopam esse quod interdiu videt, vespere non: quod ita vsurpatum est ab Arist. 5. de generat. animal. cap. primo, & scribit Galenus, de linguis, ab Hippoc. fuisse ita vsurpatum. Alij ex aduerso putarunt, nyctalopam eum, qui nocte tantum videt. Razes 2. contin. eum qui diu videt non vespere vocauit dorcam; apud multos latinos reperietis appellari lusciosos. Aliud quoque sciendum est, errasse quosdam medicos, qui inter μυωπίαν & νυκταλωπίαν id discrimen posuere, quod μυωπία fit, vbi fit à natura, νυκταλωπία cũ contingit ex morbo, quod vero hi fuerint in errore, satis apertum est ex Aristelis loc. cit. qui scribit, μυωπίαν non raro etiam ob morbos contingere, ꝙ quoq; ex eo probatur, quia deliberatũ fuit inter veteres, vt serui, qui myopes erant ex natura, non redimerentur, sed tantum ex morbo, vt hoc argumento clarum sit, non solum venire posse à natura, sed etiam à morbo. Tot sunt morbi enarrati, qui contingant virtuti visiuae, & quamquam possint interdum aliqua ex parte ab alijs causis fieri, tamen fere semper solius virtutis affectibus attribuuntur, qui & à natura contingere possunt, & à morbo. Sed de naturalibus verba non faciemus, quia solus Deus hos curat. Sunt hi affectus enarrati symptomata in genere actionis visoriae loesae, quae loesio est duplex, aut penitus ablata, vt in coecitate, & offuscatione, aut diminuta, vt in reliquis vitijs apparet, quia quod aliquis videat solum prope, vel longe, vel die, vel nocte, est solum ex diminuta visione, non ex ablata. Sed dubium est, quo-

modo dixerim haec vitia esse simpliciter actionis loesae, cum visio sit potius passio, quam actio; nam clarum est, visionem fieri patiente humore crystallino;accedit Aristotelis testimonium, qui reddens rationem cur oculus sinister melius videat, quam dexter,inquit, esse, quia visio consistit in patiendo, sinistrae autem partes magis patiuntur. Pro cuius resolutione dicendum est, fuisse peculiare Peripateticorum dogma,quod visio fiat per solam specierum receptionem, & ideo non est mirum, si Princeps dixerit, magis passione, quam actione perfici. Medici alia via incedentes, existimarunt fieri per receptionem specierum, & radiorum emissionem; vnde cum receptio speciei passio quaedam fit, emissio autem, potius actio, iure dictum est, esse haec symptomata in genere actionis loesae. Sed quia symptomata necessario à morbis dependent, speculandum est, ad quos morbos reducantur haec symptomata. Sunt vero morbi trium generum, nempe mala complexio, solutio continui, & mala compositio, qui morbi propterea quod necessario in aliqua sede ponuntur, videndum, quae sint istae sedes. Sedes itaque affectae, vel sunt nerui optici, vel spiritus,qui virtutem vehunt,vel cerebrum ipsum, in quo perficiuntur spiritus; nam vbi cerebrum aliqua intemperie, aut apostemate est affectum,certe optimam virtutem subministrare nequit, & prauos facit spiritus, qui, vel quia tenuiores, vel crassiores, & obscuriores,vel quia pauciores sunt, necessario visio tunc vitiatur: id etiā idem contingit, & neruis obstructis, vel inflammatis, vel diuisis, vt visus destruatur, vel diminuatur. Sed aliquis insurget quaerens, quomodo haec vitia attribuantur virtuti, quia potius videntur attribuenda,aut cerebro,quod est officina spirituum, aut neruis, aut spiritibus, qui sunt vehicula virtutis. Respōdeo tribus de causis haec vitia virtuti ipsi attribuenda, vna quia in his morbis, id quod loesum maxime dignoscitur, est virtus, etenim neque vitia neruorum, neque spirituum, ita aut ratione, aut sensu dignosci queunt, altera, quia vitia neruorum, & spirituum omnia redundant in virtutem,ita vt quicquid in his omnibus peccatur, solum in virtute peccari videatur. Tertia, quia, vt dicebat Galenus in lib. de natur.facul.spiritus ipsi, aut sunt anima, aut virtus ipsa, aut prima animae instrumenta; ita vt omnia spirituum vitia virtutis ipsius esse videantur.

Differentiae horum affectuum tres inueniuntur, vna quod huiusmodi affectus, vel sunt interpolati, vel continui, inuenietis enim aliquos, qui non semper obtusae vident, sed per interualla quaedā, & alios, quorum morbi sunt continui. Alia est, quia vel isti sunt recentes, vel antiqui affectus. & maxime intelligendum, affectus oculorum curanti, an recentes sint, vel vetusti. Tertia est quod huiusmodi affe-

 modi affe-

modi affectus interdum fiunt per essentiã, interdum per consensum: appello affectus essentiales, quorum essentia est in ipsis spiritibus, atque in virtute, quamquam causa sit aliunde communicata. Appello consensum, quorum causa continuo defertur aliunde.

Causæ. Vitiorum, quae virtuti visiuae tribuuntur, causae plurimae sunt, & à vobis magna diligentia complectendae, quarum aliae sunt mediatae, aliae immediatae. Immediatae, de quibus primo agendũ, sunt, vel intemperies mala, vel continui solutio, vel humores, aut vapores, vel aposthemata, seu tumores, quae omnes causae, aut in cerebro collocatae sunt, aut in spiritibus, aut in neruis. In cerebro, vbi causa visionis est deprauatae, aut ablatae, aut diminutae, idcirco vbi haec vitia fiunt, quia virtus visiua, quae in intemperie posita est, aut destruitur prorsus, aut valde deprauatur; ad haec, aut ex imtemperie cerebri spirituum generatio diminuta est, aut prorsus abolita. exemplum huius habetis in phrenitide, in qua, praesertim cum consummata est, aegri non vident, aut diminute, proptrea quod ob cerebri inflammationem, & incendium virtus pene tota visiua est consumpta, spiritus inquam sunt omnino contabefacti. In morituris etiam, citra phrenitidem, visus diminuitur, & aufertur, quia calore cerebri emortuo, spiritus quoque necessario visiui moriuntur; hac etiam ratione contingit, vt in extremo senio visus valde labefactetur, quia scilicet vis visoria, ob refrigeratum valde cerebrum, imminuta est, similiter & spiritus. Itaque ex his intelligere potestis causas vitiorum virtutis, saepe quoque positas esse solum in cerebri peccatis: vbi vero causae vitiorum visionis sunt in spiritibus, solum est, quia spiritus, aut pauciores sunt, quam conueniat, aut sunt crassiores, tenacesue. Ex quo fundamento causarum potestis plurimorum problematum veras inuenire causas, & rationes. Primo scire potestis cur aliqui à longe magis vident, aliqui minus, vt Alex. primo, Problem. 74. docet, ratio est, quia spiritus crassi multo spacio opus habent, vt extenuentur, ita vt possint sufficere visioni; quamquam non defuerunt, qui potius hoc tribuere voluerunt indigentiae luminis, quae etiam ratio est, cur nonnulli maculas Lunae intueri non possint. Cur autem econuerso myopes magis ex propinquo videant, quam à longe, potest ratio colligi, quia horũ spiritus visorij pauci sunt, & subtiles, quia pauci sunt, longius ad operationẽ progredi non possunt, cum vero sint tenues, facile propinqua intuentur. Vnde qui vident solummodo propinqua, non immerito solent oculos constringere, vt spiritus qui alioqui pauci sunt cõgregentur, non autem dissipentur latitudine meatuum: propter quod Arist. 31. part. probl. ait, myopas caracteres breues, & paruos scribere, eo quod cum in angustum locum sint collecti spi-

cti spiritus pauci, necessario ipsis res magnae paruae videtur. Hinc quoque sciri potest, cur aliqui, nec propinqua, nec remota videant bene, quorum scilicet spiritus visorij non modo pauci sunt, verumetiam crassi, & obscuri. Cur autem nyctalopes videant interdiu, noctu autem non videant, haec causa est, quia spiritus ipsorum multi quidem sunt, sed obscuri, & tenebrosi, propter quod cum spiritus ipsorum luce diurnae adiuantur, vident, vbi vero hac luce priuati sunt, aut nihil, aut obscurissime vident. Ex aduerso sunt, qui noctu magis vident, minus autem in die, quos nyctalopes vocauit Hipp. 2. Prorhet. & Galenus in introduct. Huius igitur haec ratio est, quoniam spiritus ipsorum valde tenues, & subtiles sunt, ita vt à luce solis diurna dissipentur, atque minuantur, nocte vero collecti magis operari possunt. Hinc etiã colligi potest ratio alterius pulchri problematis, cur scilicet ebrijs omnia fere gemina videantur, nam vt est apud Arist. 3. part. probl. apud Auic. 3. de anima, cap. 8. apud Albertum Magnum 2. parte de homine, iudicium visus fit in ea neruorum opticorum incruciatione, quam in anatome vidistis, vbi cũ pertingãt plurimi vapores, spiritus ab ijs discinduntur, qui discissi in duas partes, faciunt vt in duobus locis vnius rei species feratur, & propterea vna res gemina videatur: habetis lucubentissimum huius rei exemplum, quod si aqua, in qua solis imago appareat, baculo discindatur, apparebunt duae solis imagines, sic vbi spiritus illi in ebrijs à vaporibus discissi sunt, vna res gemina hoc pacto apparet. Quomodo vero nerui optici sint causae immediatae horum visionis affectuum, accipite breuiter: nam vel nerui discinduntur, vel obstruuntur, si discindantur, vt fit in vulneribus, fit coecitas absoluta, quae ab Arist. lib. de sensu, & sensibus, & apud Galenum in introductorio vocatur ἀπόρρηξις, si vero obstruantur, obstructiones huiusmodi sunt causae visionis deprauatae, aut ablatae, duobus modis, vno quando prorsus obstructi sunt, ita vt nullo modo spiritus permeare possint, quod genus morbi dicitur à Graecis ἀμαύρωσις Latini Barbari vocant, guttam serenam, & est coecitas absoluta, quod si nerui non obstruantur plane, sed solum magna ex parte, huiusmodi obstructio est causa visionis diminutae, eo quod spiritus per angustissimos meatus transeuntes, ita exiles fiunt vt non possint debite operari. Igitur habetis causas immediatas eorum affectuum, qui virtuti visiuae proprie tribuuntur. Superest vt causas mediatas videamus: quas appello eas omnes, quae possunt, vel intemperiem, vel obstructionem, vel solutionẽ continui, vel aliquam aliam ex immediatis causis producere. Atque harum aliae dicuntur internae, aliae vero externae. Internae sunt primo habitus corporum: nam qui capite valde pituitoso existunt, & qui

pilis

pilis sunt albis, eos videbitis fere praue videre. Similiter & aetas, de qua habetis testimonium Hipp. 3. aph. vbi ait, in senibus visus hebetudines fieri. Idem quoque 2. Prorhet. ait, pueros, iuuenes, & adolescentes nyctalopes fieri. Est inter has causas sexus: quoniã Hipp. 2. Prorhet. memoriae mandauit, mulieres coniugatas, & virgines quibus fluunt menses, non fieri nyctalopes, cuius ratio haec est, quoniam vbi fluunt menses mulieribus, & vbi cum viris consuetudinem habent, spiritus ipsis magis depurantur, vbi vero, vel non fluunt menses, vel non habent cum viris consuetudinem, spiritus visorij ita crassescunt, & obscurantur, vt necessario vis visoria infirmior sit. Causae mediatae, & externae plurimae quoque sunt, inter quas primus est aer: quod si sit caliginosus, si humidus, & crassus, si austrinus, maxime visum hebetat, propter quod videbitis eos qui in paludibus victitant, aut inter aquas, visum obscurum semper habere, sic quoque magnus Hippo. dicebat tertio Aph. austros visum hebetare hac, f. ratione, quia & in ijs regionibus, & ijs temporibus spiritus crascescunt, & 7. Epid. in primo, in ea constitutione in qua austri, & boreae vicissim perflabant, nyctalopas esse factos plurimos refert. Hic oritur pulchrum problema, à nullo adhuc, quod sciam, animaduersum, cur in Ital a tot videamus, quorum oculi, & visus sunt adeo offensi. In Flandria, in Bohemia, & in Germania, paucos videditis, qui ob visus offensionem cogantur ocularia gerere, nec est, quod inculpemus vinum, quia certe, vt in multis alijs, in hoc Germani nos excellunt; multas igitur causas ad hoc concurrere, vt apud nos visus offendatur, puto, quarum vna est, quod pluribus vtamur, quam ipsi, herbis, & fructibus, quos dicebat Hipp. 5. & 7. Epid. valde offendere visum. Altera ratio est, inconstantia coeli; nam quod in Italia coelum sit magis inconstãs, praeter experientiam, testatum habetis apud Varronem, & Columellam in lib. de re rustica. Tertia nec forsan infirmior ratio est, quia Itali magnam partem degunt ad ignem, hae vero nationes, fere numquam eo vtuntur, semper vero Laconicis: Ignis autem proculdubio visui est contrarius. Quarta ratio est, quia Itali magis, vt puto, venere vtuntur, quam istae nationes; nam quod venus oculos maxime omnium infirmet, potestis intelligere ex spadonibus, & eunuchis, qui quoniam numquam venere vtuntur, visum semper acutissimum habent, ex his igitur causis fit, vt parentes tot causis visu oblaesi, filios postmodũ ijsdem vitijs inficiant. Sic dicebat Hipp. lib. de ae. aquis. & loc. macrocephalos principio arte, & vitio, ita fuisse conformatos, deinde per semina huiusmodi vitia ita fuisse propagata, vt integrae nationes visae fuerint macrocephalae. Inter has causas est quoque somnus immoderatus, qui ꝙ visionem

hebetare

hebetare possit, potestis hinc colligere, quia vbi quis à longo somno expergiscitur, per aliquod tempus vix videtur posse conspicere aliquem; praesertim vero somnus nocet visui, quando supinè fit, quia tum ad oculos magno impetu feruntur humores, vt apparet ex lachrymis emanantibus eo tempore ab oculis. Vigiliae praeterea nimiae, sunt causae vitiorum visus, eo quia ex ipsis consumuntur, & destruuntur prope spiritus. Vitae similiter studium inter has causas adnumerari debet: quoniam videmus eos, qui literis operā nauant, & qui continuo studijs inuigilant, raro contingere, quin offendantur oculis. Similiter & illi qui artes suas faciunt capite inclinato, aut qui operantur ad ignem. Crapula quoque, & venus, vt dixi, multū obsunt visui: propter quod soleo dicere, inter alias causas, cur antiquis coecus amor fingatur, hanc vnam esse, quia actus venerei, & amoris homines occoecant. Passiones animi sunt quoque causae horum defectuū, & imprimis ira, de qua dicebat Poetarum medicus Homerus, oculos obnubilare. Mæror quoq;, & mæstitia maxime visum loedunt. Galenus 3. de compos. med. secundū locos, inter has causas recenset conspectum fixum alicuius rei. Lectio etiam assidua, & praesertim à cibo, visum loedit. Percussiones capitis, vulnera superciliorum, nocent visui. Sed inter has causas non postremum locum obtinent cibi, quorum multi sunt, qui proprietate quadam visui officere à medicis putantur; vt lac, pisces, legumina, quae dicebat Hipp. 7. Epid. oculis, & visui esse valde contraria, quoniam ex his omnibus crassi in caput vapores tolluntur, quod spiritus ipsos obscurant, & crassefaciunt. Amylum quoque inter hos cibos adnumeratum est, lactuca, portulaca, dicebat enim Ruffus, haec maxime visum offendere. Magnus Auenzoar in libro suo, vbi de oculis agit, dicit, capita columbarum syluestrium, & gallinarum, si frequenter edantur, maxime visum loedere. Habetis dictum illud vetustissimū serui Plautini, qui volens alteri exprobare, quod luscus esset, dicebat, eum lolio victitare, eo quod lolium sicut etiam confirmatum est ab alijs, maxime visum offendit.

Est controuersia pulcherrima inter Dioscoridem, & Galenum, de brassica, Diosc. lib. 2. capit. 113. scribit, brassicam comestam ijs auxiliari, qui visum hebetem habent. Plinius quoque lib. 20. cap. 19. ex sententia Catonis scribit, brassicam caliginosis oculis auxiliari. Ex aduerso est sententia Galeni 2. de alim. facul. quem secuti sunt Auic. & Serapio, vbi scribit, lentem, & brassicam visum hebetare; nam quod lentes visum hebetent, etiā habetis apud Hipp. 5. Epid. vbi lentem, & origanum, & multa alia oculis inimica enumerat. Pro qua controuersia diluenda id memoriae repetere debetis, quod supra dixi, plurimas. s. causas esse, quae visum offendāt, aliae enim crassefaciendo,

facfaciendo, & humectando, aliae exiccando, & xtenuando offendunt, cum igitur oculi offensi sunt ob crassitiem, & humiditatem, maxime prodest brassica: propterea quod extenuat, & exiccat: Vnde receptum est apud omnes medicos, brassicā hac ratione ebrietatem sedare; vbi vero visus vitia contingant non propter crassitiem, aut humiditatem, sed propter siccitatem, & tenuitatem, brassica maxime nocet: quibus positis, dicendum est, Dioscoridem, vbi laudat brassicam in obtusis visionibus, locutum esse de vitijs illis, quae contingunt ob crassitiem, & humiditatem. Vbi vero Galenus dixit, brassicam nocere, locutus est de vitijs, quae contingunt ob siccitatem. Vel breuius dicendum, quod duplex est brassica, alia hortensis, & mangonia, alia adultera, & non exculta, culta visum offendit, inculta vero, & sponte nascens prodest, de illa locutus est Dioscorides, & Plinius. de ista vero Galenus.

Signa, quibus visionis vitia virtuti attributa cognoscuntur, non aliunde fere possunt computari, quam ex ipsius aegrotātis relatione. Verum signa, quibus causae visionem loedentes dignoscuntur, maiori studio opus habent. Sed antequam hoc videamus, illud mementote, nos signa solum quaerere eorū vitiorū, quae nō à natiuitate, sed ex morbo oriuntur. Itaque si vitia visionis à cerebro ortum duxerint, haec erunt signa, quod capitis dolor, vel grauitas, aut praecessit, aut praesens est, adsunt etiam, & alia signa, quae aliquas capitis aegritudines declarare possunt, has omnes non enumero, quia extra rem est. Si fiant errores in visu ob neruos opticos obstructos, aut alio modo offensos; docet Galenus 4. de loc. aff. fere praecipuum signum adesse, quod. s. grauitas, & dolor in profunda oculorum parte percipiuntur: ad haec malum fit subito, ita vt argumentum fere necessarium fit, malum esse in neruis opticis, vbi coecitas, aut obtusio videndi statim fiat, ita vt nulla alia causa adesse appareat. At, vbi vel coecitas, vel videndi obtusiones paulatim fiunt, dicendū sit, vel à siccitate, vel ab alia causa spiritus exinaniente factum esse, sic quoque, si fiat malum ab aliqua intemperie, fit paulatim, & non subito, propterea quod, vt scriptum est à Galeno 3. de sympt. causis, cap. vlt. noxae, quae fiunt ab intemperie, paulatim fiunt, & non subito. Signa vitiorum visionis, quae fiūt ob spiritus, haec sunt, & praesertim, si ob spirituum paucitatem, quam habent myopes, nam isti magis vident propinqua, quam remota, & vt melius videant, oculos constringunt: adest & aliud signum propositum ab Aetio tetr. 2. collect. cap 38. s. quod diu rem aliquam intueri, & saepe, non possunt, sed est & aliud, quia oculi in istis magis subsident, nam spiritus vbi sunt copiosi, oculos tumidos reddunt, abeuntibus vero spiritibus, oculi subsident: propter

quod ſcriptum eſt ab Alex. 2. probl. eos, qui angore aliquo opplentur, oculos cauiores, & magis ſubſidentes habere. Ex aduerſo ſigna facti mali à ſpiritus craſſitie, ſunt, quod iſti oculos prominentes habent, longinqua, & remotiora melius, quam propinqua vident. Sed dicet aliquis, verum hoc vitium non eſt, propterea quod ſcribit Ariſt. 5. de gener. animal. primo, perfectionem videndi conſiſtere in videndo res remotas, & longinquas, reſpondet Auer. loc. cit. neminem ſanum vnquam eſſe, qui melius remota cōſpiciat, quam propinqua, & idcirco, vbi vident remotiora magis, argumentum eſſe, ſanum non eſſe oculum, quare verum eſt, quod ſcribit Ariſt. perfectionem videndi poſitam eſſe in diſcernendo res à longe, ita tamen, vt res propinquae etiam perfecte diſcernantur. Signa morborum viſionis, qui fiunt ex paucitate, & craſſitie ſpirituum, ſunt, quod iſti neque propinqua, neque remota ſatis exactè vident, citra tamē vllum apparens in oculo vitium: nam ſicuti vultures, lupi, aquilae, idcirco exactiſſime vident, quia, vt refert Auerr. habent ſpiritus viſorios lucidos, copioſos, & ſubtiles, ita quicunque paucos, craſſos, & obſcuros eos habent, neceſſario imperfectiſſime vident. Dicet aliquis veſtrum, haec vitia fateor poſſe fieri à ſpiritibus, ſeu à virtute, & poſſe dignoſci his argumentis: ſed negari non poteſt, quin etiam oriantur ob humorem chryſtallinum, aut albugineum, aut tunicam araneam interiorem; hoc enim non modo medici aſſeuerant, verumetiam magnus Ariſtoteles. Si igitur eadem vitia poſſunt fieri à ſpiritibus, ac in tunica interiore, qua via erit diſcernendum, an à ſpiritibus, an ab humore chryſtallino, an ab albugineo fiant? Dico huiuſmodi cognitionem difficilem eſſe, ſed eam tractabimus, vbi de vitijs horum humorum agemus. Interim tamen volo vos docere quaedam ſigna, à nemine, quod ſciam, animaduerſa, & apud me efficaciſſima, ſunt vero ea huiuſmodi, quae deſumuntur ex ocularibus, ſeu perſpicillis, nam ſtatuo, quod vbi vitia videndi corriguntur beneficio eorum inſtrumentorum, quae occularia vocantur, fiunt neceſſario a ſpiritibus, vitia vero, quae fiunt, vel ob humorem chryſtallinum, vel albugineum, vel ob tunicam, numquam corrigi poſſunt beneficio horum inſtrumentorum, ratio eſt, quoniam, qui vtuntur ocularibus, vt melius videant, id faciunt, vel vt magis propinqua inſpiciant, vel vt magis remota, vel vt propinqua ſimul, & remota aliquo pacto; haec vero, vt plurimum conſequuntur ſpiritus errores. Praeterea erit hoc clarius, ſi contemplemur breuiter cauſas ob quas ocularia huiuſmodi operationes faciant. Et quamquam hoc problema ſit perarduum, eo quod, neque medici, neque philoſophi veteres, neque alij ſcriptores, ex mea ſententia, quicquam de perſpicillis tradide-

runt,neque etiam vſum ipſorum cognouerunt, nam etſi habeantur apud aliquos ſcriptores haec perſpicilla vocata, tamen erant alia quaedam inſtrumenta vitrea, quibus vtebantur ad hoc, vt viderēt exteriora & ipſi non viderentur,ſicuti hodie in aliquibus feneſtris adhuc fit. cum igitur nihil habeatur traditū de perſpicillis, ero excuſatione dignus, ſi in reddendis cauſis non ita ſatisfaciam: quas vt breuiter expediam, debemus praeſupponere id,quod fuit medicorum placitum, ſcilicet viſionem fieri per ſpirituum ſeu radiorum emiſſionem, quo conſtituto, videamus, illi qui remota tantum vident, quomodo hoc illis contingat, diximus fieri,quoniam ſpiritus craſſi longitudine ſpacij extenuātur,quod ſi ita eſt, manifeſtum eſt illos, qui remota vident, & non propinqua, opus habere, vt ſpiritus in principio exitus etiam ſint tenues, itaque perſpicilla hoc praeſtabunt in iſtis, vt attenuent ſpiritus, dum exeunt ita, vt & in propinquo, & in remoto tenues ſint; quomodo vero ſpiritus extenuētur,facile intelligere poſſumus ex natura ipſius vitri, quod quidem ſcatet poris,& meatibus anguſtiſſimis, atque id probatum eſt, ab Alex.primo, prob. 117. vbi duobus argumentis demonſtrauit, in vitro adeſſe hos poros;vno,quia videmus aquam phialas vitreas penetrare:altero,quia,ſi phialae aqua plenae affricentur cortices citri,odor ita penetrat, vt inficiat aquam. Igitur ocularia in illis, qui remota intuentur, id praeſtant, vt etiam ſpiritus in principio attenuentur,quia ſic per anguſtiſſimos meatus penetrātes, extenuātur. Illis vero,qui ſolum propinqua intuentur,& non remota quid praeſtant ocularia? hoc ſcilicet,quia opus eſt in iſtis,vt ſpiritus congregentur, ita vt ob ſubtilitatem non euaneſcant: habent etiam hi, vt dicebat Auerr. opus multa luce; quare ſpecularia, ſeu perſpicilla faciunt, vt congregentur illi ſpiritus ſeu radij pauci, & ſubtiles, ita vt congregati, & vniti, longius ferantur, augent etiam lucem, qua aucta ſpiritus illa vtentes,facilius poſtmodum operantur, & hac ratione, qui perſpicilla faciunt pro iſtis, id ſtudent, vt faciant paulo concauiora, & lucidiora. Qui vero, neque propinqua, neque remota bene vident, iuuantur à perſpicillis eo,quod ob craſſitiem ſpiritus extenuantur, ob paucitatem congregantur, non ita tamē, vt poſſint remota multum intueri, quoniam iſti,qui neque propinqua,neque remota bene vident, id tantum beneficij videntur conſequi, vt propinqua melius intueantur. Quare nunc habetis ſigna, quae deſumuntur ex viſu oculorum,quae poſſunt vos manu ducere ad diſtinguendos morbos, qui fiunt à ſpiritibus, qui fiunt ab humoribus, vel ob tunicam interiorem.

Prognoſtica. Sequuntur modo ſigna prognoſtica, circa quae id primo dicam, omnes morbos in virtute videndi productos,vel ab ortu, vel à tē-

poris

poris longitudine, omnes incurabiles esse, sic qui fiunt coeci, aut hebetudinem videndi paulatim contrahunt, omnes fere, aut numquã aut difficillimè curantur. Scribit magnus Auenzoar, Galenum dixisse, vitia videndi, quae fiunt ob neruorum opticorum obstructiones, incurabilia esse, sed hoc verum nequaquam esse; vnde autem Auenzoar hanc Galeni sententiam acceperit, nondum plane inuenire potui, eo magis, quod Aetius, & alij authores curationẽ huius coecitatis tradiderunt. Eos, qui à longe magis intuentur, scribunt Arabes, facilius coeteris omnibus curari, quia facilius est, crassos spiritus attenuare, quam tenues, & subtiles nimium ad mediocritatem deducere. Albertus quoque Magnus lib. 10. de animal. cap. 4. scripsit eos qui longius vident melius degere quam qui propinquius, quia melius est, posse à remotis pericula prospicere, quã à propinquis. Ab Hipp. vero 2. Pror. memoriae mandatum est, iuuenes, adolescentes, & pueros sua sponte saepe à nyctalopia curarari, alios quidem quadraginta diebus, alios vero septem mensibus nonnullos perdurare aegros vsque ad annum.

Qui igitur curare hos morbos exoptant, ante caetera diligenter prospiciant oportet, an totum vitium oriatur à cerebro, an à spiritibus, an à neruis. Si vitia seu morbi cerebri efficiant morbos visus, totum studium conuertendum est ad tollendas cerebri aegritudines, quae quoniam innumerae esse possunt, & alium tractatum expostulant, non est, quod in praesentia de his sermonem faciam. Venio ad morbos, qui fiunt ex spiritibus, & neruis, in quibus debet medicus diligentissimus esse, vt eos quam citissime tollat. vt vero tollantur, necessarium est, caput ipsum euacuare, atque etiam corpus, quod praeceptum non modo habetis à medicis traditum, verumetiam à Platone in Charmide, vbi hoc tamquam Aesculapij oraculum traditum est, quod oculi non possint curari sine capite, neque caput, sine curatione totius corporis. Igitur vt curatio, & totius corporis, & capitis, & oculorum recte instituatur. primum scire necessarium est, quod vitae genus debeant sequi aegri. Primo aere debent vti sereno, tranquillo, non crasso, non caliginoso, atque omni studio fumum euitare; confert assiduo res virides, & coeruleas intueri, albas nullo modo. De nigrorum adspectu traditum est à Galeno primo de sympt. causis 2. quod colores nigri etiam visum consolantur, & iuuant, sed interpretanda est Galeni sententia non de oculis sanis, quia potius colores nigri nocent, quam iuuent, sed de aegris, illis scilicet, qui opus habent, vt spiritus ipsorũ visorij congregentur. Scribit Auenzoar, inspectionem assiduam asini syluestris à proprietate magnoperè conducere ad visum firmandum. laudantur gaudia, risus, lectiones rerum loetarum, sed

Curatio

non post cibum, quia si quid est, quod oculis noceat, est aut legere, aut scribere à cibo. Motus omnes, in quibus continentur spiritus, maxime loedunt oculos, & propterea dicebat Aetius, Buccinatoribus,& cantoribus loedi visum, propterea quod dũ inflantur buccae, oculi & spiritus maxime obloeduntur. Somnus, motus, & venus moderata iuuãt. & notate, tametsi Arist. dicat 4. prob. 3. aeque offendi eos, qui nimium venere vtuntur, & eos, qui prorsus abstinent, vt Eunuchi, id tamen verum non esse, & praesertim de spadonibus; Tanto minus vera est ratio, quam adfert inquiens, Eunuchos, & spadones iccirco hebetari visu, quia exiccantur capita propter alui fluxum, & etiã propter pedum tumores, quasi omnis humiditas in spadonibus à capite delabatur ad inferiores partes, quod quidem falsum est, quoniam alias ab eodem scriptum est, nõ caluescere spadones ob nimiam cerebri humiditatem. blutiones faciei, & oculorum quotidianas ex aqua frigida scribit Plinius reputata esse inter magna praesidia oculorum,& visionis, quod etiam confirmatum est à Mesue.

Cibi, & potus, qui in ijs vitijs curandis accommodati sunt, has praecipuè debent habere conditiones, vt attenuatoria praediti sint facultate, vt exiccent, vt nullos flatus, nullos crassos possint generare succos. Quocirca panis optime fermentatus, & foeniculis conditus solet à medicis multum commendari; carnes similiter, vt carnes auium, si foeniculo condiantur maxime cõmendatur; quae vero turbidum, & melancholicum gignunt succum, omnino euitari debent, quales sunt caro leporina, bubula, capreolorum, haec enim succum faciunt melancholicum, à melancholia, autẽ ait Hipp. facile fit coecitas. Proponunt in hac curatione medici Arabes multa carnium genera, quae dicunt à proprietate prodesse; huiusmodi sunt carnes luporum, hircorum, columborum volare incipientiũ, hirundinum. Auenzoar laudauit etiam passerculos, laudauit etiam omnes aues rapaces, auium oculos; Galenus addit,& viperinas carnes, & carnes omnium serpentium; fertur etiam fuisse serpentes, qui vim pro oculis mirificam hominibus demonstrarunt. Inter herbas quoque adnumerantur chelidonia, ruta, euphragia Rabbi Moyses inter Arabes author illustris, 20. par. aph. docuit, lupinos salitos, & cum corticibus commestos à proprietate maxime omnium iuuare visum. Item Auerr. 3. collect. scribit, rapas spiritum visiuum sua proprietate maxime luminosum reddere. Sed notate, Auerrois sententiam intelligendam esse de coctis, nam Galenus 2. de alim. facul. videtur tradidisse, huiusmodi edulia succum caliginosum, & crassum facere. Potus aquae non modo vtilis est, verumetiam necessarius, vt habetis ab Archigene apud Galenum 4.

de

de med. local. scribit enim Alex. 2. prob. 52. potores aquae semper acutius videre; addit causam, quia vinum, quodcumque sit, vapores in cerebrum mittit, qui commixti spiritibus eos turbidos reddunt. Quod si aegri potum aquae ratione aliqua refugiant, potest elegi vinum clarum, vetus, & pauciferum. Et aduertite tria circa vsum vini, vnum vt vina recentia omnino fugiantur, quia haec maxime replent caput, & oculos, & causa cur in autumno fiant somnia turbulenta, & caliginosa hominibus est, quia tunc vtuntur vino nouo. & notate aliud, vinum dictum à recentioribus picans esse oculis inimicum, quod inde colligitur, quia statim lachrymas ciet. tertium notandum est, vina, quae conceduntur in curandis his affectibus, optimum esse, vt sint medicata, vel foenic. vel chelidonia, si sustineri possit, vel euphragia. Atque haec est ratio victus, quam instituere debetis, vbi morbi occurrunt curandi, qui fiunt in virtute visiua. Quod spectat ad aliam medendi rationem, opus est maxima solertia, quia si morbi fiant ab humoribus, aut spiritus, aut neruos loedentibus, hi erunt habendi scopi, vt primo diuertatis humores fluentes ad oculos, deinde euacuatis caput ipsum, & corpus, postremo oculos exsiccetis, & corroboretis, nam quod necessarium sit primo diuertere humores fluentes, patet, quia morbus factus curari non potest, nisi fomes ab ipso auferatur, quod etiam necessarium sit curare corpus, & caput, habetis proditum à Galeno 3. de ratione medendi, vbi scribit, oculorum non posse vnquam institui rectam curationem, nisi prius, & corpus, & caput optime mundentur. Primum vbi eritis vocati ad laborantes his morbis, erit vobis studendum cucurbitulis, appositis scapulis, & praesertim occipit, frictionibus, extremorum ligaturis, impetum, & fluxum humorũ coercere, deinde erit aluus lenienda, quod fit, vel clystere aliquo acriore, vel medicamẽto aliquo ex lenientibus, vt elect. lenit. elect. ex sena lenitiuum, quod maxime confert, vel syrupo nostro polypodij, vel syrupo rosato solutiuo. lenita aluo statim cogitandum est de venae sectione, quae nisi quid prohibeat, omnino necessaria est, & eo magis, si adsit corporis plenitudo, qua existente, primo ex basilica erit sanguis detrahendus, vt scilicet totum corpus euacuetur, deinde erit cephalica vena pertundenda. Quod si non adsit plenitudo, sat erit statim cephalicam secare; hoc facto, superest, vt statim ad purgationem humorum descendatis, & quia magna ex parte humores, qui faciunt hos morbos, sunt frigidiores, & crassiores, propterea in ijs praeparandis erit hic scopus perpetuus, vt vtamini medicamẽtis siccantibus, moderate calefaciẽtibus; sed illud etiam erit animaduertendum, vt numquam in hoc casu vtamini medicamentis, nisi commisceatis aliqua, quae à proprietate

oculos iuuant, eo quod haec solent esse veluti vehicula quaedam ad perducenda medicamenta ad oculos, & vt habeatis aliquod exẽplum, ita poteritis praeparare. ℞. fol. beto. stoecados, chelidoniae, euphragiae, ana pug. j. foenic. pug. j. s. fiat decoctio. s. a. deinde. ℞. dictae decoctionis vnc. v. oxymellis simpl. syr. de betonica anà vnc. j. syr. de stoechade, vnc. s. misce, & fiat syrupus. hoc medicamentum maxime valebit in crassis, viscidis, & frigidis humoribus praeparandis. Quod si humor melancholicus erit, vel biliosus, erit etiam vobis praeparandus: id fiet, si supradictis adiungatis ea, quae respiciunt hos humores, vt in bile cichoreum, endiuiam, in melancholia fumariam, lupulos, borraginem. praeparatis humoribus, statim erunt euacuandi. Et aduertite, nõ sine ratione in vsu esse apud medicos, vt in curandis oculis, & capite praesertim, medicamenta in forma pilularum exhibeantur, quia cum debeant in caput per vapores attrahi, quanto diutius in ventriculo morantur, tanto melius operantur morantur autem diutius, si in forma solida exhibeantur. pilulae, quae conueniunt in affectibus oculorum, sunt multae, sed quibus praecipue vti soleo, sunt pilulae lucis, vel pilulae sine quibus, vel aureae, aut cochiae: formabitis igitur huiusmodi medicamentum. ℞. fol. epithy. drac. j. s. myrob. citrin. nigrorum anà drac. j. (nam epithy. & myrob. sunt ex his medicamentis, quae & manifesta, & occulta proprietate prosunt.) fol. chelidoniae pug j. sem. foenic. drac. j. s. fiat infusio, seu decoctio. s. a. in aqua foenic. deinde fiat diligens expraessio. deinde ℞. dictae infusionis vnc. iiij. agar. praep. rhab. electi anà scrup. ij. s. spicae gra. iiij. infundantur. s. a. per noctem, deinde facta expressione, adde elect. de psyllio, (quod purgat caput) drac iij. mellis ros. sol. vnc. iij misce, & fiat potus. Postquam semel expurgati fuerint humores, si malum non cedat, etiam repetẽda est purgatio, & hoc ferè semper est necessariũ, vt repetantur purgationes, nec sinatis vos decipi à precibus aegrotantium, nam numquam prima vice bene potest purgari caput, sint autem eadem, quae descripsimus, vel paulo generosiora, & efficaciora, quod erit in vestro iudicio positum. Postquam expurgatum fuerit corpus vniuersum, & caput, superest, vt ad ea deueniatur, quae magis à propinquo possint oculos, & caput expurgare. Inter ea, quae in hoc genere maxime laudantur, sunt incisiones venarũ post aures, seu appositiones hirundinum, quas Paulus mirifice cõmendat; sunt etiam cauteria, quae adhibentur, haec enim non modo euacuant, verumetiam magnopere diuertunt. Sed dicet aliquis vestrum, si diuertunt, igitur videtur consonum rationi, vt etiam in principio administrentur, quandoquidem dixisti in principio diuersoria medicamenta conuenire? Respondeo ex Galeno 13.

Metth. 19.

Metth. 19. qđ vel corpus totũ plenũ eſt, vel ſolũ caput: ſi vniuerſum corpus plenũ ſit, in principio nũquã poſſunt cõuenire, rõ eſt Galeni q̃ dicebat, non cõuenire cucurbitulas in principio, ſi plenius ſit corpus, q̃a attrahũt à corpore ad caput: ſi vero plenũ ſit ſolũ caput, poſſunt adminiſtrari in principio, q̃a diuertũt, & euacuant, ſed nõ ſiãt niſi leui aliqua purgatione p̃miſſa. Verum aduertatis, quam rariſſimè contingere, vt corpora non ſint plena aliquo humore, & ideo fere ſemper medici coguntur corpus exinanire. Veteres medici, vt relatũ eſt ab Ariſt. & ab Hip. in lib. de locis in hoĩe, vrebãt in his affectibus vaſa temporum, ſed Aetius hoc genus remedij tamquam barbarum damnauit: ego vero dico, quod ſi morbi oculorum fiant per venas, ita vt hae ſubminiſtrent vapores neruis opticis, aut humores, conuenit hoc genus remedij. Si vero per neruos immediatè ferantur materiae noxiae, nullo modo conuenit. Inter ea quae proprie, & immediatè oculos, & caput euacuant, enumerantur errhina medicamenta, commendantur etiam maſticatoria. Sed circa per nares infundenda, duo notanda ſunt; vnum, vt numquam exhibeatis niſi prius exacte purgato, & capite, & corpore, & oculis, quia ſi haec medicamenta aliquem humorem reperiunt in capite, attrahunt ad oculos facile, & ſic malum augent: Alterum vt non adhibeantur vehementia medicamenta, vt eſt elaterium, elleborus vterque, ſed mitiora, & imbecilliora; ratio eſt, quia fortia non ſolum attrahunt ab oculis, ſed etiam à capite ad oculos, & hoc eſt, quod docebat Hipp. aenigmaticè, lib. de locis in homine, vbi ait valentiora medicamenta euacuare à capite, loquens de his, quae infunduntur per nares, imbecillia vero ab oculis. Sed dicetis, quod erit medicamentum vſurpandum? ex mea ſententia, & experientia ſunt haec, ſuccus maioranae, ſuccus foeniculi, ſuccus chelidoniae, ſuccus betae, hi enim depurantur prius, depurati poſtmodum attrahuntur naribus, & ita attracti expurgant, & oculos clarificant; ita & decoctio, quam conficio ex rhabarbaro, agarico, & myrob. & ſum expertus mirificè prodeſſe. ℞. myrob. omniũ anà drac. s. rhab. electi drac. ij. agar. drac. j. s. aquarum chelidoniae, foeniculi anà lib. j. contundantur omnia contundenda, & detineantur per noctẽ in cinere. Poſtmodum bulliant ad conſumptionem quartae partis, optimè obturato, vaſe, ne vapores, & vires diſflent. Hoc decocto vtor tepido, vt ſcilicet ſingulo mane, duabus horis ante prandium attrahatur per nares. Medicamenta etiam maſticatoria laudãtur, & vt habeatis maſticatorij formam, ita componetis. ℞. Zingiberis, piperis albi, piretri, anà drac. s. maſticis vnc. s. cerae. q. s. fiãt maſticatoria. Si placebit poteritis addere parum pulueris, vel foeniculi, vel chelidoniae. Sunt praeter haec quaedam confectiones,

quae ore acceptae, post purgationes mirifice conducunt in his casibus. Inter coetera laudantur Zingiber conditum, myrob. conditi. Sed soleo componere electuarium huiusmodi. ℞. succi foenic. chelidoniae, rutae, depurati, anà vnc. j. mellis lib. j. decoquantur ad cōsumptionē duarū tertiarū ī duplici vase, deinde addanē hi pulueres sem. foeniculi vnc. s. macis, piperis albi, cubebarum, cinamomi, anà drac. j. misce, & fiat electuarium, quo vtantur singulo mane vna, vel altera hora ante cibum. Soleo etiam vti pulueribus quibusdam in infusis, atque in ferculis huiusmodi. ℞. sem. foeniculi vnc. j. rutae drac. ij. cinamomi, galangae, piperis albi anà drac. j folior. euphragiae, chelidoniae anà vnc. s. contundantur omnia diligenter deinde supra cotem medicam laeuigentur cum aqua rosacea, post iterum siccentur, & minutissimè conterantur, deinde admixta media sacchari fini libra, adhibeatur in vsu. Haec post purgationes, & alia medicamenta maxime prosunt. Nunc videndum est, an extrinseca etiam medicamenta prosint, nam sum huius sententiae, in his affectibus parum, aut nihil omnino prodesse exteriora; ratio est, quia locus affectus est valde intimus, & profundus, vt propterea non sit facile medicamentorum vires eo peruenire: Sed instabit aliquis vestrum, quomodo, si medicamenta, quae ore capiuntur penetrant ad oculos affectos, non possunt eo exteriora penetrare, eo quod videtur locus exterior propinquior, quam locus oris, & ventriculi. Praeterea relatum est à Cassio medico, & ab Alex. in probl. saepe collyria oculis adhibita commutare palati sapores, vt hac ratione videatur consonum, medicamenta exteriora etiam penetrare. Quod ad primum, dico melius penetrare medicamenta ore accepta, quam exteriora, quia quae intro sumuntur à calore intimo in vapores diminuuntur, quae comminuta cum propria natura ad caput ferantur, consequenter etiam ad oculos penetrant, exteriora vero non ita à calore natiuo actuātur, neque ita comminui queunt, vt possint ad partes penetrare profundiores. Quod ad dicta Cassij, & Alexandri, fateor ea omnia vera esse, dico tamen maiorē esse vasorum communicationem inter oculorum angulos, & palatum, quā inter externas illas oculorum tunicas, & profundiores locos. Est itaque mea sententia in ijs affectibus exteriora parum prodesse; nō est tamen negligendum, vt certa habeantur, quae si non prosint, certe non nocebunt. Si enim Galenum 4. de loc. medicamentis, Marcellum, & alios, qui fuse de oculis tractarunt legatis, intelligetis pauca fuisse ab ipsis tractata, quae possint accommodari. Sed si aliqua conueniunt, dico septem esse eorum medicamētorum classes, quae exterius adhibentur. Prima est eorū, quae emplastica vi lenire possunt; vt est pompholix lota, albumen oui, suc-

cus foenugreci, lac, tragachantũ, gummi. secunda est eorum, quae acriora sunt non nihil, quamquam & magis penetrent, & interdum lachrymas excutiant; huiusmodi est succus Cyrenaicus, sagapenũ, euphorbium, piper, fel omne, mel, cepae. Tertia est eorum, quae extergunt, quorum aliqua interiora sunt, vt cornu cerui, & caprae vstum, alia valentiora, vt est squama aeris, flos aeris chalcitis, mysi, aes vstum. quarta est eorũ, q̃ erodunt, vt est sandaracha, auri pigmentum, lapis asius. Quinta est eorum, quae adstringunt, vt est flos rosarum, rubus, spica nardi, malabratum, crocus, hypocisthis, acacia, balaustia. sexta eorum, quae concoquunt, & dissipant, vt est myrrha, castorium, thus, foenograecum decoctum, galbanum, sarcocolla. septima, & vltima classis est eorum, quae sensum hebetant, & destruunt, vt est opium, mandragora, narcotica omnia. Cum tot sint ordines medicamentorum, quae exterius oculis adhibeantur, quaeres, quaenam in his affectibus possint adhiberi? dico neque abstergentia, neque constringentia, neque lenientia, neque narcotica, neque erodentia conuenire. sed ea solum, quae concoquunt, & dissipant, quamquam acriora, & penetratiua magis sint; vnde fella omnia, & praesertim auium rapacium, mel tum alembicatum, tum etiam per se solum, ijs affectibus curandis accommodantur. & vt habeatis aliquod medicamentum, quo possitis vti, ita componetis. ℞ succi chelidoniae, feniculi, nitri, anà vnc. j. mellis lib. ij. croci, piperis, myrrhae, camphorae, anà drac. j. ponantur omnia in phiala vitrea, & detineantur ad solem, vel in stufa per quatuor dies, & noctes, & postmodum ponantur ad alembicum, & extrahatur aqua, qua ego in his affectibus soleo vti, & inueni saepe profuisse, si quid profuit; Vsus est, vt dum patiens it dormitum, gutta super pupillam destilletur, deinde palpebris exterioribus pannus subtilis eodem liquore malefactus superimponatur. sunt innumera postmodum, quae a proprietate commendantur, & inter coetera, omnes commendant iecoris caprini pulueres consperos oculis. Sed notate, quotiescumque placebit vti pulueribus, necessum esse, eos prius laeuigare, vt si fieri potest nulla remaneat scabrities. Commendauit Razes 2. Cont. oleum violatum, vna cũ spodio naribus infusum. Et haec maxime commendata sunt in his, qui nyctalopes vocati sunt. Si malum ortum duxerit non ex humoribus, sed potius ex subtilitate, & paucitate spirituum, alia via in curatione incedendum est, quia hic neque purgationes, neque euacuationes vllo modo conueniunt, eo quod hi morbi praesertim oriuntur ex euacuationibus, & exiccationibus nimijs. Conuenit igitur in primis victus is, quem alias monstrauimus, modo habeat has conditiones, vt humectet, & probum gignat succum, quoniam

cum ſcopus medici eſſe debeat, vt ſpiritus generentur optimi, & moderati, nullo modo fiet melius, quam per nutrimenta optima,& balnea oportunè adhibita. Actuarius in eo lib. quem fecit de ſpiritibus, dicit nihil magis conuenire ad ſpirituum refectionem, & regenerationem, quam balnea, quae non modo adhibentur toti corpori, verumeti ácapiti. In his caſibus ſoleo abluere caput aqua, & oleo amygdalarum dulcium:quae mixtura humectat, atque ſpiritus attemperat. Dubitabit aliquis, an in hac curatione ſit conueniens vini vſus: quoniã ex vna parte videtur nociuum vinũ, quia exiccat: ex altera videtur accommodatum,quia ſpiritus ſtatim reficit. Dico,etiam ab Actuario ſcriptum eſſe, vinum,ſi ſit ſuauè,ſi non admodum acre,conuenire in iſtis affectibus,& praeſertim,ſi hi non duxerint originem ab extrema ſiccitate, ſed ab euacuatione ſola, quia vbi per euacuationem exinaniti fuerint ſpiritus, reparantur facile vaporibus vini; at ſpiritus aliqua intemperie nimis exiccatos vinum magis exiccat,& propterea magis nocet. Sed dicetis, an cõuenit vinum ita extrinſecus, ſicuti intrinſecus? dico,forſan magis conuenire extrinſecus,quia penetrat extrinſecus, illuſtrat ſpiritus, &illorum ſubſtantiam ambit, & nullam capitis noxam inferre poteſt. Si intus ſumatur,poteſt quidem eadem bona praeſtare,ſed poteſt caput offendere, & ideo oculis detrimentum afferre. Hic eſt modus curandi eos affectus frequenter contingentes à virtute viſiua, nam qui fiunt ex plaga, vel ex ſolutione cõtinui,aut ex tumoribus, aut numquam curantur, aut curantur curationibus morborũ ſolutionis continui, & aliorum morborũ quos hoc loco non referã.

De vitijs humoris cryſtallini. Cap. 2.



SEquuntur morbi, qui fiunt in inſtrumento virtutis. Humor cryſtallinus factus fuit à natura, vt eſſet veluti domicilium,& habitaculum virtutis viſoriae;propter quod neceſſe fuit naturae, vt hanc partem multis inſignibus conditionibus ornaret, quarum prima fuit,quod fecit ipſum ex ſubſtantia pura,liquida,& mediocriter viſcida,& in ea quantitate,quae nec deficiens eſſet, nec maior, quam conueniebat. Plato in Thimaeo voluit etiam hanc partem à natura donatã eſſe luce actuali; quod probabat, quia ex oculis ſaepe videntur ignes emicare: quam ſententiam etſi non omnes amplexati ſint, Galenus tamen interdum eam ſecutus eſſe videtur. Secunda condictio, qua donatus fuit humor iſte, eſt figura ſphaerica, ita tamen complanata, vt non in puncto conſiſteret,ſed firmaretur. Quis fuerit vſus huius figurae, habetis apud

apud Galenum Mathematice demonstratum, 10. de vsu parte cap. vlt. Tertia conditio est, quod tanquam quid regium humor iste in medio sit collocatus. Igitur vbi omnes istae conditiones reperiuntur in humore crystallino, status eius sanus est, & integer, vbi vero aliquid commissum est erroris, & vitij in aliqua ex his conditionibus, statim sanitas oculi, & status totius interturbatur Primum igitur potest committi error in substantia, vel nimis crassefacta, vel nimis extenuata, vel diuisa. In quantitate potest etiam error cõtingere, si quantitas, & magnitudo huius humoris excreuerit super mensuram, à natura constitutam, vel sit minor, quam conueniat. Sed illud notetis velim, differentiam esse inter minutionem, & auctionẽ humoris crystallini, & inter minutionem pupillae, quam Graeci φθίσιν, & eiusdem dilatationem, quam μυδρίασιν vocant, de quibus suo loco. In qualitate quoque error committitur, & vitium, si figura huius humoris non sit circularis, si non sit lucidus, sed obscurus, si non sit laeuis, & politus, sed asper. In situ etiam est vitiũ, quãdo aut sursum, aut deorsum magis inclinat, vel dextrorsum, aut aut sinistrorsum, ita vt non sit in medio collocatus. Hi sunt morbi, hae affectiones omnes, quae possunt huiusmodi crystallino contingere tamquam instrumento visionis.

Cum (vt à principio inchoemus) humor iste crassus est, ita vt laborantes videant debiliter, & omnia quasi per nebulam, & velum conspicere videantur, quia sicuti in aqua crassefacta non recte repraesentantur imagines, sic in humore crystallino crassefacto nõ possunt imagines repraesentari, hoc vitium γλαύκωμα vocant medici; Aetius Glaucosim, seu Glaucedinẽ appellauit. Quum idem humor fit tenuior similiter vitiatur, quia imagines non ita effigiatae fiunt vt deceret. Habetis exemplum in aqua vitae, & alembicata, in quibus non ita exactè repraesentantur imagines, vt conueniret. Si humoris continuitas soluatur, ita vt diuidatur, contingit, vt res omnes separatae, & diuisae videantur. Si fiat maior, quam sit pro substantia huius humoris, non efficitur exacta visio, eo quod, sicuti in corde magno dicebat Arist. contingit calorem natiuum esse minorẽ, ita in humore crystallino amplo virtus visoria semꝑ debilior est. sicuti ecõuerso, vbi substãtia mediocris ẽ. Accedit & aliud, qđ semꝑ imagines rerũ apparent maiores, quã sint, vt specula maiora, maiores ẽt reddũt imagines. Si minor sit humor, idẽ cõtingit, vt res non exacte videanť, q̃a virtus visoriã nõ habet ĩstrumẽtũ accõmodatũ, & in eo minores imagines repraesentãtur. Si vitieť figura circularis huius humoris, ita vt sit, vel nimis complanata, vel nimis rotunda haec contingunt. Primo si non sit bene complanata, facile humor crystallinus huc, atque illuc agitatur, & propterea visio modo impe

 ditur,

ditur, modo deſtruitur. Si vero nimis complanata ſit, vt habetur ex demonſtratione Galeni 10. de vſu part. vlt. non poſſunt videri ea, quae ſunt à lateribus, ſed ſolum, quae ſunt ante. Similiter ſi humor cryſtallinus non ſit politus, neque laeuis, ſed aſper, contingit, vt res confuſiſſime videantur, vt poteſtis videre ſpecula aſpera, aut non reddere imagines, aut reddere perturbatas. Sed ſi ſitus huius humoris deprauetur, ita vt vel ſurſum inclinet, vel deorſum, contingit id, quod ſcribit Galenus 2. de ſympt. cauſis, & 10. de vſu part. vt omnes res geminae appareant. Si inclinet dextrorſum, contingit, vt ſiniſtra non videantur, ſi ſiniſtrorſum, vt dextra non conſpiciantur. Et aduertite, quod quocunque modo ſitus iſte deprauetur, vocatur morbus à Graecis στραβισμός, à Barbaris ſtraboſitas, Latini dixerunt ſtrabones; ſed haec appellatio eſt communis, & interdum male vſurpata, quia ſtrabones proprie ab authoribus dicuntur illi, qui qui habent pupillam declinantem ſolum ad latera. Sed dicet aliquis, qua ratione fit, vt humore cryſtallino magis vergente ſurſum, aut deorſum, res geminae videantur, id autem non contingat, vbi declinat vel dextrorſum, vel ſiniſtrorſum? id enim confirmatum eſt ab authoribus omnibus. Dico quod ſcriptum eſt ab Ariſt. 31. part. probl. à Galeno, & à Caſſio in probl. quod vbi pupilla, vel ſurſum, vel deorſum declinat, decuſſatio, & incruciatio neruorum opticorum diſſoluitur, & propterea ſicuti, quando incruciatio neruorum erat vnita in vno, & eodem puncto, ſiebat iudicium rerum viſarum, ita vt neceſſario res ita appareret, ſic vbi huiuſmodi incruciatio ſit diſſoluta, nō amplius in vno puncto fit iudicium viſionis, ſed in duobus locis, & ideo cum virtus viſiua in duobus locis iudicium ferat de re viſa, neceſſario ipſam tamquam geminam videt, haec eſt vna ratio cur res geminae videantur; habetis aliam ex Alberto 2. parte ſummae de homine, & Auic. 3. par. de anima 8. quoniam ſpiritus à vaporibus diſcinduntur. Et hi ſunt affectus criſtallini humoris, qui quidem, quod ſint ſymptomata in genere actionis viſoriae corruptae, diminutae, & abolitae, nemo eſt, qui ambigat ſicuti quoque perſpectum eſt, haec omnia ſymptomata ad morbos proprios reduci, nempe ad intemperiem, ad morbos in compoſitione, & ad ſolutionem continuitatis.

Caeterum horum morborū, & ſymptomatum cauſae aliae ſunt mediatae, aliae immediatae. Cauſae craſſefactionis humoris cryſtallini immediatae ſunt, ſanguis, & humor, quo cryſtallinus nutritur, aut qui aliunde ad ipſum deſcendit. Hoc vitium, quod appellatum ſit γλαύκωμα, poteſtis clare intelligere ex libro Galeni definit. med. vbi ait, Glaucoma fieri ob tranſmutationem humoris cryſtallini ad albedinem, in qua tranſmutatione huiuſmodi humor condenſa-

Cauſe

denſa-

densatur, & crassescit, sicuti videtis aquam vbi concrescit, aut densatur in glaciem, albescere, idem cōtingit crystallino, vt dum crassescit nimis, albescat. Cur vero huiusmodi affectio impediat visionem, accipite rationem. vt fiat visio necesse est humorem crystallinum irradiari, & penetrari à spiritibus visorijs, vbi igit, nimis crassus factus est, non potest plene irradiari, nec totus à spiritibus penetrari, ea propter fit visio diminuta. Sed insurgit non leuis difficultas: qũo Galenus dixerit, hunc affectum vocatum esse glaucoma, nam Arist. 5. de generatione animal. primo scribit, glaucoma fieri à siccitate, quod si verum est, quomodo igitur dici potest fieri ex crassefactione humoris crystallini? Dico hac in re diuersa fuisse placita Aristotelis, & Galeni. Aristoteles fuit huius sententiae, quod nigredo oculorum nascatur ex multitudine humorum, albedo vero ex paucitate. Hoc dogma Aristotelis coegit ipsum asserere, glaucoma, quod est vitium albedinis oculorum, oriri à siccitate. Galenus contrariam est secutus sentētiam, quia voluit nigredinem oculorum oriri ex ariditate, vt videmus plerunq; corpora arida, & exiccata nigriora esse, albedinem vero fieri ex multitudine crystallini. Itaque ad hoc medicorum dogma necessario sequitur, glaucoma sequi multitudinem crystallini. Sed demus hanc fuisse varietatem dogmatum Galeni, & Aristotelis, quid dicemus ad Aetium, qui lib. 7. cap. 52. scripsit, duas esse glaucosis species, alteram, quae est mutatio crystallini ad albedinem, & est siccitas; alteram vero, quae fit ex praecedente suffusione. igitur apparet etiam ex sententia medicorum, glaucoma fieri à siccitate. Dicerem id, quod scriptum est apud Paulum lib. 3. vbi ait, veteres suffusionem, & glaucoma idem putasse, posteriores vero distinxisse, appellasseque glaucoma mutationē oculi ad albedinem ex humiditate, ita vt secunda species glaucosis apud Aetium sint glaucoma veterum: altera vero species verum glaucoma medicorum, sed neque hoc tollit difficultatem ex Aetio quia ipse dicit aperte, ex siccitate fieri primam spetiem glaucosis. Dico diuersa esse glaucoma aliorum, & glaucosim Aetij, sed quid est glaucosis Aetij? non est ipsum glaucoma, sed albedo, quae fit in crystallino ex compunctione, & ex euacuatione humoris albuginei, ad quam euacuationem humoris sequitur, vt oculus necessario exiccetur, & consequenter humor crystallinus condensetur, & cōgelescat. quod vero hoc ita sit, videte Galenum 10. de vsu partium, cap. 6. vbi scribit ex siccitate, & nimia condensatione humoris crystallini fieri glaucosim, & non glaucoma, quando scilicet ex cōpunctione largiter euacuatur humor albugineus. igitur, vt rem in vnū colligamus, glaucoma Graecorum efficitur ex crassitie crystallini: glaucosis vero Aetij, & Galeni fit ex euacuatione humoris albuginei,

nei, & consequenter exiccationem. Tenuitatis cristallini causae nullae aliae sunt nisi tenuitas ipsius sanguinis, & humoris quo nutritur. Sed dicetis quomodo haec tenuitas visionem impedit? hoc modo, quia radij, & spiritus visorij diuidunt, & disgregant hunc humorem ob illius tenuitatem, qui disgregatus non potest virtuti visiuae inseruire. Est igitur causa huius tenuitatis sanguis tenuis, quo nutritur, & propterea videbitis eos, qui longo tempore anasarca laborant, oculos albos, capillos albos, supercilia alba & aciem oculorum hebetem, & infirmam gerere, eo quod hic humor crystallinus nutritus aquoso nutrimento, nimis tenuis euadit, sic quoque videbitis eos, qui victitant piscibus, & cibis tenuissimis, hac ratione infirmis esse oculis, quod vitium quasi naturale esse ouibus memoriae mandauit Albertus Magnus, lib. 19. de animal. cap 3. Diuisionis, & dissolutionis crystallini multae causae sunt, sed magna ex parte sunt externae, vt percussiones, vulnera, contusiones, compressiones. fit quoque hoc vitium ab aliquibus causis internis, vt ab immodico fluxu humorum acrium, qui diuidunt crystallini substantiam, sed fit hic morbus quoque à nimio splendore, & à nimia albedine, quia albedo, & splendor vsque adeo permouent, & agitãt spiritus visorios in crystallino humore, vt ille continuitatem suam amittat. huius rei testem habetis Galenum 10. de vsu par. 3. vbi scribit, milites xenophontis, dum ambularẽt per niuem, occoecatos esse. vbi quoque refert Dionysium tyrannum consueuisse homines occoecare, dum eos ex locis obscuris in splendidissimos deduci curaret. Fit maior crystallinus, quam deceret, ex multitudine humorum, qui & extrinsecus adhaerent ipsi, & etiam per totum crystallinum diffunduntur. Fit vero minor duabus de causis, vna quando non nutritur, nam Hipp. in lib. de locis in homine docuit, venulas ex cerebro descendentes visum nutrire, scilicet humorem crystallinum, in quo fit visio, quibus venis desiccatis, ait Hipp. necessario, vel visus prorsus extinguitur, vel valde imminuitur: desiccantur aũt huiusmodi venae in magnis cerebri inflammationibus, in magnis euacuationibus; & alijs causis exiccantibus. Altera causa cur minor fit cristallinus est, quando ipsemet humor exiccatur, quod fit multis de causis, & internis, & externis. Internae sunt magnae inflammationes, lacrymae continuo fluentes, venus immodica; aetas quoque, vt in senibus in quibus dicebat Aristotelis, hac ratione fieri glaucoma. Externae causae exiccantes hunc humorem sunt exercitationes immoderatae, nimiae sub sole morae; sed potissimum ignis, qui consumit, & exiccat hunc humorem; quod intelligentes Barbari Reges, consueuerunt occoecare homines speculis ardentibus, sic quoque videbitis, qui artes exercẽt ad ignem,

hae

hae ratione visum hebetem habere. Est quoque inter has causas regio, de qua scriptum habetis ab Aristotele decimaquinta, part. prob. decimaquinta, eos, qui habitant plagas aquilonares habere oculos coesios, & albos: propterea, quod frigus externum compingens calorem interiorem, facit, vt ille auctus humidum consumat.

Causae permutationis figurae crystallini aliae sunt ex generatione, aliae ex morbo causas generationis dimittemus, quia non spectant ad medicum. accidentariae vero, & morbosae sunt percussiones, contusiones, compressiones, vt enim videmus corpora mol lia, si nimis comprimantur, aut percutiantur, figuram mutare, sic quoque contingit humori crystallino, vt vel nimis compressus, vel aliquo modo agitatus, figuram permutet. Similiter quoque multitudo humorum extraneorum in ipsum crystallinum irruentium fa cit, vt figura illius permutetur. Causae porro Strabositatis aliae sunt internae, aliae externae, internae sunt conuulsiones musculorum oculos mouentium; quando oculus naturaliter se habet, pupillae quoque sedem naturalem habent; vbi vero musculi illi, seu oculus statum naturalem non seruat, pariter status pupillae permu tatur, & fit strabositas. permutatur autem status oculorum, vbi vel musculus aliquis ex mouẽtibus oculum laxatur, vel exiccatur: si musculus inferior laxetur, superior trahit oculum ad sese, & ita fit species strabositatis, in qua pupilla ad superiora declinat; pariter si musculus ad latus aliquod laxetur, contrarius illi trahit ad sese totum oculum, & ita situs pupillae, & cristallini permutatur. pari pacto si musculus aliquis ex istis exiccetur, trahit partem oculi ad sese, & sic situs pupillae permutatur, atque sic de reliquis. Quod vero ex siccitate possit contingere strabositas, praeter experientiam in alijs rebus euenientẽ, habetis quoq; testimonium Razis 2. cont. qui ex sententia Galeni in com. Sup. 2. Epid. scribit, strabositatẽ contingere etiam, vbi exiccantur musculi. sed quaeret aliquis, si haec est causa strabositatis, vnde fit, vt aliqui strabones, vbi volunt habeant ita oculi pupillam, vt non appareat strabositas? dico; quotiescunque sanus est oculus, mouetur motu voluntario, & ideo in quauis figura potest cõtineri, vbi vero infirmus factus est, atque aliquis musculus conuellitur, vel ea conuulsio magna est, vel parua, si magna nullo modo potest vmquam strabo oculum in proprium situm reducere, si vero parua, vbi oculus quiescit potest contineri in statu, & situ naturali, non autem dum mouetur, ratio est, quia ad continendum oculum in quiete, minore robore opus est, quã dum mouetur, eum dirigere. Causae mediatae, & extrinsecae strabositatis sunt omnes illae, quae possunt facere conuulsionem, haec au

Causae.

tem

tem ſunt apud Hipp. 6. aph.39.repletio, & inanitio; inanitio, vt in febribus magnis, & ardentibus. In magnis euacuationibus, in quibus muſculi mouentes oculos conuelluntur prae ſiccitate repletio autem, vt in vertigine, in epilepſia, poſt quos morbos, & etiam in ipſis morbis, videbitis ſaepe homines fieri ſtrabones,quia ex multitudine, & repletione conuelluntur muſculi oculos mouentes, propter quod magnus Ariſtoteles ſcriptum reliquit, ſolum hominem inter omnia animalia fieri ſtrabonem,non alia de cauſa,niſi quia ſolus inter omnia animalia epilepſia tentatur,cuius veritatẽ examinauimus in noſtris varijs lectionibus.Hactenus de cauſis omnibus vitiorum, quae fiunt in humore cryſtallino. Ex his ſuboritur non inutile problema:cur cryſtallinus quorundam animalium, ita in tenebris lucere videatur, vt putetur etiam in tenebris ipſis videre? cuius generis ſunt oculi leonum, ſerpentium,& muſtelarum, Auicena, ſecutus Empedoclem, & Platonẽ, putauit in oculis horum animalium adeſſe plurimam lucem,ita vt exiens ab oculis lux, illuminet medium,atque ita videant. & notate pro nũc nihil apud nos differre ſiue dicamus, lumen ab oculis exire, ſiue ſpiritus lucidos,ſiue radios, aut aliquo alio modo, quoniam & authores his nominibus ſunt vſi, & nunc non eſt diſputandum an radij ab oculis exeant. Albertus Magnus in libro de ſenſu, & ſenſato, & in ſecunda parte ſummae de homine, inuectus eſt in Auicenam,qui ſententiam praedictam habuit 3. de anima, cap. 7. probat igitur Albertus non poſſe ab oculis horum animalium lucem, atque ignem emanare,atq; vtitur hac maxima ratione, quod ſi emanaret lux ab oculis, profecto totum medium illuminaretur, quo illuminato, & ipſa animalia viderentur ab hominibus,& etiam aliae res in medio exiſtentes, ſed neque partes oculis vicinae videntur, vt naſus, & aures,igitur ait, ſequitur Auicenae ſententiam vanam eſſe. & ne etiam videretur Albertus ſententiam ſuam denegare, dixit, hoc cõtingere, quia hum r cryſtallinus cum ſit totus aqueus, & congelatus, quicquid in eius compoſitione ignis adeſt,totum in ſuperficie reſidet,& propterea ſicut gemmae in tenebris lucent, ita quoque, ait Albertus, lucent eorum oculi. quae ſententia quoniam peripatetica eſt, non eſt, quod multis rationibus à nobis explodatur. Id tamen nõ ſilebo,non videri cur ſerpentes,aut muſtelae habeant hunc ignem, quoniã multa ſunt animalia calidiora, quae hac ratione debuiſſent plus ignis obtinuiſſe, & tamen non lucent. Igitur breuiter,vt omittam hanc rem exact us diſputandam Philoſopho, dico, humorem cryſtallinum horum animalium, quemadmodum eſt placitum medicorum,omnino plus lucis habere,eo quod ſubſtantia illius humoris in ipſis eſt magis condenſata,leuis,& polita,nec valet quod dicit

Albertus,

Albertus, necessarium esse, vt illuminetur mediũ, propterea quod vt videmus carbones ignitos non illuminare medium, sed tantum solos in tenebris conspici, quia scilicet modicum lucis habent, ita dicendum est de oculis horum animalium, quod tantum lucis habent, vt videri possint, non tantum, vt illuminent medium.

Nunc superest, vt signa horum affectuum indagemus; quae indagatio difficilis est, duplici ratione, vna, quia pars affecta profunda est, & scriptum est apud Hipp. in lib. de vet. med. morbos partium reconditarum difficiles esse cognitu: altera ratio est, quia haec eadem vitia ab alijs quoque partibus oriuntur, vt difficile sit discernere, an ab hac, an ab illa fiant. Alzarauius medicus Arabs in lib practicae suae, conatus est multa adinuenire signa, quibus huiusmodi affectus declarentur, scribit enim, si affectus fiat à nimia humiditate humoris crystallini, percipietur grauitas, si fiat à siccitate, visus impedietur, si fiat per transmutationem coloris ad albedinem, omnia videbũtur alba, si ex pupillae, vel crystallini diminutione nascatur, omnia maiora videbuntur, si fiat ex magnitudine humoris crystallini, & crassitie, omnia apparebunt minora, atque visus obscurabitur, si vero ob profunditatem nascatur eiusdem humoris, ait quod visus in profundatione offendetur. Sed quamquam hic medicus illustris fuerit, tamen haec sua signa mihi absque ratione inuenta videntur; nam quod ait, si fiat ex humiditate, grauitatem percipi, hoc tantum abest, vt possit esse proprium horum affectuum signum, vt in omnibus affectibus ex repletione humorum in oculis, percipiatur grauitas. Quod porro de albedine scribit, id quoque satis infirmum signum est, & falsum, quoniam qui albedine oculorum laborant, necessario alterum duorum habent, vel enim vident omnia tanquam per fumum, si glaucoma sit imperfectum: vel vt dicebat Aetius, neque etiam lucem vident, quando vel est glaucosis, vel glaucoma perfectum. Idem dicendum est de signo imminutionis humoris crystallini, & auctionis, quoniam falsum est, quod in pupilla diminuta res videantur maiores, immo, quemadmodum dicebam, sicuti in speculo minori minores imagines, in maiori maiores apparent, sic vbi crystallinus est minor, debent fieri minores imagines, vbi maior maiores. Quod postea dicit de profundatione oculorum, illud falsissimum est, quoniam vt ait Albertus 19. de animal. oculi praeminentes necessario visum imbecillum habent, profundi, & concaui validiorem efficiunt: sic vbi pupilla, & humor crystallinus magis profundus est, necessario videtur uisus fieri acutior eo quod spiritus, seu radij exeuntes magis vniuntur, & ita vniti maiori feruntur impetu. igitur melior quaerenda est ratio inueniẽdorum signorum, quae haec erit, vt primo inspiciantur partes sensui signa.

conspicuae, nunquid sint offensae, & postquam inueneritis partes extimas illaesas esse, colligendum est, intrinsecas aliquas pati, vbi vero examinaueritis omnes partes intrinsecas, nullasque alias inueneritis posse offensas esse, supererit colligere, vitium in humore crystallino collocari. Sed haec ratio quoque satis coniecturalis est, & infirma. Sunt quaedam alia signa magis particularia, quae si medicus diligentiam adhibeat, poterunt ipsum multum iuuare, veluti si videritis pupillam citra vllam causam manifestam minui, erit colligendum crystallinum minui: Sed quia minuitur, vel per defectum nutrimenti, vel per exiccationem propriam, si per defectum nutrimenti, habebitis haec signa, quod aliquae causae praecesserunt exiccātes venas illas, quas dicebat Hippocrates nutrire humorem crystallinum, aderit quoque & macies cum totius corporis, tum maxime capitis. Quod si imminutio ortum duxerit ex exiccatione propria, necessario habebitis, qđ aut aliquis morbus exiccatorius praecesserit, vt inflammatio oculorum magna, inflammatio capitis, aut aliqua nimia euacuatio, vel lacrymarum, vel alteri⁹ humiditatis capitis. si videamus citra vllam causam manifestam, pupillam dilatari, aut ampliorem reddi, erit colligendum hanc dilatationem ortum ducere ex magnitudine crystallini, & eo magis, si vitium nocte crescat. sunt aliqui, quibus saepe ante oculos veluti iris quaedā videtur obseruari. hoc signum est, humores aliquos aquosos adhaerere humori crystallino, quia sicuti videmus nubes aquosas irradiatas sole, reflectere lumen, & facere iridem, sic humores hi aquosi instar roris, & nubis adherentes crystallino, reflectunt lumen, & faciunt iridem. Similiter si circa pupillam insignis, & profunda appareat albedo, cum qua eueniat, vt vel lux non videatur, vel omnia tamquam per fumum conspiciantur, haec signa sunt glaucomatis, vel iam facti, vel incipientis, & imperfecti. Strabositatis signa non est, quod discursu aliquo quaeramus, propterea quod satis conspicua sunt.

Prognostica. Prognostica omnium horum affectuum sunt, quod quilibet affectus humoris crystallini difficiles sunt curatu, quia cum sint in parte profunda, vix recte possunt adhiberi remedia. Scribit Aetius glaucoma factum ex suffusione, incurabile esse, alterum vero glaucoma non ita incurabile, sed & raro videbitis glaucomata perfecta curari, licet incipientia, dum bene noscuntur à medico, possunt curari. Incurabilis est quoq; omnis strabositas antiqua, dico antiqua, quoniam Arabes, vt videbitis, putarunt curari posse strabones in pueritia, & praesertim, quando malum recens, & non vetustum sit. Hipp. 2. Epid. sect. vj. haec habet: quorum pectora bilem generant, balbi, furiosi, & calui fiunt: quicunque horum ex natiuitate etiā

strabones,

ſtrabones, hi imprudentes ſunt, aut calculoſi, aut inſanientes.

In ijs igitur affectibus, qui curari poſſunt, eſt habenda haec diſtinctio, quod alij fiunt a cauſa humida, alij a ſicca; quae fiunt vitia humoris cryſtallini à cauſa humida, omnia opus habent ratione victus attenuatoria, & exiccatoria, ea propter debent iſti viuere in aere calido, & ſicco, in aere mediocriter lucido, vtantur exercitationibus moderatis, abſtineant ab omnibus vehementibus animi affectibus, impurgato corpore abſtineant à vino, vtantur cibis, qui poſſint extenuare, & exiccare, cuiuſmodi habuiſtis, quando alios affectus ex humiditate curandos monſtrauimus. Quod autem ad reliqua ſpectat remedia, ſi plenitudo adſit in capite, erit primo ſanguis mittendus à vena capitis, & ſi ſectio venae ſuſtineri non poſſit, cucurbitulae, aut hirudines erunt accommodatae; deinde erunt praeparandi humores, praeparati euacuandi accommodatis remedijs, vt ſupra monſtrauimus. Poſtquam vero non ſemel, ſed iterũ purgatum fuerit corpus, ſupererit, vt ad medicamenta exteriora, & ad collyria, quae poſſunt attenuare, & exiccare nimiam humiditatem illius humoris, veniamus: & aduertite, quod licet difficilem hanc curationem eſſe dixerim, attamen, ſi comparetur curationi neruorum opticorum, proculdubio facilior eſt, quia pars eſt magis expoſita ſuſcipiendis remedijs. Et quia facta eſt mentio collyriorum, & in tota hac tractatione maxime neceſſarium eſt intelligere, quae ſint collyria, ideo vtile futurum ſpero vobis, ſi de collyrijs quaedam vos edoceam. *Curatio.*

De collirijs.



Vatuor in hoc tractatu de collyrijs edocenda ſunt à me, primo quid ſit apud medicos Graecos, Latinos, Arabes, collyrium, nam eſt adeo diuerſus vſus huius vocis, vt ſi ignoretur à medicis, ſaepe fit cauſa multorum malorum. Secundo quot ſint differentiae collyriorum. Tertio quis ſit modus praeparãdi collyria. Quarto quae ratio his medicamentis vtendi. Quod ad primum attinet, collyriorum nomen apud Graecos, & Latinos duplici modo acceptum inuenio, vno communiter, alio proprie. Communiter acceptum, vt habetis apud Celſum lib. 6. Oribaſium 10. collect. apud Paulum lib. 7. eſt medicamentum, quod efficitur ex ſuccis, liquoribus, ſeminibus, fructibus, quodque in varios vſus adhibetur. Eſt enim medicamentum formae rotundiuſculae, longitudine quatuor digitorum, altera parte tenuius, altera craſſius.

Hoc genere medicamentorum vtebantur veteres ad varias affectiones, ad sinus, & ad fistulas, ad affectus vterinos, vtebantur etiā ad aluum; nam glandes appellati à Graecis, à nostris suppositoria, videbitis apud Graecos, Latinos, & Arabes, collyria appellari, à figura scilicet collyriorum, & volunt isti dicta esse collyria, à forma caudae decurtatae, & retusae, quia est eadem figura; aut volunt dicta esse à rotunditate, quia κολούριον significat rotundum. Inuenietis apud Suidam quoddam genus placente, & farris pactum in hanc formam dictum collyrium. Itaque non erit mirum, si apud Arabes, Latinos, & Graecos videbitis collyria immitti in aluum, in vterum, & adhiberi alijs morbis. Collyrium proprie acceptum est medicamentum, quod oculis curandis adhibetur, sic fere medici omnes recentiores vtuntur hac voce collyriorum. Plinius inter veteres non alio modo vsus est hac dictione, nisi pro medicamento oculorum, appellant pharmacopolae nostri hodie collyria Sief. haec collyria volunt nonnulli dicta ab impediendo fluxum, seu ad glutinandum, nam sic sonat vox graeca. Isidorus vero voluit sic dicta collyria, eo quod detergant oculos. Sed haec dimittamus. Habetis duos vsus collyriorum, quorum proprie acceptorum tres inuenio differentias apud Oribasium, & Paulum, alia dicuntur simpliciter collyria, alia arida, & sicca, alia liquida. differentia horum collyriorum videtur tota posita in materiae diuersitate, quia communiter accepta simpliciter dicta componuntur ex metallicis, aromatibus, succis, liquoribus, melle, oleis, & huiusmodi alijs, ita vt componantur tam ex materia arida, quam liquida. Collyria arida componuntur solum ex materia arida, vel ex metallicis rebus, vel ex aromaticis. Liquida componuntur solum ex materia liquida, ex succis, vel liquoribus. Horum omnium collyriorum inuenietis apud scriptores innumeras differentias. alia dicuntur alba, alia crocea, alia ex myrrha, & caetera etiam. immo tot sunt differentiae collyriorum apud medicos, vt fere quiuis morbus proprium habeat collyrium, & hinc factum est adagium in malos medicos, qui vno collyrio omnibus morbis medentur.

Modus parandi collyria habet aliquid commune his omnibus differentijs, habet etiam & multa propria, hoc commune videtur esse obseruandum in parandis collyrijs, vt monent Oribasius, & Paulus, quod debent parari verno tempore, quia si parentur hyeme, non possunt medicamenta optime conteri, quia ob gelu cum sint facta rigida, non optime contunduntur, ac miscentur, aestate etiam aromata facile euaporant, & ita vires ipsorum maxime hebetantur. Quod vero proprium est vnicuique differentiae in cōpositione, est, quod collyria simplicia, quae alias à Paulo πλαςὰ vocantur

cantur, ita debent parari, vt metallica longo tempore conterantur, aromata vero non ita longo. Praeterea debent lente omnia conteri, ne scilicet dum conteruntur, vis expiret. praeterea debent succi exiguo tempore conteri, & etiam concitatius conteri, & dum cō tunduntur pulueres, seu aromata, & metalla, debet affundi humor aliquis guttatim, qui facit, vt magis corpora in puluerem redigantur. Dixi guttatim, quia si dum conteruntur multum humoris affunderetur, duo fierent inconueniētia, vnum quod metallica subsiderent, alterum quod aromata supernatarent. Sed quis debet esse hic humor? veteres fere omnes medici hunc vsum videntur secuti, vt non alium humorem adhiberent, quam aquam pluuialem. rationes duae huius adferuntur, vna, quia aqua pluuialis tenuis est; altera, quia non nihil adstrictionis habet: addatis, & tertiam, quia huiusmodi humor conseruat à putredine, quod si aqua pluuialis non habeatur, accommodatum est vinum tenue. Postquam optimè commixta sunt haec corpora, & triturata, deinde commiscentur liquoribus, atque inter commiscendum additur gummi. nostri pharmacopolae saepe addunt, loco gummi, albumen oui; postquā omnia mixta sunt, redigitur in formam quatuor digitorum teretē, ex altera parte crassiorem. Sed aduertite, quod Scribonius Largus mentionem facit collyriorum ad formam nuclei pini. Postquam sic conflata sunt collyria, ait Oribasius, conseruanda esse in vasis terreis. Paulus ait, vitrea optima esse. Sed circa hoc duo notate, vnum, quod dixi addendum gummi, duabus de causis, vna est, vt melius corpora metallica conglutinentur; altera, vt exiccata haec corpora non frangantur. Alterum notandum est, quod huiusmodi collyria, si multum habent metallicorum, quanto vetusturiora, tanto meliora: si vero multum habent aromatum, vetusta facile euanescunt, propterea recentiora sunt eligenda. Sicca collyria parantur fere eodem modo, nam teruntur per se metallica corpora, & per se aromata, deinde miscentur. & notate, quod si fiant collyria sicca, ex solis metallis, possunt conseruari absque vllo liquore, si vero fiant etiam ex aromatibus, necessarium est, vt addatur aliquid gummatis, quo possint melius conseruari. Liquida collyria fiunt ex succis, & liquoribus, sed hoc vnum habent huiusmodi collyria, quod vt notat Oribasius debent statim in vsum adhiberi, nā succi, & liquores vbi sunt redacti in formam collyriorum, exiguo tempore possunt conseruari. Sed dicetis, reperiuntur multi succi, vt succus anagallis, qui non quouis tempore inueniuntur. In hoc casu curandum est vobis vbicunque locorum dabitur medicinam facere, vt pharmacopolae vestri habeant huiusmodi succos, cum melle conseruatos; propterea, quod mel, praeterquam, quod conseruat,

seruat, optimum est etiam pro oculis medicamentum. Hic est modus componendi collyria. Restat de modo vtendi. Vsus collyriorum pro oculis duplex est, vel per infusionem, vel per illinitionem; Infusio est, quando vel liquida, vel arida collyria immediate super oculum consperguntur. Illinitio vero duplex est, aut sicut docet Oribasius, per subiectionem, aut per euersionem: per subiectionem est, quando aperitur palpebra inferior, & specillo, seu penna ea palpebra interior illinitur. Euersio vero est, quando palpebra superior euertitur, & eodem specillo illinitur. Sed dicetis: ad quid confert huiusmodi illinitio? Oribasius ait, esse potius gratia decoris cuiusdam, quam multae vtilitatis, & certe vbicunque potest oculus sustinere infusionem, melius est, quia sic medicamenta magis penetrant, sed quia oculi perpetuo mouentur, ita vt non possit facile medicamentum super oculum manere, ideo ad hoc cōfert huiusmodi illinitio, vt medicamenta diu possint oculo vim suam immittere. In ijs vsibus tria sunt vobis notanda breuiter. vnum est, ne, quando illiniuntur palpebrae interiores, vllo modo specilli acies tangat oculum, secundum, quod vbi oculus dolet, potius infusiones sunt adhibendae, quam illinitiones. tertium, quod infusiones magis prosunt, quam illinitiones, & vbi datur ijs vti in affectibus oculorum semper vtamini. Accedit etiam aliud, quod quotiescunque vtendum est vobis huiusmodi collyrijs, obseruetis tempus, quia vt notat Oribasius, & Paulus, tempus serenum, & boreale maxime est accommodatum collyrijs vtendis, Austrinum, quod nimis frigidum, aut nimis calidum est, id semper ineptum reputatur. Est quoque aliud aduertendum circa vsum, quod quotiescunque placebit vobis vti illis collyrijs, quae habentur apud pharmacopolas, debeatis semper mandare, vt iterum recte attenuentur, & terantur, & si nō siccis, sed liquidis placebit vti, vt addantur alij liquores, vel succi accommodati, vel mel alembicatum, vel aqua, vel vinum, prout expediet. Sed postquam habuistis totam collyriorum rationem, dicetis, quo genere collyriorum oportet vti in affectibus crystallini? Debent ea adhiberi colliria in extinguendis morbis humoris crystallini, quae sunt acriora, quae crassitiem humorum attenuent, concoquunt, & discutiunt: & propterea ego cōmendo duo collyria, quorum vnius haec est forma. ℞. succi foeniculi, succi rutae, anà drac. ij. s. fellis galli, perdicis anà drac. j. croci, myrrhae, piperis, anà scrup. j. laeuigentur per se aromata, deinde misceantur cum succis, postea addantur fella, deinde cum media vncia, vel altera mellis alembicati fiat collyrium. Alterius collyrij quod aridum est, forma haec erit. ℞. fellis taurini exiccati drac. iij. croci, myrrhae anà drac. j. piperis albi, scrup. ij. seminis rutae, dra. s.

terantur

terantur omnia.s a.deinde, vel gummate, vel albumine oui conformentur, & iterum exiccentur, & quando vsus postulabit, in tenuissimum puluerem iterum redigantur, & aspergantur.

Affectus, qui fiunt ex ariditate, aut euacuatione, curantur vt plurimum victus ratione, quae humectet, atque etiam optimum nutrimentum faciat, cuiusmodi habuistis formam in tractatu morborũ virtutis. & extrinsecus conueniunt ea, quae possunt humectare, & humorem crystallinum augere : lac exterius adhibitum optimum est, soleo etiam adhibere brodia, similiter succus lactucae, succus maluae, depuratus adhibitus in fomentum optimus est. Et quia dixi, strabositatem recentem curari, vt in pueris, Arabes fere omnes vnum modũ videntur tradidisse, vt si strabositas sit ad latera, & ponãtur lucernae ad partem oppositam, facile sit, vt error corrigatur. ijdem quoque praecipiunt, vt ponantur ad fenestras, ita vt lumen habeant oppositum parti affectae. iubent quoque, vt gemmae, & res rubrae ponãtur ad latus oppositum parti affectae, vt scilicet cũ volunt eas conspicere, distorqueant oculos in partem oppositam. Quod si strabositas sit, vel ad superiorem regionem, vel ad inferiorem, praecipiunt, vt pueri detineantur in situ aequali, ita scilicet vt non habeant caput magis eleuatum, quam reliquum corpus, deinde, vt si pueri strabositas sit ad partem inferiorem, lucerna ponatur post caput, quia dum volunt ipsam intueri, vertunt partem affectam ad superiorem. Si pars superior affecta sit, vt lucerna ad pedes collocetur: quia dum eam volunt videre, vertunt partem affectam ad contrariam. Hic est finis morborum humoris crystallini.

De affectibus humoris vitrei. Cap. 3.



VT hoc mirificum visionis opus perficiatur, non solum opus fuit, virtutem per neruos, tanquã per canales ad crystallinum demittere, & crystallinum ita excolere, quemadmodum audiuistis, verumetiam operaeprecium fuit, vt natura alia instrumenta pararet, quae nõ solum & virtutem, & operationem defenderent, verumetiam visionis famularentur. quae instrumenta duorum fuere generum, alia sicca, alia humida; sicca fuerunt tunicae omnes, & praesertim tunicae, quae ab Auic. vocantur extrinsecae, scilice quae extra humorẽ videntur, vt aranea, vuea, cornea, & adnata. Humida vero fuerunt humores duo, vitreus, & albugineus, seu aqueus appellatus. Cum autem vitreus magis intimus sit, expostulat ordo, vt ipsius morbos primum perquiramus.

Humor

Humor is, vt notat Auerroes 3.collect.cap.38.ab Arist.aqua fuit vocatus. Sed vt melius affectus huius humoris indagare possimus aequum est, vt huius humoris munus videamus. Factus est humor vitreus à natura, vt habetis 10.vsus part. & lib.de oculis, vt nutriat crystallinum, atque hoc est eius praecipuum officium. Est & aliud, vt veluti stratum quoddam complectatur, & contineat humorem crystallinum. Cum igitur haec sint eius munera, proculdubio morbi sunt illi, qui haec munera vitiant: vitiantur vero haec officia vitrei humoris, vel ratione nutrimenti, quod praebet, vel ratione cõplexus, & ambitus. Si ratione nutrimenti fiat vitium in humore vitreo, est vel quia non praebet bonum nutrimentum, vel quia non sufficiens. & notate, quod quae offendunt ratione nutrimenti, numquam dicuntur offendere propter nimium nutrimentum, quia vbi defectus est in copia nutrimenti, proficiscitur potius ex parte nutriti, quod plus attrahit; Similiter contingit vitium propter complexum, quando scilicet, ita latus, & amplus est iste humor, vt maiorem crystallini partem occupet, quam conueniat. Si humor vitreus minus nutrimenti praebeat, quam conueniat, fit visionis impedimentum, & fit coecitas, quia humor crystallinus orbatus proprio nutrimento, siccescit, & spiritus consumit internos: si vero non praebeat optimum alimentum, est eo, quia alimentum praebet crassius, & turbidius, vnde fit, vt humor crystallinus pessimo humore nutritus, operationes suas corrumpat, cum enim crystallinus deberet nutriri humore claro, & liquido, atque sanguis immediate non posset in hunc humorem conuerti, natura sagax machinata est, vt sanguis primo conuertatur in humorem vitreum, deinde facilius fieret transitus in crystallinum; ex quo videtis necessarium esse, vt vbi huiusmodi humor vitreus obscurus, & crassus est, debitum alimentum crystallino praebere nõ possit, quod si excedat hic humor in quantitate, fit vt cum complectatur maiorem partem crystallini, quam conueniat, non per totum crystallinum possint imagines recipi, & propterea isti, quamquam videant, non possunt tamen videre omnia, quae vident alij, eo quod in parte crystallini à vitreo obsessa non possunt imagines recipi.

Causae. Causae horum morborum sunt, multitudinis quidem huius humoris, sanguinis multitudo, venarum nutrientium ipsum multitudo, & humorum, qui commiscentur vitreo aliunde. Diminutionis vitrei causae sunt eaedem, quas intellexistis diminuere humorem crystallinum. Causae vero turbiditatis ipsius, aut prauitatis, nullae sunt aliae, quã prauitas sanguinis, quo nutrit̃ huiusmodi humor.

Signa. Signa, & curationes horum morborum dicit Alzarauius esse eadem, quae sunt humoris albuginei, quae omnia quoniam paulo

post

post fusius tractabimus, ne repetere cogar, dimitto ad eum locum.

Sed est hic non contemnenda difficultas, an vitreus humor, vel deprauatus, vel auctus, vel diminutus, possit immediatè loedere visum, ita, vt absque hoc, qui loedat crystallinum, loedat visum. Ex vna parte est Auicenna, quid tertia, tertij, tract.4.cap.primo, scripsit, humorem vitreum loedere visum, quia loedit glacialem humorem, loedere vero hunc humorem, quia nutrimentum aequale ipsi non subministrat. Est & auctoritas Galeni, qui, 2. de sympt. causis 2. nec non in lib. de oculis, cum disputasset longissime de morbis humoris albuginei, tacuit huius vitrei morbos, nec alia ratione hoc fecisse potuit, nisi, quia putauit vitreum hunc humorem nequaquã immediate loedere visum. Ex aduerso est ratio accepta à Galeno, qui, 10. vsus part. cap.14. probat visionem fieri in illa neruorum incruciatione; quod si ita est, necessario spiritus visiui, & imagines à crystallino ad hanc incruciationem tendentes, transeunt per vitreum humorem, in quo transitu possunt loedi ab ipso. Pro resolutione dicendum est id, quod dicit Auicenna verissimum esse, humorem vitreum non posse immediate visum loedere, & si loedit, fit quia humori crystallino nocet; ad rationem vero dico, quod spiritus visorij non transeunt per substantiam humoris vitrei, dum ad incruciationem feruntur, sed per tunicam retiformem, sicut videtur luculentissime docuisse Galenus 10. vsus part. cap.4. & 7. de placitis. Sed & alia grauior insurgit difficultas, an verè, sicut ex Galeno supposuimus, visio fiat in incruciatione, an potius in humore crystallino. Ex vna parte intellexistis magnopere laborasse Galenum 10. vsus part. 14. vt demonstraret oculatè visionem fieri in illa incruciatione, quam sententiam maior fere medicorum pars secuta est. Sed contra hanc sententiam sunt duae illustres Galeni authoritates, vna est 10. vsus part. cap.primo, quo in loco scribit, humorem crystallinum esse primum visionis instrumentum, est & alia authoritas 7. met. cap. 2. vbi scribit Galenus, ambulationem non esse totius cruris, sed musculorum, similiter visionem non esse totiꝰ oculi, sed humoris crystallini. Est & authoritas Auerrois 2. collect.15. vbi scribit, Galenum habuisse hanc sententiam, quod visio fiat in humore crystallino, & tunica aranea. Vnde acceperit Auerroes hanc sententiam, non admodum sum certus, suspicor tamen ipsum sumpsisse ex lib. de oculis. Pro resolutione huius difficultatis dicendum puto, id quod habetur apud Auicennam 3. de anima, cap.8. vbi scribit, prima simulachra rerum recipi in humore crystallino, sed tamẽ ibi non fieri visionem, ex quo loco colligo, duo esse visionis primaria instrumenta, vnum in quo visio inchoatur, alterum in quo perficitur. humor crystallinus est instrumentũ,

in quo viſio inchoatur, quia in ipſo primo rerum ſimulachra recipiuntur, in incruciatione perficitur viſio, quia ibi, vt demonſtrat Galeni ratio, viſionis iudicium conſumitur. Igitur quando Galenus 10. de vſu part. primo, ſcribit humorem cryſtallinum eſſe primum inſtrumentum, intelligendum eſt, eſſe primum quo ad tempus, quia ſcilicet in ipſo viſio inchoatur. & notate, mea ſententia Galenum eo in loco praua ratione vſum eſſe, vt etiam hac ratione illi authoritati detrahendum ſit. dicit, cryſtallinum eſſe primum inſtrumentũ viſionis, & probat argumento ſuffuſionis, quia, inquit, ſuffuſiones fiunt inter cryſtallinum, & corneam tunicam, ideo eſt primum inſtrumentum cryſtallinus humor; videatis quaeſo, quae ratio; nam probat non fieri viſionem in cornea, & vuea, non probat tamen fieri in cryſtallino; nam poſſumus dicere Galeno, obſtructis neruis, amittitur viſio, ergo poſt neruos opticos eſt viſionis inſtrumentum. quando rurſum Galenus ait 7. meth. praecipuã functionem viſionis eſſe in cryſtallino, reſpondendum, quod ibi comparat humorem cryſtallinum toti oculo, quia ſi cõparetur functio viſionis ad totum oculum, & ad cryſtallinum, proculdubio dicitur praecipue fieri viſionem non in toto oculo, ſed in humore cryſtallino.

De affectibus Tunicae Araneae. Cap. 4.



POſt humorem cryſtallinũ eſt aranea tela, quae obducitur cryſtallino: cuius functio haec vna videtur eſſe, vt ſcilicet determinet cryſtallinũ ab aqueo humore, quae tunica facta eſt leuis, & ſubtiliſſima, ne ſcilicet exitum radiorum, ſeu ſpirituum impedire poſſet. Et aduertite, multum erraſſe Auerroem, qui putauit non ſolum ex ſententia Galeni, verumetiam ex propria, viſionẽ fieri in hac tunica, & cryſtallino, quod decipiatur probari poteſt ex illo Ariſtotelis axiomatae, 2. de part. animal. cap. 2. vbi ſcribit, actiones omnes eſſe partium ſimilarium, vnde non poſſumus dicere aggregatum ex humore cryſtallino, & ex hac tunica poſſe eſſe inſtrumentum videndi, quia à diſſimilari fieret operatio. Vſus igitur huius tunicae, quando vitiatur, fit morbus in oculo. vitiatur autem, vel quia diſrumpitur, vel quia craſſeſcit, ita vt exitũ radiorum impediat. Si frangatur, fit morbus, qui apud Galenum lib. finitionum medicarum, appellatur ῥῆξις, ſeu fractio; & vitiatur viſio, quia confunditur humor cryſtallinus cum aqueo. Si vero fiat craſſior tunica, ita vt non ſit peruia, fit vt viſio maxime hebetetur, quoniam imagines confuſè repreſentantur, & quaſi omnia

velata

velata conspiciuntur. Nonnulli fuerunt, qui existimarunt, suffusiones, seu cataractas fieri in hac tunica; Sed quia apertissimum est hoc mendacium, vt videbitis, cum de suffusionibus tractabimus, nunc hos refellere non conabor.

Causae diffractionis huius tunicae, sunt concussiones, vulnera, contusiones, humores corrodentes. Causae vero crassefactionis sunt humores, seu vapores crassi, qui adhaerentes tunicae, agglutinantur, & eius perspicuitatem destruunt. *Causæ.*

Cognoscitur diffractio duobus signis praecedentibus, scilicet si vel contusio, vel vulnus, vel concussio, vel humorum acrium affluxus praecesserit. Altero signo cognoscitur, quia videtur contusus humor glacialis, & albugineus. Cognoscitur vero crassities, quia in profundo oculi, veluti tela quaedam apparet ante humorem crystallinum, cognoscitur, & alio signo ex Galeno. quia vbi aliquis vestrum intuetur oculum alterius, semper propriam imaginem videt in pupilla, haec imago proprie repraesentatur in hac tunica, vt videtur voluisse Galenus. itaque vbi est crassefacta, nō videbitis propriam imaginem, & notandum est, quod scriptum reliquit Plinius lib. 28. cap. 6. nempe in aegritudine, quandiu huiusmodi imago apparet, nullum mortis periculum imminere. *Signa.*

Diffractio tunicae nullo modo curatur, & videbitis miseros istos qui ex percussionibus, aut alia ratione discissam habent hanc tunicam, perpetuo oculis laborare. Crassefactio vero curatur medicamentis tum internis, tum externis, extenuatorijs, & exiccantibus, & attenuantibus. & haec tota curatio est eadem cum curatione imaginum, seu suffusionum, quam mox fusissime tractabimus. *Curatio.*

De affectibus humoris Albuginei. Cap. 5.



POst vitreum humorem, & tunicam araneam, positus est à natura alter humor in oculo, qui aqueus dictus est, & albugineus, non quod ouorum albumini assimiletur, vt credunt nōnulli, sed quia ei humori assimilatur, qui ex ouis dum coquntur emanat, vt praeclarissime hoc nobis Vesalius declarauit. Fuit fact⁹ hic humor, vt docet Galenus 10. vsus part. cap. 5. & 6. propter duos vsus: vnus est, vt disterminetur humor crystallinus à tunica vuea, alter vt irroretur humor crystallinus, ne exiccetur. Nemesius philosophus, & medicus summus, in lib. de natura hominis dixit, hunc humorem factum esse, ne crystallinus dum operatur continuo, siccior fiat, & ne ab aere ambiente offen-

datur;quomodo vero possit offendi ab ambiente humor crystallinus,accipite,scitis crystallum esse veluti glaciem, & propterea glacialem dici humorem,glacies vero ab aere primo liquatur, deinde siccatur;sic etiam, nisi natura praesupposuisset hunc humorem, poterat eliquari ab aere, & deinde exiccari, sicuti enim, qui volunt conseruare glaciem tempore aestiuo,reponunt eam in frigidissimis locis, ita natura volens hanc glaciem oculi conseruare, posuit ipsam post humorem amplum, qui suo frigore, & humiditate ipsam tuetur. addunt alij & hunc vsum huic humori, quod scilicet praestet ne lux repente ingruat in humorem crystallinum. Cum itaque hi sint vsus huius humoris, facile colligere possumus, quae vitia possit hic humor pati, nam vt scriptum est apud Galenum,& Auicenã, hic humor dum à propria natura recedit, ita vt visui noceat, vel patitur in propria substantia,vel in quantitate,vel in qualitate. In substantia patitur, si fiat,vel crassior, vel tenuior. In quantitate si vel augeatur, vel imminuatur. In qualitate, si perspicuitatem amittat, quod fit, si vel obscuretur, vel alium aliquem contrahat colorem. Si crassescat humor albugineus, ait Galenus, perfectio visionis amittitur,si crassities haec increscat amittitur visio: crassities porro, aut est in toto humore, & fit suffusio, de qua suo loco agemus: si vero non totus crassescat, sed pars, atque haec pars totam pupillam obumbret, fit etiam suffusio, si vero non totam pupil lam, sed solum centrum pupillae,omnia quae videntur apparent fenestrata,& perforata:si vero partes plurimae crassescant, fiunt imagines, de quibus suo loco. Auicenna appellauit hos morbos, mor bos ex siccitate, quo spiritu, ipse sicat. Si sciat humor iste tenuior, impeditur quoque visio, propterea quod lux cum non recipiatur, vt deberet primo in hoc humore albugineo, disgregat humorem crystallinum, & ipsi nocet, vnde fit, vt visio hac in parte labefactetur. Sed dicetis, nec Galenus,nec Auicenna, fecit mentionem tenuitatis huius humoris, dico non fecisse, vel quia cognito altero cõtrariorum, cognoscitur & alterum, vel quia huiusmodi vitium raro contingit, nam fecit mentionem huius Auenzoar lib.1.trac.8. cap.23.fecit etiam mentionem Alzarauius.

Si augeatur humor albugineus,impeditur etiã visio, propterea quod humor iste obumbrat crystallinum, ita vt ob nimiam vmbrã huius humoris non fiat perfecta visio.accedit, quod dum spiritus, seu radij visorij pertranseunt per multum humorem, hebetantur. Nemesius voluit oculorum glaucedinem oriri ex nimia huius humoris copia, sed de coloribus oculorum aliàs. Si minuatur humor albugineus, fit quoque impedimentum visionis, primo quia non recte imagines recipiuntur, secundo quia, cum non adsit in oculo

satis

ſatis frigoris, & humoris, non poteſt viſio perfici, dico hoc, quia Ariſtoteles in lib. de ſen. & ſenſ. & ſecūdo de part animal. 13. ſcribit, ad viſionem perficiendam neceſſarium eſſe & frigus, & humidum, & propterea aues, quarum corpora alioqui ſicca ſunt, habuiſſe ocu los valde humidos, vt ſcilicet poſſint acute cernere. Si obſcuratur humor albugineus, dicit Nemeſius, quod idem fit, atque in aqua turbida, in qua non poſſunt recipi colores, nec imagines; Auicenna dicebat, non apparere formā homunculi. Si colores alienos ſuſci piat, impeditur quoque viſio, quia res viſae eodem colore videntur infectae, quo infectus eſt humor. Vnde ſi humor albugineus ſanguine ſuffuſus ſit, omnia videntur rubea, ſi bile flaua, omnia flaua.

Cauſae craſſitudinis huius humoris ſunt tam humores, quam va pores. humores, qui vel intrant loco humoris albuginei, vel per to tum humorem diffuſi, eum alterant, & vitiant. Quod vero vaporibus craſſeſcat iſte humor, demōſtrat Auicēna duobus argumētis, vnum eſt, quia videmus in exterioribus, fumum, & vapores viſioni officere non parum, praeterea videmus omnia edulia, quae flatulenta ſunt, viſum obſcurare, & impedire, vt lentes, fabas. Igitur cauſae mediatae craſſefactionis huius humoris ſunt humores commixti, aut vapores. Cauſae vero mediatae ſunt omnes, quae poſſunt, & humores, & vapores iſtos gignere, vt ſunt balnea poſt cibum, crapulae, cruditates. Cauſae tenuitatis huius humoris ſunt eaedem, quas dicebat Auerroes 3. collect. 38. efficere ſpiritus ſubtiles, ſcilicet cauſae omnes calefacientes: vnde ardentes febres vehementes inflammationes, ſua immodica caliditate hunc humorem attenuant. *Cauſæ.*

Cauſae augmenti huius humoris ſunt humores, qui eo fluentes, vt dicebat Auerroes, eius molem non parum augent. vnde, qui catarrhis ad oculos capiuntur, ſolent hebetem habere videndi aciē: quaecumq; vero multiplicant huiuſmodi cruditates in capite, ſunt cauſae mediatae huius affectus. Cauſae diminutionis albuginei ſunt, vel ſiccitas, vel effluxus ſiccitas, quando vel ex vehemente febre, vel ex febre conſumptiua, & arida, vt hectica, vel phthiſica, vel ex euacuatione immodica, vel ex veneris vſu nimio huiuſmodi humor abſumitur: nam videbitis oculos ſubſidere eorum, qui vel febribus iſtis capiuntur, vel nimium euacuati ſunt, vel veneris vſum nimiū habuerint: & ratio eſt, quia humor iſte aqueus abſumitur. Exitus vero, ſeu fluxus eſt cauſa diminutionis huius humoris, quando vel ob corroſionem, vel ob vulnus illatum, vel ob perforationem cataractarum, male adhibitam, humor iſte defluit, & exit. *Cauſæ.*

Cauſae

Causae obscuritatis sunt crassities humoris, & nigrities, qui miscetur, & etiam facit, vt alieni sint colores in oculis, quia si ichor, aut vapor biliosus, aut bilis, huic humori misceatur, apparent omnia alba, si sanguineus, omnia rubra. Cur vero fiant obscuritates ex commixtione horum humorum, & praesertim crassorum, dicit Auicenna esse, quia amittitur luciditas, cum humor iste, qui deberet esse politus, & loeuis, fit asper, & inaequalis ob commixtionem humoris crassi.

Causæ. Circa causas horum affectuum quatuor occurrunt problemata. Vnum est, si humor coloratus commixtus albugineo facit res coloratas videri, cur in ictericis, quorum oculi toti sunt lutei, & flaui, non appareat hoc symptoma; nam tametsi istis omnia amara gustui videntur, non tamen omnia, quae videntur, flaua apparent. Secundum problema est, si multitudo humoris albuginei nocet visui, an pueri necessario habent visum hebetem; nam hac ratione videretur esse, quia, vt habetis ab Arist. 2. de part. animal. & 2. de generat. animal. cap 4. oculi infantium sunt magni, & admodum humidi, ita vt ait Aristoteles, continuo subsideant magis, & siccentur. tertium est, an sicuti diximus, ex crassitudine spirituum visibilium longinqua magis videantur, quam propinqua, quod quidem videtur asseruisse magnus Razes 2. cont. cap. primo, & Arist. 5. de generatione animal. cap. primo.

Quartum problema omnium difficillimum, & pulcherrimum est, an varietatem oculorum, vni homini, vt dicebat Aristoteles attributam, possimus adscribere quantitati, vel paucitati huius humoris, vt multi voluerunt.

Pro primo problemate dicendum est, vt res extrinsecae coloratae videantur, necessarium esse alterum duorum, vel vt tunica cornea, qua parte pupillam tegit, sit colorata, vel vt humor iste sit coloratus; vbi igitur neutrum horum est, non est necessarium, vt res coloratae appareant: iam vero in ictericis neutrum horum contingit, neque enim flaua bilis commixta est humori albugineo, neque etiam ea parte cornea tunica infecta est; ratio est, quia in ictericis, bilis quidem diffusa est per vniuersum corpus, sed in venis latet tam magnis, quam subtilibus, venae autem non sunt in humore albugineo, neque etiam sunt in ea parte corneae, & si quae sint, vsq; adeo exiles sunt, & breues, vt nihil efficere possint. quod vero dicunt antiqui aliqui Poetae, & Galenus etiã tum primo de symp. causis 2. tũ in lib. de cculis 5. ictericis omnia flaua videri, id neq; à quopiam alio medico antiquo fuit proditum, neque experientiae consonat, vt fusius nos in 6. variarum lectionum explicauimus.

Ad secundum problema respondetur, quod pueri quidẽ habent

oculos

oculos magnos, & humidos, sed non propter humorem aqueum, verum propter alias partes, quae sunt totae humentes, & hoc verum esse ex sententia Arist. videamus; dicit ipse quinto de generatione animal. primo, pueros habere oculos glaucos, & glaucedinẽ fieri ex paucitate huius humoris. sequitur ergo, quod in pueris hic humor aqueus non sit multus, sed eorum oculi sunt humidi, & magni propter alias partes oculi repletas humore. possumus & aliam adferre respõsionem, scilicet pueros etiam habere hunc albugineũ humorem plurimum, atque etiam ob hoc non admodum acutè cernere. Sed ex quo conijcis tu pueros non acutè cernere? ex hoc, quod delectantur multa luce, lucernis, & candelis, quod signum potest esse pueros ipsos nõ ita acute cernere, queadmodũ adultiores.

Ad tertium respondendum est, humorem albugineum sua crassitie idem efficere, quod diximus crassos spiritus facere, scilicet quod remotiora melius videantur, propinquiora vero deterius. Sed aduertendum est hunc humorem non facere huiusmodi symptomata per se, sed per accidẽs, hoc modo, vbi humor iste multus est, multum quoque est frigus. iam vero, vt dicebat Auerroes 3. collect. 38. frigus crassefacit spiritus, calor attenuat; si igitur humor iste sua multitudine, & suo frigore crassefacit spiritus, hac ratione dicemus facere, vt longinqua magis videantur, propinqua minus, id quod tribuebamus spiritibus crassis, vel subtilibus, vt intellexistis. Igitur dicendum est, paucitatem, vel multitudinem huius humoris aquei facere haec symptomata, non per se, sed per accidens, scilicet attenuando, vel incrassando spiritus.

Ad quartum, & vltimum problema, quod difficillimum est, & & à nemine animaduersum, cur scilicet solus homo, vt dicebat Arist. varietatem colorum oculorum habeat? dicendum est, varias fuisse scriptorum sententias circa horum colorum generationem; alij enim adscribendos dixerunt lumini, & luci ipsorum, qualis fuit Empedocles; alij paucitati, & multitudini humoris aquei, in qua sententia fuit Aristoteles: fuit & Galenus, sed diuersimode quia Aristoteles colorem nigrum multitudini huius humoris, Galenus paucitati tribuit; colorem glaucum Arist. humoris paucitati, Galenus multitudini. Fuerunt alij, inter quos fuit Andreas Vesalius, qui putarunt huiusmodi colores varios oculorum oriri ex varietate colorum interioris tunicae vueae, & fuerunt etiam grauissimi viri, qui mirati sunt Galenum, quod cognouerit varietatem colorum huius tunicae, & non tribuerit huiusmodi causae. Sed vtcunque sit, non habetur perfecta problematis à me propositi resolutio, siue sit ex paucitate humoris aquei, siue ex varietate colorum tunicae vueae, non habetur cur homo varios colores in oculis gerat, quod non est

concef-

conceſſum vlli alteri animali: nam Ariſt. primo de hiſt.animal.& 2. de generatione animal. clariſſime profeſſus eſt, vnamquamque ſpeciem animalium habere proprium quendam oculorum colorem, vt boues vnum habeant, caprae alterum, & tamen quodlibet indiuiduum in eadem ſpecie vnum, & eundem colorem habet, quod non reperitur in homine, quoniam inter homines alij oculos habẽt glaucos, alij nigros, alij ſubuirides, alij alio colore infectos. quomodo igitur adinuenienda eſt cauſa huius difficultatis in varietate? puto eadem ratione inueniẽdam eſſe cauſam hanc, qua inuenitur, cur homines inter ſe vſque adeo diuerſi ſint: nam facile erit vobis in genere equorum non ſolum duos, & tres, ſed mille equos maxime ſimillimos reperire; inter animalia coetera ſimiliter: in ſpecie vero humana vix vnum inuenietis alteri ſimilem, & habetur apud Plinium hiſtoria illius, qui vendiderat duos pueros alteri tamquam gemellos, cum poſtmodum repertum fuiſſet, non eſſe gemellos; qui emerat volebat reddi praecium, qui vendiderat dicebat, immo debent tibi eſſe cariores, quia non ſunt gemelli, & ſunt quam ſimillimi. Sed quae erit ratio? erit eadem, qua fit, vt filij oriantur diſſimiles patribus, nam non aliunde dependet varietas in indiuiduo, niſi quia filij non naſcuntur parentibus ſimiles, ſed cur non naſcuntur ſimiles? multae fuerunt ſententiae. Aſtrologi hoc tribuerunt adſpectuum diuerſitatibus, ſub quibus naſcuntur homines. Empedocles adſcripſit imaginationi mulieris concipientis. Stoici adſcripſerunt varietati ſimulachrorum tempore coitus in animis coeuntiũ obuerſantium. Ariſtoteles 10.part.probl.12.quaerens, cur in genere humano ita diſſimiles fiant homines parentibus, dicit, duobus de cauſis id fieri, vna quia uir, & mulier vago ſunt animo, dũ coeũt, ita vt prout phantaſmata vtriuſque varia, & diuerſa ſunt, ita quoq; conceptus ſub illis imaginibus varij, & diuerſi figurantur. Altera (ſed leuiter haec eſt,) quia eo tempore ea non obſeruantur, quae concipere volentibus neceſſario obſeruanda ſunt, & quod hippiatri neceſſario obſeruant, vt equi reddantur ſimillimi parentibus. Igitur concludo cauſam varietatis oculorum eſſe eo, quod homo inter cuncta animalia in ſua ſpecie diuerſiſſima, & diſſimillima habet indiuidua, quia in hoc genere diſſimiles valde filij parentibus generantur, hoc vero fit, quia homo in eo actu varijs phantaſijs, agitatur, bruta vero in eo tota ſunt, vt non mirum ſit, ſi non ita diuerſos conceptus, & varios figurent.

Sed circa huius poſtremi problematis reſolutionem adhuc nonnihil remanet dubij, quomodo ſcilicet poſſit ea ratione, quae à nobis allata fuit, contingere, vt ſolum in genere humano tanta colorum in oculis varietas appareat, quod facit dubitationem eſt, quia

tribueba-

tribuebamus hoc varietati imaginum, quibus vir, & mulier agitantur in coitu, tamen Aristoteles primo de hist. animal. cap. 10. scribit, etiam varietatem oculorum interdum contingere in genere equorum, itaque non videtur sufficiens ratio allata. Respondeo Aristotelem verè dixisse, varietatem etiam in equorum oculis reperiri, sed consideranda sunt in hoc verba Arist. nam dicit, interdum oculos equorum fieri coesios. i. glaucos, ex quo videtur hoc non esse perpetuum in hoc genere, quemadmodum in humano, & idcirco propter hoc non posse negari, quin ea ratione solus homo habeat hanc varietatem: possumus dicere & aliud, glaucedinem in equis esse quandam exiguam nigredinem dilutam, non autem glaucedinem, vel possumus dicere, hoc genus animalis maxime assimilari homini, vt scilicet ipsum etiam imaginatione, & phantasia, seu aestimatione, vt dicebat Auicenna, tunc temporis sollicitetur; nam quicunque versati sunt in lib. Arist. videbunt eum saepe coniungere in multis equum, & hominem, veluti quando dicit, foemina, & equa abortiuntur propter foetorem lucernae extinctae. Similiter quod homo, & equus canescunt, quod foemina, & equa postquā conceperunt, patiuntur congressum, ita vt non sit mirum, quod in varietate colorum oculorum equus nonnihil similitudinis gerat cum homine.

Signa. Sequuntur signa horum affectuum, & primo crassefactionis huius humoris, dicebat Galenus primo de sympt. causis 2. in hoc vitio contingere, vt remota non videantur, & propinqua non rectè. Praeterea si quis conspiciat, videbit nonnihil in pupilla crassitiei apparere, quod indicabit crassitiem humoris albuginei. Si crassities haec augeatur, impeditur ex parte visus, vel totus, & quando totus impeditur, apparet veluti crassum velum ante pupillam, si autem tota pupilla non cooperiatur, apparent res fenestratae, & alia de quibus in sequentibus. Tenuitatis signa sunt, quod pupilla valde splendida apparet: ad haec, visus diminuitur. Causae vero, quae praecesserunt, hoc vitij genus poterunt indicare, vt febres, euacuationes, & alia, quae solent exiccare, & attenuare. Si augeatur humor albugineus, cognoscetis, quia totus oculus augebitur. ad haec scribit Alzarauius, laborantes aucto hoc humore rectius videre propinqua, quam longinqua. Signa diminutionis sunt, quod diminuitur totus oculus, diminuitur quoque visio, atque inter alia signa, sunt causae, quae praecesserunt exiccatoriae, aetas, vt si videatis senem laborare visu, atque imminutos esse oculos, intelligetis hoc mali genus oriri ex albuginei diminutione. Si obscuratur huiusmodi humor albugineus, cognoscitur, quia non apparet facies inspicientis in pupilla; ad haec color etiam oculi permutatus

eſt ad nigredinem, & ad obſcuritatem; Similiter ſi mutatus ſit color ad flauitiem, vel ad rubedinem, non facile poteſt dignoſci oculis, ſed ex eo, quod viſa apparent colorata eodem colore, qui intus in oculis eſt. Hoc notare debetis, in ijs ſignis omnibus eſſe omnia plane coniecturalia, eo quod, vt dixi, ſaepius haec eadem vitia poſſunt originem habere aliunde, licet tamē ſint coniecturalia, nihil refert ad curationem, quoniam eadem curatio debetur ſiue ſit malū in aqueo, ſiue in vitreo, ſiue in glaciali humore.

Prognoſtica. Signa prognoſtica harum affectionum, ſunt, quod omnia vitia albuginei facilius curantur, quam aliorum humorum; ratio eſt, quia hic humor ſua natura magis paſſibilis eſt; Praeterea magis etiā expoſitus remedijs, ita vt facilius remedia ad ipſum peruehantur, quam ad alios: Eſt tamen ſciendum, inueterata haec vitia, aut vt dicebat Auenzoar, perfecta, vel numquam, vel difficillimè ſanari. ſanantur autem facillimè ea omnia, quae fiunt à copia, vel craſſitie humorum, rationem adferebat Galenus locis citatis, quoniam facilius eſt conſumere humiditatem exuberantem, quam deficientē reſtaurare, & reficere. Eſt dubitatio de diminutione huius humoris albuginei, an ſcilicet ſit facilis curatu, nec ne: nam non videtur poſſe diminutio ſanari authoritate Ariſtotelis 2. de generat. animal. 4. vbi dicebat, oculum, & cerebrum eiuſdem generationis, & naturae eſſe, ſed cerebrum eſt pars ſeminalis, partes autem ſeminales non poſſunt reſtitui, ergo neque hic humor vmquam poterit reſtitui. tamen videmus experientiam aduerſari huic ſententiae, quia videbitis interdum in morbis oculos ſubſidere ob exhauſtum hunc humorem, videbitis item eoſdem oculos eleuari, & magis tumere ob reſtauratum ſcilicet humorem albugineum. Nonnulli, vt ſatisfacerent huic difficultati, dixerunt, humorem albugineum non eſſe partem ſeminalem, ſed excrementum humoris cryſtallini, quod habetur in libro de Anat. viuorum ſub Galeni nomine edito, ſi eſt excrementum, ergo poteſt refici, & abſumi. ſed liber ille inter multa abſurda, quae habet, iſtud non eſt infimum. ideo non eſt, quod curemus eius authoritatem, quoniam hic humor nullo modo excrementum eſt, ſed generatur continuo ab humiditatibus à cerebro demiſſis, vt alij humores corporis à nutrimentis, remque ita ſe habere inde apparet, quod vbi cerebrum humidiſſimum eſt, oculus humidiſſimus eſt, vbi cerebrum exiccatur, oculus ſimiliter exiccatur, ita vt haec pars omnino videatur ſequi naturā cerebri. dicerem igitur hunc humorem, vel totum poſſe auferri, vel ſecundum partem, ſi totus auferatur, numquam poteſt reſtitui, ratio eſt, quia ſtatim concidunt tunicae, ita vt non ſit amplius locus medicinae, ſi vero ſecundum partem ſolummodo diminuatur, poteſt reſti

tui

tui eo modo, quo ſanguis, & alij humores, modo minuuntur, modo reſtituuntur.

Curatio vitiorum huius humoris ad tria capita reducitur: vel ad ſimplicem humorum copiam, vel ad humorum qualitates, vel ad exiccationem, & inanitionem. In copia humorum haec erit curationis ratio, quae à nobis allata eſt in craſſefactione ſpirituum ex humore, vel ex ſpiritibus, vt ſcilicet primo inſtituatur ea victus ratio, quam intellexiſtis, deinde diligenter vacuetur corpus, deinde caput per medicamenta, per nares, & os, demum ad collyria deſiccantia, & diſcutientia deueniatur. In qua re debetis illud obſeruare, vt medicamenta adhibeatis ocularia, vel ex ſolis ſuccis, vel liquoribus, vel ex pulueribus aromatum, vel ex pulueribus aromatum ſimul, & metallorum. metallica ſola vt adhibeatis in hoc caſu non facile indulgeo, eo quod non ita ſint neceſſaria, cum etiã aromata poſſint praeſtare beneficium, ſintque valde periculoſa, quia ſaepe exurunt tunicas, & conſumunt. Similiter dedebunt, & omnia alia ad hunc finem tendere, vt exiccent, & attenuent; propter quod iure Auicenna in ijs caſibus videtur commendaſſe, vt potius aſſati cibi, quam elixati exhibeantur. Si ſit vitium ex qualitatibus humorum, erunt purgandi humores medicamentis accommodatis, veluti, ſi atri humores faciant malum, purgandum erit corpus medicamentis euacuãtibus atram bilem, in quo genere elleborus accommodatus eſt, non modo ore acceptus, verumetiam naribus attractus; Similiter ſi bilis abundet, erit primo purgandũ corpus per inferiora medicamentis bilem ducentibus, deinde erit bilis purganda e capite; & ego ſoleo modo puluerem rhabarbari naribus infundere, modo eiuſdem decoctum. inueni quoque rhabarbarum in ſuccum redactum, & oculis extrinſecus applicitum omnes has tenebras ex humore bilioſo diſcutere. Sic quoque ſi pituita hunc humorem infeſtet, poterit proprijs medicamentis euacuari. Ex aduerſo vbi malum fit ab exiccatione, vel euacuatione, nutriendum eſt corpus optimis cibis, humectantibus ſcilicet, ac probum ſanguinem generantibus; ad haec fomenta extrinſeca, quae humectent, maxime conueniunt, vt fomenta ex lacte, ex decocto meliloti, & maluae, ſed & ego inueni experientia maxime refici hunc humorem, ſi oculus ſubſidens à puerulo tenerrimo inſuffletur, nam halitus huiuſmodi puerorum eſt totus plenus calido quodam humido temperato, quod quia amicum eſt oculis, facilè viuificat oculos; facile etiam reficit humidum amiſſum. Poſtremo animaduertere debetis, Auicennam alioquin diligentiſſimum, omnes fere huiuſmodi curationes omiſiſſe, puto hac ratione ductum, quia vt mox dicebam, omnes fere huiuſmodi curationes re-

Curatio.

ducuntur ad vnum genus, vt scilicet, quomodo didicistis curādas visus aegritudines in spiritibus ob humores crassefactos, sic etiam putetis incedēdum esse in curatione aliorum humorum, vel crassefactorum, vel ob abundantem humiditatem impeditorum. immo scribit Auenzoar lib. 1. tract. 8. cap. 13. Galenum dimisisse tractationem huiusmodi aegritudinum, quae non habent manifestas demonstrationes, propterea quod difficillimum est huiusmodi partium vsum causas, & vitia ita exquisitè dignoscere, quemadmodum necesse est.

De imaginibus oculis obuersantibus. Cap. 6.



Irca albugineum humorē fit aliud vitij genus, quod Latini, & Arabes medici vocarunt Imagines. Galenus 4. de locis aff. 2. & primo, de sympt. causis secundo, vocat hunc morbum φαντάσματα. In hac affectione hoc contingit vt semper ante oculos videantur corpuscula quaedam varia moueri, quae vere apparent ante oculos. Dico varia simulachra apparere, quia interdum videbitis aegros accusare muscas, interdum cimices, nonnumquam capillos, saepe etiam catenas, aut aliquid simile. Dico quoque, has formas moueri, & volitare, vt distinguantur à suffusionibus, quia quaecunque in suffusionibus apparent, numquam mouentur, sed semper firma manent. dico vere apparere haec simulachra, vt distinguam à corrupta imaginatione, in qua interdum videntur, & accusantur hae imagines, sed non vere apparent, quod genus contingit in phrenitide, & melancholia. Sed dicet aliquis vestrum, quomodo dicis has formas moueri? quoniam Auicenna tertia tertij, tract. 4. cap. 8. scribit, hunc morbum fieri ob stationem humoris. igitur non ob motum. dico stationem apud Auicennam significare existentiā rerum, existentia porro dicitur tam de re, quae mouetur, quam de ea, quae immobilis manet. Est haec affectio inter symptomata laesae actionis visoriae deprauatè, nam videntur ea, quae videri non debent, vt iure visus deprauatus esse dicatur. Morbus à quo dependent haec symptomata, est morbus in via, & in numero. In via, quia ante foramen vuae sunt corpora, quae esse non deberent. In numero, quia adest, materia, quae adesse non deberet. De loco proprio, vbi fiunt haec simulachra, non videtur inter omnes authores constare; ego tamen existimo, fuisse Galenum, & Auicennam in hac sententia, locum proprium esse inter corneam, & crystallinum humorem, ita scilicet, vt possint

fieri

fieri tum in ipſo humore aqueo, tum etiam inter cryſtallinum, & corneam. Nec miremini Galenum primo Prog.24. ponere has imagines in ipſo humore albugineo: quia loquitur eo loco ſolum de imaginibus, quae fiunt ex indigeſtione. An poſſint iſtae imagines eſſe etiam extra oculum in aere? ego puto omnino nugas eſſe, quia ſi eſſent in aere, vel verè eſſent, vel non, ſi vere, non eſſet morbus; quia videre in aere imagines, quas alij non vident, proficiſcitur ex bonitate viſus, non autem ex vitio. Si vero apparerent, & non eſſent, hoc quidem eſſet vitium imaginatiuae corruptae, potius, quã viſus. Dico imaginatiuae corruptae, quia multi ob timorem, cũ habeant imaginatiuam corruptam, videntur ſibi videre imagines, quae non ſunt; audietis ſaepe aliquos, qui dum nocte ambulant, referunt ſe videre varias imagines, quod non aliunde proficiſcitur, niſi quia ob timorem imaginationem corruptam habent, ob quam corruptionem, putant ſe videre, quae non vident, & de hoc etiam, vt medici, poteritis reddere cauſam aliquorum, qui dicunt, ſe nocte videre doemones; dico vt medici, quia ſecus eſt loqui, vt Chriſtiani. Hoc in loco volo vos pulcherrimum adnotare, neſcio an dicam errorẽ Ariſtotelis, vos iudicabitis, ſat eſt à nemine fuiſſe animaduerſum. Ariſtoteles 3. Meteor. tex. 15. ſermonem habens de Iride, refert caſum, & hiſtoriam cuiuſdam, qui perpetuo videbat imaginem, quae ex aduerſo ipſum inſpiciebat. reddens rationem huius Philoſophus, ait, hoc fuiſſe ob debilitatem viſus, quia radij eius, cum eſſent debiles, non poterant permeare aerẽ, vnde ab aere reflexi, reddebant imaginem. Hoc quoque confirmatum habetis apud Senecam primo quaeſtionum nat. cap. 3 ſed ſicuti concedo Ariſtoteli, & Senecae potuiſſe contingere, vt aliquis ſemper ſuam viderit imaginem, tamen non exiſtimo hanc fuiſſe huius euentus rationem; atque ad hoc credendum duobus maximis argumentis impellor, vnum eſt, quod ſi ob debilitatem radiorum hoc contingere poſſet, quaero ab Ariſtotele, cur alij, qui laborant extrema debilitate viſus, vt myopes, & nyctalopes, hoc non patiuntur, deberẽt enim hoc etiam pati, ſi debilitas radiorum hoc efficeret, ſed hoc nequaquam contingit. Igitur haud conſona videtur Ariſtotelis, & Senecae ratio. accedit & aliud, quod Ariſtoteles: hoc in loco videtur deſciſcere à ſuo placito, nam fuit dogma peripateticorũ, viſionem non fieri per extra miſſionem radiorum. Sed cur Ariſtoteles hoc in loco à ſuo placito recedat, aliqui cauſam reddunt, quod nihil hoc referat. At Galenus 10. de vſu part. & 7. de placitis cap. 5. agit aduerſus hos, & demonſtrat Ariſtotelem erraſſe, quia aut ſuppoſitum, quo probat Ariſtoteles hunc euentum, eſt verum, aut non, ſi verum, ergo eſt vera medicorũ ſententia, quod viſus fiat per extramiſſionem,

missionem, si falsum, quomodo vult hunc euentum falso supposito probare? Igitur videntur mihi posse medici huiusce euentus rationem melius, quam Aristoteles, reddere, idque possumus ex hoc ipso morbo, quē tractamus, demonstrare. Galenus primo de sympt. causis 2. scribit, interdum contingere, vt ante pupillam humores quidam consistant, quos qui habent, videntur videre imaginem. & aduertite, Galenū hoc in loco vti hac voce idolon, cum alias dicat phantasma, quasi in hoc casu, quod apparet, sit imago aliqua corporis. Igitur hoc constituto Galeni dicto, existimo, eum, cuius meminere Aristoteles, & Seneca, passum fuisse hunc morbum, quod scilicet haberet humores ante pupillam, qui referrent imagines; & id hac coniectura demonstro, quia si fuisset ratione aeris, prout aer magis, vel minus mutatur, sic debuisset illa imago mutari, quod quidem non est necessarium, vbi quis in oculo portat causam illā, & imaginem. Quod si hoc non placet, possumus etiam hunc euentum alia ratione tueri, qđ scilicet bonus ille vir corruptam imaginationem haberet, & imaginaretur, quod non erat. Confirmare id licet ex Alex. Aphrod. & Olympiodoro, qui eo in loco dixerūt hunc fuisse Antipherontem Oritanum, cuius mentionem facit Aristoteles lib. de memoria, & reminis. erat autem Antipheron ille insanus, quia imaginationem corruptam habebat, si enim quandoque videbat aliquem, existimabat se semper videre, & putabat se recordari, eo quod phantasmata praeterita, & praesentia reputabat. Quod si talis erat, fieri potuit, vt ratione imaginationis corruptae hoc contingeret, nō autē, vt Aristoteles, & Seneca dixerūt.

Sunt igitur hae imagines, vt audiuistis, vapores concreti seu humores existentes circa humorem albugineum: sed circa hanc determinationem occurrit grauissima, & difficilis dubitatio, quia Aristoteles 2. de anima tex. 116. scribit, sensibile positum supra sensum non facere sensationem. Quomodo igitur, quod est intra ipsum sensorium poterit videri? In hac dubitatione inuenio scriptorum diuersas esse sententias, sed quae magis validae fuere, duae sunt; vna, quod duplex est visio, alia perfecta, alia vero imperfecta, imperfectam appellant, quae fit sine medio: perfectam, quae fit cum medio. Dicunt isti, Aristotelem eo in loco intellexisse de sensatione perfecta, in qua necessario requiritur medium, & imagines quae videntur, non videri perfecta visione, sed imperfecta, ita vt non sit mirum, si sensibile hoc positum supra sensum videatur. haec sentētia duabus rationibus mihi placere non potest; vna, quia Aristoteles aperte profitetur in omni visione, quaecunque sit, requiri medium, igitur haec distinctio vana est, & numquam ab Aristotele excogitata: Altera ratio est, quia si hoc verum esset, possemus

mus dicere, vueam tunicam debere conspici, hac scilicet visione im perfecta, sed clarum est colores vueae tunicae à nemine videri. Igitur in somnium est huius visionis imperfectae. Altera opinio est, quod duplex sit visio, altera per proprias imagines rerum, seu positiua, altera per imagines alienas, per priuationem; vbi dicunt isti, debēt videri res ꝑpropriás imagines, necessariū est mediū, vbi vero res priuatiuè, seu ꝑ alienas imagines videndae sunt, nō est necessariū; quomodo autem priuatiuè videantur, declarant, quia vel res, quae sunt ante oculos, sunt peruiae, vel non, si sint peruiae, videntur res externae coloratae colore illarum rerum, si non sint peruiae, aut obturant totam pupillam, atque ita faciunt coecitatē, aut obturant partem, & qua parte obturant, cum res non videantur per se ferunt imaginem obscuritatis, & nigredinis, ita vt secundum istos imagines, quae videntur, nihil aliud sint, nisi partes illae rerū externarum, quae non conspiciuntur, quemadmodum dixerunt aliqui de maculis Lunae, existimantes illas nihil aliud esse, quam partem Lunae, quae non videtur. Haec opinio plurimos fautores habet, & fere à maiori authorū parte comprobata est. Sed ego eos vt damnem multis rationibus adducor, prima, quia si imagines essent partes rerum externarum non visae, sequeretur numquā, vbi adsunt istae imagines, res integras videri, sed hoc falsum est, quia saepe videbitis homines laborātes hisce apparitionibus, nihilominus res integras videre. secunda ratio est, quia si hoc verum esset, sequeretur, imagines formari secundum corpora externa, sed hoc experientia falsum probatur, quia apparent interdum cimices, interdū catenae interdū pili, q̄ formae, & figurae multū abest, vt possint. ita formari à rebus externis tertia ratio est, quia si hoc ita esset nō ita crebro deberent permutari huiusmodi figurae, sicuti permutantur, qđ si permutarent, necessario quoq; imagines rerum visarū variae apparerent, quia si catena apparet, eo quod pars rei visae non videatur, profecto deberet aliqua similis forma, aut non admodum dissimilis, in re visa esse. quarta ratio est, quia formae huiusmodi semper deberent apparere nigrae, & obscurae, vt suntmaculae Lunae, sed hoc falsum est, quia interdum cinereae, & albicantes, saepe nigricantes conspiciuntur. accedit his omnibus authoritas Galeni, qui primo Progn.tex.24. scribens in humore albugineo aliquibus fieri apparitiones suffusis similes, ita scribit, quando humidum atrum opponitur, vel crassum prohibens radios visibiles, quo minus exeant, ibi apparet imago secundum humidi consistentis naturam, ex quibus verbis clare habetis apud Galenum, has imagines positiuè non priuatiuè fieri ab humido consistente ante pupillam. quid igitur dicendum est in hac difficultate, quae magna est,

&

& diu torsit multos medicos? Tentabo sententiam meam in hac re explicare, quam vt certam habeatis, quatuor sunt mihi supponẽda breuiter. Primum est, visionem, vt saepe diximus, non solum fieri per receptionem specierum, vt crediderunt Peripatetici, sed per extramissionem radiorum, seu spirituum, & per receptionem specierum medijs radijs. Alterum est, quod radij isti visuales non solum referunt species ad humorem crystallinum, sed species illustratas à luce, si debet fieri visio; hoc demonstro, quia si in tenebris quis aperiat oculos, radij visuales exeunt, species rerũ sunt in aere, commiscentur species radijs, sed cur non fit visio? quia species illae non sunt à luce illustratae, ita vt possit fieri visio. Tertium est radios ipsos recta per pupillam à crystallino vsque ad corpora videnda ferri, quod luculentissimè demonstratum habetis à Galeno 10. vsus part. & primo de placitis, quinto. Quartum, & vltimum suppositum est, non omnia corpora reddere de se species, sed solummodo terminata, quia quis est, qui videat aerem, qui cum sit corpus interminatum, nõ facit species. his positis, dico breuiter, veram esse sententiam, quod res externae videndae positae supra oculum non videntur, ratio est, quia etsi species, seu radij visuales exeuntes à crystallino humore attingunt speciem ipsius rei, quia tamen carent luce species, non sunt illustratae, ideo non potest fieri visio; secus est de imaginibus, quia imagines videntur, cum species ipsarum sint illustratae à luce, nam si oculos claudat, qui laborat imaginibus, vel manum supra oculos ponat, non videbit has imagines; ratio est, quia radij non sunt illustrati, vident vero apertis oculis, eo quod radij visuales exeuntes redeunt illustrati, itaque vt species extimas obiectas, sic quoq; intimas receptas, cum sunt illustratae, referunt, & hoc apparet, quia cum imaginibus videntur & aliae res, propterea quod sicut radij illustrati referunt species extimas, ita & internas sibi obiectas. Atque sic tertij problematis potest reddi ratio.

Cum igitur imagines in oculo videantur, eo quod radij extima luce illustrati, dum redeunt, species existentes in oculo referunt ad crystallinum, causa sciri potest multorum, quae circa hoc contingunt. Primo cur huiusmodi imagines neque nocte, neque in aeris caligine inspiciantur, siquidem cum sint admodum pusillae, opus habent multa luce, & quia nocte, & sub vesperam lux est admodũ exigua, fit vt istae imagines non videantur. Potest quoque sciri, cur vuea non videatur, quia radij, seu spiritus feruntur per foramen vueae, neque vueam ipsam attingunt; accedit quod nulla in albugineo humore est vueae species, vt possit reportari à radijs ad humorem crystallinum. Sic etiam intelligi potest, cur cornea nõ videatur, cum sit ante pupillam, quia scilicet est adeo subtile corpus,

vt

vt fere interminatum ſit, iam vero dixi ſpecies ſolum facere corpora terminata. Poteſtis etiam intelligere & aliud, cur ſcilicet in ſumma luce, quando ante oculos ponuntur res nigrae, & virides, huiuſmodi imagines non conſpiciuntur, ſicut quando oculos ad ſolem, aut ad res albas conuertitis; ſiquidem ex inſpectione rerum obſcurarum diminuitur lux, & radij non ita illuminantur, & cum illuminati non ſint, non poſſunt referre ſpeciem rerum exiſtentium in oculo. Atque hactenus de natura imaginum. Ipſarum autem differentiae plurimae ſunt, quia aliae perpetuae, aliae vero interpolatae, aliae recentes, aliae antiquae ſunt, aliae capillos referunt, aliae muſcas, aut aliquam aliam figuram, aliae ſunt nigrae, aliae citrinae aliae per eſſentiam in capite, aliae per conſenſum. Et aduertite me dixiſſe per eſſentiam in capite, & non in oculo, propterea quod huiuſmodi imagines fieri nequaquã poſſunt eſſentiales in oculo, ſemper autem ad ipſum oculum mittitur materia.

Cauſae materiales, & immediatae ſunt, vel vapor craſſus, vel humor, vt plurimum. Et notate, me dicere, vt plurimum, propterea, quod fiunt eae imagines interdum à vaporibus ſubtilioribus, & hae ſunt adeo leues, & momentaneae, vt fere à medicis non curentur. Dixi quoque, vt plurimum, quia Auicenna ſcribit, interdum obſcuriſſimas maculas eſſe in cornea, quae faciũt imagines, tametſi ab alijs non videantur. Sed hoc licet ego fieri poſſe putem, exiſtimo tamen, hoc non eſſe adeo vitioſum, & potius moleſtiam parere, quam morbum. Sunt itaque cauſae immediatae, & materiales humor, & vapor craſſus, qui poſſunt eſſe varij, & diuerſi; nam interdum provided bilioſi, interdum melancholici, interdum ſanguinei, plerunq; pituoſi. Inter eas cauſas videtur Auicennas, & aliam poſuiſſe, ſcilicet intemperiem aliquam albuginei humoris. Cauſae porro mediatae, & efficientes, ſunt caliditas capitis, iecoris, meſerei, & hypochondriorum; adnumeratur ab Auicenna, & acuitas viſus inter has cauſas, quia, vt intellexiſtis, debetis ſcire, nullum eſſe corpus adeo exquiſite ſanum, quin aliqui vapores tollantur ipſi ad caput, & oculos. Sed differunt, quia aliquibus plus, aliquibus minus, alijs craſſiores, alijs ſubtiliores, ſed in omnibus, vt dixi, aliqui attolluntur, pauci, & ſubtiles in paucis videntur, craſſiores vero, & plures fere videntur ab omnibus, qui eos habent. Qui autem ſunt pauci, & ſubtiles, videntur ab illis, qui pollent acumine videndi, ita vt acuitas in cauſa ſit cur vapores illi videantur ab aliquibus, cum ijdem ab alijs non videantur, qui minori acie videndi ſunt praediti. Eſt igitur inter cauſas harum imaginum reponenda, ſecundum Auicennam, acuitas videndi. *Cauſæ.*

Cauſae procartarcticae, & primitiuae, variae ſunt, aeſtus aeris,

vigiliae, venus, ſtudia, venae ſectio frequens, & videbitis multos, quibus ex ſola venae ſectione frequente obortae ſunt imagines, vomitus quoque inter has cauſas reponitur: nam Alex. 2. probl 54. quaerens, cur aliquibus cum tuſſiunt, & vomunt appareant ante oculos veluti ſydera, inquit, cauſam eſſe, quoniam in vomitu, & enixu, fit maxima interiorum viſcerum compreſſio, qua multi vapores mittuntur in oculos, qui prout varij ſunt, varij quoque adſpectus, & colores apparent: addatis vos, quia in vomitu ſaepius humores bilioſi reijciuntur, tumque fit, vt huiuſmodi vapores bilioſi, & flaui referant imagines veluti aureas, ſydera referentes. Igitur inter has cauſas reponitur etiam vomitus.

Signa. Signa, quibus poſſitis cognoſcere hos affectus, non aliunde petenda ſunt, quam à relatione aegri, quocirca diligenter inueſtigandum apud aegros, dum conqueruntur, quaenam ſint huiuſmodi imagines, quales, quantae, & quando appareant, & reliquas conditiones, quae poſſunt deſcribere has imagines; nam poſtquam haec cognoueritis ab aegris, nō erit arduum vobis intelligere, quae ſint ſpecies imaginum. Si enim erunt perpetuae, protinus colligatis eſſe ab humore, ſi vero neque continuae ſint, neque periodicae ſed interdum abeant, interdum redeant, iudicetis eſſe à vaporibus; rurſum ſi ſint faciles, & tenues, non vno modo, nec ſub vna figura, ſed ſub pluribus apparent: adhaec ſi non videantur, quando non animaduertitur, & appoſitis rebus obſcuris ante oculos non apparent, ſignum eſt has oriri ex acumine videndi. Si longo tempore apparent, & praeceſſit vel ophthalmia, aut alia aliqua cauſa refrigerās, aut calefaciens, argumento erit ab aliqua intemperie albuginei humoris oriri. Quae fiunt per conſenſum ab alijs partibus, & nō per eſſentiam in capite, docet Galenus 4. de locis aff. primo, & ſecūdo, de ſympt. cauſis, quomodo cognoſcendae ſint, vbi ſcribit, ſi neque continuae, neque vniformes, atque in vtriſque oculis appareant, ſignum eſſe fieri per conſenſum alicuius partis inferioris. Sed quia poſſunt fieri conſenſu, vt audiuiſtis, vel à iecore, vel à ſtomacho, vel ab alijs partibus, hoc etiam cognoſcere vos oportet. Galenus & Auicennas tradunt quattuor ſigna, quibus dignoſcitur à ſtomacho malum oriri. Primum eſt, ſi hae imagines tunc magis manifeſtentur, quando eduntur cibi flatuoſi, & craſſi, vt allia, coepe, porri. Alterum, ſi fiant hae imagines, quando fit concoctio in ventriculo, & conſummata concoctione finiantur. Tertium ſignum eſt, ſi appareant imagines, quando pleno ſtomacho, fit motus intēpeſtiuus, vel balnea adhibentur. Quartum, & vltimum eſt, quando hae imagines fiunt cum vertigine, cum nauſea, cum vomitu, & deinde finita vertigine, nauſea, & vomitu, deſinunt. His enim ſignis

poteritis

poteritis semper certiores fieri, an malũ oriatur à ventriculo.

Signa vero prognostica sunt, quod istae imagines portendunt cataractas, suffusiones, atque id non modo intelligendum est de essentialibus, & humoralibus, verumetiam de ijs, quae fiunt & per consensum, & à vaporibus. Quod imagines humorales, & essentiales conuertantur in suffusiones, ita clarè constat, vt non egeat probatione. Quod vero etiam, quae sunt à vaporibus, conuertantur interdum in suffusionibus, probatur, quia oculus cum sit pars frigidissima, & humoribus plena, suo frigore etiam vapores in aquã conuertit, atque suffusiones facit, quae fuit sententia Galeni 4. de locis aff. primo, & Auenzoar lib. 1. tract. 8. cap. 18. quo in loco dicebat, in oculis idem euenire, quod contingit in balneis, in quibus, vt vapores, qui ad tectum balneorum feruntur, cõcrescunt in aquã sic vapores peruenientes ad oculum, in aquam concrescunt. Sed aduertite hoc quidem contingere, non tamen frequens, & perpetuum esse, vt vapores in aquam conuertantur, & faciant suffusiones. Sed quaeretis à me, quibus signis possitis cognoscere, quando istae imagines conuertendae sint in cataractas, & quando non? Vnus Auicennas inter medicos videtur id tribus signis tradidisse, quorum primum est, si per sex menses durauerint hae imagines, nec visus offensus sit, nec oculus conturbatus, quia rarissime contingit, vt si imagines facere debeant cataractas, intra hoc tempus non faciant. Hoc signum captum est à Galeno 4. de locis aff. 2. quãquam Galenus hoc explicatè admodum non doceat. Sed notare debetis, fuisse etiam aliquos Arabes, qui hoc tempus non sex mẽsibus determinarunt, sed quatuor, aliqui etiam duobus, & ego vidi duos, quibus subortae sunt suffusiones secundo mense, postquam coeperunt apparere imagines. Secundum signum allatum ab Auicenna est, si imagines modo redeant, modo abeant, modo augeantur, modo minuantur, & semper tamen visio integra maneat, quoniam illud argumento est, eas imagines non esse finiendas in suffusiones; ratio est, quia hae fiunt ex vaporibus acribus, & tenuibus, qui difficillimè in aquas concrescunt. Tertium signum est, si imagines sint ex crassis vaporibus, & diu perdurent, neq; tamen visum, aut oculum vmquam offendãt. Sed dicetis, videtur hoc signum idẽ esse cum primo. Dico in duobus differre. In vno, quoniam in illo praefinitum est tempus, in hoc vero minimè. In altero differunt, quoniam in primo nõ est timor futurae suffusionis, in hoc vero est, quia illae imagines fiunt à vaporibus crassis. Haec sunt tria signa allata ab Auicenna, quibus addo ego quartum non contemnendum, & forsan magis necessarium, & est, si istae imagines referant vel culices, vel muscas, vel sint latae, & nigrae, fere semper praein-

Prognostica.

dicāt futuras suffusiones, si vero sint capilliformes, vel veluti subtilissimae catenae, aut circuli subtilissimi, vel numquam, vel rarissimè portendunt cataractas, & praeterquam, quod in multis longa experientia id obseruaui, habeo etiam rationem, qua vtimur Cassius medicus libro problematum medicinalium 9. Is enim quaerens, cur quibus fiunt suffusiones, appareant ante oculos modo culices, modo muscae, modo formicae, affert rationem, quia istis humor, qui ante oculos congregatur, coit, vnde cum visus penetrare nequeat, apparent huiusmodi imagines. Ex quo elicio, semper vbi apparent similes formae, argumentum esse iam vapores, & humores in vnum congregari, quod est principium futurae suffusionis. Vbi vero capilli, & catenae apparent, indicium est vapores, & humores acutos, & tenuissimos esse, neque ob praedicta coire, aut cō gregari, ita vt efficiant suffusiones. Igitur colligendum est, praeter alia signa, hoc non infimum esse futurae suffusionis, quando hae imagines adsunt.

Curatio. Sequitur curatio imaginum, quae duplex est, altera earum, quae cataractas futuras non portendunt, altera earum, quae futuras portendunt; vtraque tamen habent communem victus rationem, vt primo, aer omnis caliginosus, tenebrosus, & crassus fugiatur, serenus vero, & lucidus eligatur. Similiter fugiatur sol quantum fieri potest, & omnia, quae instar solis caput calefacere, & perturbare possunt. Pectinationes, frictiones capitis, lotiones quoque si moderate fiant, & ab anterioribus ad posteriora, maxime conducunt. Ira, timor, cogitationes omnes profundae, sunt uitandae; vitandum quoque est studium, neque aliquid intensè est inspiciendum, saltem post cibum. Balnea, & venus intempestiua, maximè sunt fugienda, vitanda est quoque alui immoderata adstrictio: quoniam solent haec nedum morbum promouere, verumetiam de nouo efficere, Vina generosa, crassa, acria maximè sunt abhorrenda, & si fieri potest prorsus à vino abstinendum est, vel saltem vtendum albo, puro, & tenuissimo. Si vinum non placeat, licet vti aqua cui incocta sint foeniculum, euphragia, & chelidonia. Sed dicetis, Razes, & Auicenna damnant prorsus aquae potum. Dico aquae potum immoderatum, & in illis, qui sunt inassueti iure damnandum esse, nam ab Auicenna, & Raze damnatus est, quia ex immoderato potu aquae vitiatur ventriculi cōcoctio, qua vitiata suggeritur materia imaginibus. Inter cibos sunt vitandi, qui crassi sunt, qui oculos, & caput tentant, vt legumina omnia, inter herbas caules, lactuca, & quae solent caput, & oculos replere. Auicenna 2. lib. scribit, pisces facere coecitatem, & etiam, vbi tractat hos morbos, scribit pisces maxime vitandos esse, id quod sequaces Auicen

nae,

nae de omnibus piscibus intellexerunt, sed neque fuisse Auicennae mentem, neq; veritatē existimo: qm̄ inter pisces sunt saxatiles, & littorales, qui possunt facile cōcedi, eosque dicebat Hipp. 2. de diaeta leues esse, solos polypos grauare, & sepias oculos inquiens, vnde solum oculis nocere pisces crassiores statuendum est, atque ita explicanda est Auicennae sententia, quādo dixit, pisces, & cibos crassiores fugiendos esse, vt de ijs tantum, qui crassi succi sunt intellexerit. Instituto communi victu, attendendum est, an portendant futuram cataractam, an non. Si non, est tantum victus rationi studendum, & dimittenda sanguinis euacuatio, dimittendus vomitus, quem Hipp. lib. de locis in homine, vt oculis perniciosum damnat. Quod si etiam aliquid erit agendum, sufficiet vna, vel altera in anno purgatio, & vsus alicuius collyrij, quod non possit oculos multum perturbare, cuiusmodi esset istud. ℞. aquarum foeniculi, chelidoniae, euphragiae anà vnc. ij. s. fellis ꝑdicis drac. iij. croci drac. ij. pul. maioranae vnc. s. maccrentur omnia per tres dies, deinde per filtrum destillentur, atque hoc liquore vtamini. Dicit Razes etiam maioranam solo odoratu caligines abolere, sed nisi malum augeatur, omnia remedia oculos perturbant, & potius instrumentum visus loedunt. Si imagines aquam portendant, duplicem curationē habent, primum vt auertatur humor fluens, quo minus possit morbus augeri. secundum vt materia, quae iam ad oculos fluxit, & concrescere coepit, omni studio dissoluatur, & exiccetur. primus scopus expletur, dicit Auicenna, purgando corpus, stomachum, & caput, secundus exiccando caput ipsum, & oculos. Igitur vt commode vtrique scupo satisfaciatis, primum atque certi eritis fieri suffusionem, erit lenienda aluus hoc pacto. ℞. elect. lenit. vnc. j. elect. de psyllio drac. ij. misce; Lenita aluo erunt deinde praeparandi humores huiusmodi syrupo. ℞. fol. maioranae, chelidoniae, euphragiae anà p. s. sem. foeniculi drac. ij. rad. rutae, drac. j. s. fiat decoctio. s. a. deinde ℞. dictae decoctionis, oxymellis simpl. syr. de stoecade, de duabus rad. anà drac. v. misce fiat syrupus. Postquam erunt praeparati humores, & viae apertae, erit purgandum caput, & corpus, atque hoc poteritis facere caputpurgijs, pillulis aureijs, cochijs, mezerei: nam huiusmodi pilulae de mezereo putātur euacuare aquā in quolibet membro. Itaque forma sit talis. ℞. pilularū aurearū, cochiarum anà scrup. ij. pilularū de mezereo. scrup. s. pul. foeniculorū gra. xv. cum oxymelle fiant pilulae v. & capiātur duabus horis ante lucem. Sed dicetis, cur nullam facis de sanguinis missione mentionem? quoniam, vt dicit Auicenna, inutilis, & perniciosa est, nisi necessitas cogat: necessitas autem est, quando adest sanguinis plenitudo, vel sanguis admodum feruet, & praesertim in capite. Veteres

teres incidebant arterias; nostris temporibus possumus vti apposi tione hirudinum ad eas partes, vel scarificatione. Postquam vniuersum caput purgatum erit, deueniendum est ad ea, quae magis immediate possunt, & caput, & oculos expurgare, vt lotiones, caput purgia, errhina, gargarismata, & masticatoria, quorum omniū quoniam formas habuistis, ad eas vos remitto. Est dubitatio de ster nutamentis, an ijs vti hic liceat. Ex vna parte Hippocrates in lib. de locis in hom. dicebat, ea, quae per nares purgant, maximè conferre affectibus oculorum. Ex altera parte non videtur admodum tutum hoc remedij genus, quia attrahit à capite ad oculos: accedit & autoritas Auicennae, qui scribit, sternutatoria iuuare in curandis imaginibus, quatenus purgant caput, nocere autem quatenus mouent humores, & ita possunt facere aquae descensum. Pro statuenda hac re, tria dico, vnum, medicamenta, quae per sternutationem euacuant, si sint fortia, non conuenire, si debilia, conuenire, quia dicebat Hippocrates fortia purgare caput, debilia oculos solum. Alterum, quod vbi adhibenda sunt sternutamenta, videndū est, an caput sit exquisite purgatum, an minus, si sit purgatum, possumus tuto vti sternutamentis debilibus, si vero non sit exquisite purgatum, nullo modo conueniunt, quia à capite pleno facile, possunt attrahi humores ad oculos. Tertium est, quod possumus purgare oculos per nares, licet sternutamentum non excitemus, nam sunt medicamenta, quae naribus infusa, hoc efficere possunt, vt succus maioranae, foeniculi, radicis betae, qui omnes per nares calidi tracti purgant oculos mirifice, nec loedunt. Postquam corpus, & oculi erunt exacte purgati, deueniendum est ad localia medi camenta, quae tres conditiones habere debent, vt abstergant, exiccent, & modice penetrent. Pro localibus Hipp. libro de locis in homine visus est laudare ea, quae lachrymas concitant, vt coepe, & allia. Sed cautè, & prudenter intelligenda est Hippocratis sententia: propterea quod dicit, id agendum, si veluti capilli in oculis currant, quo aenigmatice significare voluit, si humor, qui infestat oculos, sit crassior, & terrestrior; iam vero humor, qui facit has ima gines non est talis, & propterea vitanda sunt ea medicamēta, quae possunt lachrymas ciere, & vt habeatis aliquam formam medicamentorum extrinsecorum, dabo vobis duas, alteram liquidam, alteram aridam. Liquida est. ℞. fellis hircini vnc. j. succi maionae, vnc. j. s. antimonij, croci anà drac. ij. gummi drac. j. vrinae pueri impolluti q. s. fiat collyrium sec. artem. Aridum medicamentum est huiusmodi. & notate haec medicamenta dici ab Arabibus Alcocol, liquida vero Sief. ℞. tutiae nouies ignitae, & in succo cheli doniae extinctae, drac. ij. aloes hepaticae, croci anà dra. j. piperis al

bi

bi drac.s.marchesitae,scrup.j.fiat puluis subtilissimus,& loeuigetur. Superest inter medicamenta vnum, quod solet esse in vsu apud cõmunes practicantes.s. cauterium, de quo non possum negare, quin maximam adferat vtilitatem ad praeseruandum à suffusione. Sed de loco, estis duo monendi. Primũ, quod vbi suffusio timetur propter humorem, cauterium solum iuuare potest, quod efficitur in nuca, quia humores fluentes ad oculos, per eam partem, tamquam per aquae ductum expurgantur. ideo ego consulo, vt frequenter hoc remedij genus vsurpetis. Aliud est, quod periculo imminente à vaporibus, qui continuo ab inferioribus ascendũt ad superiora, cauterium in commissura coronali conuenit. Sed circa hoc cauterium adhuc duo notanda sunt, vnum, quod ex hoc numquam speretis euacuandam esse materiam, quae detinetur intra cranium, hunc enim contra naturam sursum ferri oporteret, & cranium penetrare. Itaque humor intra cranium non potest per hoc foramen euacuari, sed solum vapores, qui sursum petunt. Alterum, quod estis admonendi, est, vt quantum fieri potest vitetis hoc genus remedij tempore hyemali, quia nostis quanto studio quodlibet vel minimum capitis malum ab aere sit tuendum.

De suffusione. Cap. 7.



Ost imagines solet alter morbus sequi, Graecis ὑπόχυμα dictus, Hippocrates, & Galenus Hypochysin vocant, Latini suffusionem, Barbari medici interdum cataractam, interdum aquae descensum. Veteres existimarunt glaucoma, & suffusionem idem esse, sed non parum differunt, quia glaucoma est affectus humoris crystallini, suffusio vero est concretio humoris extranei ante pupillam, ob quam concretionem visus impeditur, aut aboletur. ex quo clarum est, hunc affectum esse symptoma, in genere actionis visoriae ablatae. Morbus, à quo dependet, vt docuit Galenus 14. Meth. cap. 13. est morbus in via, & in numero. Coeterum de loco, vbi hic morbus positus sit, inuenio diuersos esse medicinae scriptores, immo diuersus est sibi Galenus: nam lib. de oculis, si tamen ipsius est, voluit, hoc morbi genus positum esse inter humorem crystallinum, & vueam tunicam, id quod etiam videtur censisse primo Progn. 24. vbi scribit, fieri suffusiones circa humorem albugineum. hanc sententiam inter Arabes sectati sunt Alzarauus, & Haly Abbas. Coeterum idem Galenus 10. vsus part. cap. 1. aliam sententiam videtur habuisse, ait enim, suffusionis

locum

locum esse inter crystallinum, & corneam tunicam, quam senten-tiam mutuati sunt fere omnes Graeci, & praesertim Paulus, Aeti9, & Actuarius. Auicenna diuersus ab his fuit, qui tertia tertij, vbi agit de aquae descensu, ait, effici hunc morbũ inter albugineum syphac, & corneam. Fuerunt quoque ex Arabibus, qui existimarunt fieri inter vueam, & corneam. Coeterum Cor. Celsus inter omnes aliã sententiam habuit lib.7. cap. 7. vbi ait, suffusionem fieri post duas tunicas, scilicet post corneam, & vueam, ea scilicet in parte, in qua spacium quoddam intercedit inter aqueum humorem, & corneam, quae etiam sententia potest videri fuisse Galeni loco Progn. citato. Haec res dubia est inter scriptores. Sed vt breuiter omnia intelligatis, videndum est, quae sit natura suffusionis: nihil enim aliud est, nisi humor quidam, & vapor concretus, & condensatus ante pupillam, seu humorem crystallinum, igitur vbicunque potest hic humor concrescere, putãdum est totum eum locum posse esse subiectum huius morbi: iam vero totum illud spacium, quod intercedit inter crystallinum, & corneam, tale est, in quo scilicet potest concrescere haec materia, igitur videtur totum hoc spacium esse locus suffusionis, non quod semper in toto hoc spacio fiat, sed quia modo in vna parte, modos in altera, id quod optime videns diuinus Galen9 & eius sequaces Graeci, dixerunt, fieri suffusionem inter crystallinum, & corneam, quia in qualibet parte huius spacij potest consistere hic morbus. Sed quamquam hoc verum sit, est tamen non modica differentia, quia in vna parte frequentius, in altera rarius efficitur; frequenter efficitur suffusio post duas tunicas, circa humorẽ albugineum, quam frequentiam videntes Galenus 1. Prog & Celsus. dixerunt, fieri circa albugineum humorem, in eo spacio, nam nam praeterquam, quod fiant frequentius in hac parte, est & aliud, quia huiusmodi suffusiones sunt omnium facillimae curatu per chirurgiam, de quibus loquebatur Celsus. vnde non possum satis mirari Arabes qui dixerunt, fieri suffusionem inter vueam tunicam, & corneam, quia licet fiat, id tamen rarissime accedit, & est omnium difficillima curatu per chirurgiam. Haec igitur sit constans veritas suffusiones fieri inter crystallinum, & corneam, frequentissime post vueam, raro inter vueam, & corneam. Sed dicet aliquis, qua via potest in oculo hic humor concrescere? de vaporibus nõ est dubium, quia apertum est, per venas, & arterias vapores mitti ad oculum. Dico igitur tres esse vias, per quas vapores, aut humores in hanc partem decurrunt, prima nerui optici, secunda est vuea tunica, à qua transudant huiusmodi humores, tertia sunt venae omnium tunicarum, ita vt ab his omnibus partibus modo transmittantur, modo resudant humores in has partes, vbi fit suffusio.

Causae

Causae huius morbi sunt primo intemperies frigida, & humida oculorum, ob quam humores congregantur in oculis, & vapores, qui ad ipsos mittuntur, concrescunt, & condensantur. sunt etiam humores concreti in ea parte. Hae sunt causae internae; remotiores vero sunt primum aer frigidus, & humidus, crassus, percussiones capitis, & praesertim oculorum, prominentia ipsorum, imagines, & causae omnes, quae faciunt imagines. cur autem prominentia oculorum recenseatur inter causas suffusionis, ratio est Aetij lib. 6. cap. 9. vbi ex Galeni, & Ruffi sententia scribit, melancholicos habere oculos prominentes, propter crassitiem spirituum, quasi semper ad extuberantiam oculorum sequatur spiritus crassi, iam vero vbi fiunt spiritus crassi propter humores admixtos spiritibus, difficile non est dari occasionem gignendis suffusionibus. est & alia ratio, quam videtur cognouisse Aristoteles, quinto, de generatione animal. cap. 1. vbi scribit, eos, qui habent oculos prominentes, esse debilis visus, quia in magno spacio virtus distributa fit infirmior. igitur possumus etiam dicere, in magnis oculis, & prominentibus recipi faciliter vapores, tum intrinsecus, tum extrinsecus; dicebat enim idem Aristoteles 3. part. problem. oculos prominentes facile offendi, quia expositi sunt externis iniurijs. Occasione huius rei volo vos docere problema, à nemine, quod sciam, adhuc excogitatum, cur inter animalia bruta dictum sit, solas capras suffusionem pati, nam in eo lib. sub Galeni nomine edito, qui medicus inscriptus est, est autem pulcherrimus liber, habetur, remedium deponẽdi suffusiones acu, vt intelligetis suo loco, inuentum esse à capris, quia cum quaedam capra interdum suffusionem pateretur, & casu percussa esset iunco in oculo, curata est suffusio. Causa igitur huius rei potest esse, secundũ medicos, duplex; primo magnitudo oculi caprarum, nam habetis ab Aristotele oculos caprinos habere tres conditiones, quod sint albicantes, quod magni, quod acute videntes, ratione igitur magnitudinis, possumus dicere haec animalia facile offendi à causis externis. sed melior ratio est haec, quae habetur ex Hipp. lib. de morbo sacro, cum scribit, caprinum genus obnoxium esse epilepsiae, quia, vt ipse ait, habet cerebrum humidissimũ, & plenum sudore, probat hoc Hippocrates, quia si mortua capra secetur, apparet eius cerebrum humore, & mucco plenum. cum igitur ita sit, facile fit, vt humores nimij in capite redundantes, ad oculos decurrant, quae vera causa est, cur homo omnium maximae capiatur hoc morbo suffusionis oculorum, quia cerebrum eius est omniũ humidissimum. Differentiae suffusionis capiuntur à substantia, à quantitate, qualitate, situ, habitu, & tempore, primo à substantia, quia alia suffusio apud scriptores, tenuis dicitur, quia non ex toto

Causa.

aufert visum, alia crassa, quae ex toto visum aufert. secundo à quantitate, quia aliae dicuntur magnae, ita vt totam pupillam obnubilent, aliae paruae, quae totam pupillam non obnubilant. Rursus paruae, vel sunt in medio, atque faciunt omnia fenestrata apparere, aut sunt à latere, aut sursum, aut deorsum, & quia paruae sunt, faciunt, vt inde res non videantur. tertio à qualitate, quia aliae suffusiones sunt nigricantes, aliae albicantes, nigricantium aliae plumbeae, aliae violaceae. Albicantium aliae cinereae, aliae aereae, aliae gypseae, aliae argenteae, seu vt Graeci dicunt, aliae, aerem, aliae vitrum referunt, aliae ceruleum, aliae glaucum colorem. A situ, quoniam aliae sunt intimiores, & in ipso humore albugineo fiunt, qui est intimior, aliae extimae, videlicet, quae positae sunt inter vueam, & corneam. Ab habitu, quoniam aliae curabiles dicuntur, & sunt, aliae incurabiles. A tempore, quoniam dicimus alias esse recentes, alias vero antiquas, & consummatas. Percunctabitur aliquis, an dentur citrinae, & rubeae? dico vel numquam, vel raro id fieri, rubeae quidem non fiunt, quia hic color est sanguis soboles, sanguis vero, vel non congregatur in hoc loco, vel si congregatur putrescit, si putrescit, aut fit vlcus, non suffusio, aut in pus conuertitur, & fit aliud genus morbi, quod si velimus appellare suffusionem, erit alba non rubea. Humor quoque citrinus raro fit, quia propter sui tenuitatem, & siccitatem, nō potest in hoc loco concrescere: dico raro, quia interdum etiam fiunt citrinae suffusiones, & sunt illae, quas dicit Celsus similes esse auro, seu colori auri. idem dico de humore melancholico, qui duabus de causis non potest facile concrescere in hac parte: vna, ob sui crassitiem; altera quia depellitur naturae prouidentia ab omnibus nobilissimis membris, vt est oculus. Igitur remanet, vt vel pituita sola, vt frequenter accidit, vel commixta alijs humoribus, hos morbos faciat, & sequitur etiam colores saepe propius tendere ad albedinem.

Signa.

Signorum, quae suffusiones indicant, quatuor apud medicos inueniuntur genera, alia namque futuram suffusionem indicant, alia praesentem, alia sunt distinctiua, alia Prognostica. Quae futuram suffusionem demonstrant, sunt imagines, de quibus tractauimus, cum apparent muscae, formicae, dum nebulae obuersantur oculis, & iris conspicitur ante lucernam. Quae signa quatuor conditiones habere debent, vt ait Galenus 1. de sympt. causis 2. prima est, vt sint continua, altera, vt sint recentia, idest, quae non praeterierint sextum mensem, tertia, vt in altero tantum oculo appareant, quarta, & vltima, vt ab ea die, qua coeperunt haec signa, semper oculus fuerit loesus, & visio quoque aliquantisper impedita. Sed quandoque contingit, vt fiant suffusiones ex praecedentibus imaginibus,

licet nulla harum conditionum inueniatur, vt quae fit ob causam antecedentem, & potius externam, vt sunt, qui suffusiones incurrunt ex percussionibus oculorum, & capitis, aut ex nimio capitis incendio. Signa, quae praesentem indicant, sunt apparitiones veluti veli ante pupillam, apparitio turbationis oculi, visus amissio, pupillae ad albedinem, vel alium colorem mutatio: ad haec, si inspiciatur pupilla, & non appareat in ipsa imago inspicientis.

Signa distinctiua sunt, quod suffusio à glaucomate, vt dicebat Aetius, distinguitur, quia in glaucomate nulla lux, ne exigua quidem videtur, in suffusione videtur lux seu modica, seu multa. Distinguitur à caligine, quia fit vt plurimum in senescentibus, & est corneae tunicae crassities. Distinguitur à nebula, quae fit in cornea ex humore adhaerente ipsi, quoniam, vt docet Galenus lib. de oculis, cap. 6. in nebecula res videntur veluti per velum, & fumum, in suffusione nullo modo videntur. Praeterea in nebecula res vidētur eo colore, cuius est humor adhaerescens tunicae: in suffusione nequaquam. Distinguitur ab albugine, quia in ea, vt in glaucomate, non videtur lux: ad haec vitium apparet in extima corneae superficie, in suffusione vitium apparet intimius, & semper lux videtur. *Prognostica.*

Signa prognostica luculenter explicata sunt à Celso lib. 6. vbi de suffusione agit, & septimo, ait enim lib. 6. suffusionem circa initia dissipari, certis quibusdam obseruationibus; quod etiam sensit Galenus 12. Meth. in fine, libro vero 7. idem Celsus scribit, si suffusio sit exigua, immobilis, colorem vero habeat marinae aquae, vel ferri nitentis, & à latere sensum aliquem fulgoris reddat, spem superesse, ipsam curari posse; si vero magna sit, si nigra pars oculi, amissa naturali figura, in aliam vertit, si suffusioni color coeruleus, vel auro similis sit, si labat, atque huc, & illuc moueatur, vix vnquā succurri posse, eoque magis grauiorem reddi morbum, si factus sit ex grauiore morbo, vel ex aliqua graui plaga capitis, vel oculi. Praeterea dicit idem, non idoneè curari posse senes, quia sine nouo vitio, habent acumen videndi satis infirmum: Similiter ait, pueros curatu difficiles esse, curari vero facile, qui in media sunt aetate. Possumus quoque de suffusionibus haec iudicia facere, si sint recētes curari posse, si vero antiquae, & consummatae, aut nunquam, aut sola depositione, vel cauterio curari vt voluerunt antiqui chirurgi. Dicit Razes, difficulter curari, eas suffusiones, quae fiunt à crasso, & viscido humore: facilius, quae à tenui, & subtili, quaeue citrini sunt coloris. Vt vero possitis cognoscere, quae suffusiones curabiles sint depositione, & quae non, habentur haec signa apud Galenum, Paulum, & Aetium, quod hae suffusiones possunt deponi, quae colorem habent, vel plumbeum, vel ferreum, vel coe-

ruleum, & quae si praemantur leuiter digitis, dilatantur, & non recurrunt, & in quibus, si claudatur alter oculus, alterius pupilla dilatatur. Contra non possunt curari, vt ait Aetius, quarum color glaucus est, vel vt ait Paulus, gypseus, aut grandini similis: vnde dicebat Hipp. 2. Prorrhet. eas pupillas esse malas, quae colorem habẽt, vel glaucum, vel argenteum, vel coeruleum. Addunt Arabes, difficulter curari eas, quarum color viridis est, & quae si digitis praemãtur, non dilatantur, & si altero oculo clauso, alterius pupilla non dilatatur. Est contradictio inter Paulum, & Celsum, quia Celsus aperte ponit coeruleas suffusiones inter eas, quæ curari nõ possunt, Paulus vero easdem ponit inter curabiles. Pro qua soluenda, non habeo quid possim dicere, nisi locum Celsi esse corruptum, ad quod existimandum tribus rationibus ducor: prima, quia omnes scriptores medici coeruleas curabiles faciunt: altera, quia Celsus, quando numerat paulo ante signa suffusionum curabilium, ait, curabiles esse, quae colorem marinae aquae referunt, iam vero color coeruleꝰ, & marinae aquae idem est, vnde si coeruleas poneret inter incurabiles, sibi contradiceret. tertia ratio est, quia si phrasim Celsi animaduertamus, coeruleus debet esse auro non admodum dissentaneus apud ipsum: vnde necesse est dicamus, vel apud Celsum coeruleum significare aliud, nimirũ propinquum auro, vel loco coerulei legendum cerei; nam coereus est valde propinquus colori auri.

Curatio. Curatio suffusionum, alia est earum, quae fieri incipiunt, alia earum, quae iam factae sunt. De primis à nobis curatio instituetur, in qua duo se statim offerunt scopi, vt materia fluens ad oculũ auertatur, & vt ea, quae iam fluxit, & congregata est, dissipetur; Primus scopus impletur ratione victus, & diuersorijs medicamentis, secundus discutientibus, & extenuantibus. atque hoc est, quod Mesues dicebat, fieri diaeta, & localibus medicamentis, immo Auicenna ait, se nouisse sapientes aliquos, qui sola victus ratione, & nonnullis medicamentis visum pene amissum recuperarunt. Victus igitur debet esse, vt monet Celsus, qui pituitam extenuet, & exiccet, ideo eligendus aer calidus, & siccus, somnus moderato minor esse debet, assiduae frictiones, moderatae exercitationes, & praesertim partium inferiorum, at motus vehementes allegandi, vt ira, timor, profundae imaginationes, aluus liquida seruanda, vel clystere, vel brodijs. Cibus debet esse panis fermentatus, conditus foeniculis, vel aniso, carnes auium assatae, & praecipuè rapacium, salsamenta subtilia, vt sardae, cappares. Pisces lacustres, & palustres, vitandi, similiter legumina omnia, & lagana, & omnia, quae vapores, & succos crassos gignunt. Ex herbis vtilis satureia, hysopus, betonica, foeniculus, maiorana, saluia. Hipp. 5 & 7. epid. & Aristoteles ip-

sum

sum secutus, 20. & 30. probl. sect. origanum tamquam oculis inimicissimum damnarunt. Laudat Mesues pullos assatos: de elixatis carnibus duo dicit, vnum, quod raro sunt in vsu, alterũ, quod elixentur cum rapis, quibus ait mirificã inesse vim ad tuendos oculos. Debetis semper obseruare, vt parcius coenent, quod fuit praeceptum Auenzoar. A vino abstinendum, vel vtendum albo paucifero, tenui, cui immacerata sit aliqua herba ex superioribus. Post victum traditum, veniendum est ad purgationem humorum, qui sunt in corpore, & in capite.

Omnes ferè volunt, inchoandam esse euacuationem à sanguinis missione, & praesertim Auenzoar, qui ait, statim phlebotomandum esse nisi aluus sit styptica, quo in casu semper primo leniendã esse. De loco missionis sanguis videtur controuersia inter medicos, nam Celsus lib. 6. cap. 6. citra vllum discrimen dicit, mittẽdum esse sanguinem ex fronte, vel naribus, atque venas esse vrendas in temporibus. Aetius vero, & Paulus volunt ex cubito detrahi. vt autem vos resoluti sitis, debetis statim cogitare, an corpus sit plenum, an non, si sit plenum, mittendus est sanguis à cubito, quia hoc est praeceptum Galeni, vt numquam à particulari loco sanguinem ducamus, nisi prius tollatur plenitudo missione à vena cõmuni. Soluta hac plenitudine, veniendum est ad missionem, vel à fronte, vel à naribus, vel à venis, post aures, quod fit interdum cucurbitulis, scarificatis, interdum hirudinibus, interdum etiam sectione, quod si plenitudo non sit, statim deueniendum est ad ducendũ sanguinẽ à fronte, vel ab alia parte oculis propinqua. Solent quoque saepe à medicis cauteria fieri in parte capitis posteriore, quod non damno, immo laudo, vt scilicet fiant statim post primam purgationem, quia haec remedia in his casibus non sunt tardanda, sed quam primum adhibenda. Humores erunt postmodum purgandi, sed primo praeparandi hoc modo. ℞. fol. satureiae, chelidoniae, maioranae, betonicae, anà manip. s. fol. rutae. drac. ij. fiat decoctio s. a. deinde facta colatura. ℞. dictae decoctionis vnc. iiij. oxymel. comp. syr. de beton. syr. de quinque rad anà drac. vj. misce, & fiat syrupus. postea statim erunt expurgandi. circa quod duo notanda sunt, primum, vt non vtamini medicamentis leuibus, sed grauioribus, non enim sunt purganda corpora sola hyera, sed hyera cum colocyntide, & foeniculo, & aduertite, addi foeniculum, quia medicamenta purgantia oculos debent semper habere aliquid admixtum, quod proprietate perducat ad oculos, exempli gratia. ℞. specierũ hyerae collocyntidis, specierum hierae Pachij, anà scrup. ij. pul. foeniculorum, scrup. j. misce, & cum oxymelle scyllitico fiant pillu. v. Hae optime expurgabunt corpus, caput, & oculos, secundum

dum obſeruandum eſt, vt quantum fieri poteſt,caueatur vomitus, quia licet Arabes quidam laudent vomitum, vbi fit malum à ſtomacho, Antyllus tamen apud Oribaſium damnauit vomitũ in omnibus caſibus, & ego damno, & noui aliquos, ſuffuſiones incurriſſe ex ſolo vomitu. Purgato corpore deueniendum eſtad medicamenta extenuantia, inter quae maxime conducit decoctum ſalſae parillae, hoc modo. ℞. aquarum. Chelidoniae, euphragiae, foeniculi anà lib. iij. ſalſae parillae. vnc. vj. macerentur per duodecim horas,deinde bulliant ad conſumptionem medietatis,& in fine addãtur ad bulliendum ſem. foenic. ſem. rutae,anà vnc. s. deinde coletur, & ſeruetur pro ſyrupo, cuius capiuntur mane vnc. viij. & totidem veſperi, curaturque, vt ſecundum morem aeger ſudet, atq; interim vtatur ſolo pane cum foeniculis, & carnibus auium aſſatis. Experiemini poſt purgationes, ſi hoc decocto vtamini per viginti, aut vigintiquinque dies, ſuffuſiones diſſipari, quod ſi non diſſipentur, non alia ſupereſt ſpes, niſi in depoſitione.

Quo tempore aeger vtetur decocto hoc, maxime conducet, vt medicamentis vtatur aliquibus, quae caput per nares, & palatum expurgent, deinde ad localia deueniendũ. ſed aduertite, Galenũ 4. de medicamentis local. cap.4.dixiſſe, medicamenta localia pro ſuffuſionibus multa quidem bona polliceri, ſed vel exigua, vel nulla auxilia praeſtare, eo magis,ſi malum inueteratum ſit,quo tempore potius abſtinendum eſt à localibus, quam ſecus,quia ſi ſuffuſiones confirmatae irritentur medicamentis,praeterquam,quod haec nullum commodum faciunt, prohibent etiam quominus poſſint perfectè, & commode deponi. Ex localibus Auenzoar commendauit, vt oculi aperti detineantur ſupra decoctum croci, ita vt fumus oculos tangat, & afficiat, quod remedium valet, quia crocus facultatae ſua viſum conſolatur,& ipſius vapores nebulas diſcutiunt.Soleo in ſuffuſionibus curabilibus per medicamenta, vti remedio, quod apud Galenum. Protheus appellatum eſt 4. de medicamentis local.cap.7. & dum Romae eſſem, feliciſſimè eo ſum vſus. Aliud, quo ſoleo vti, eſt hoc. ℞. aquarum chelidoniae,foeniculi,rutae anà vnc ij. fellis galli, fellis hyrcini anà drac. iij.miſce ad lentum ignem, deinde adde mellis vnc.s. myrrhae,croci anà dra.j.s aeris vſti,& loti, antimonij vſti, & loti anà drac. j. gũmatis drac.ij.ponant̃ omnia in vaſe vitreo bene obturato, & detineantur per tres dies,& noctes in fimo calente. Vſus eſt, vt gutta ſuper pupillam ſingulo mane,& veſpere ante cibum ponatur. Sed quoniam hoc medicamentũ acre eſt, & ſaepe dolorem excitat, ſoleo mulcere dolorem lactis vſu, vt oculus, ſi dolor ſit magnus, foueatur,nam medicamenta, quae panos, & ſuffuſiones diſcutiunt,neceſſario mordicant oculos,alioqui

ſunt

sunt inutilia. Est dubium de felle viperae, an vsus huius coueniat, ratio est, quia Auicenna, & eius sequaces hoc commendant, & dicunt venenum eius non nocere. multi post Auicēnam testati sunt, se expertos esse, nocere. Alij diligentiores, vt vtrasque has partes conciliarent, dixerunt, vtendum quidem esse, sed prudenter, & seruatis quibusdam conditionibus. sunt vero hae conditiones, prima vt fel sit eius viperae, quae exhibetur leprosis, quod non est admodum venenosum, secunda, vt corpus sit optime expurgatum, atque in aetate consistenti positum. tertia, vt tunicae oculorum non sint debiles, neque etiam facile patiantur. quarta, vt oculus nullā aliā alterationem sustineat. quinta, vt aeger non sit famelicus, quia in corpore famelico venenū fellis attrahitur ab oculo. sexta vt quando administratur fel, aeger habeat os aqua plenum, quia aqua ore detenta frigore repellit vim veneni. septima, vt aeger ante vsum fellis, vsus sit medicamentis seu antidotis theriacalibus, hoc facto erit tutus vsus huius medicamenti. ego vero consulo, vt non solū in hoc genere medicamenti, verum in alijs omnibus vbi periculum imminet, & liceat vti alijs sine periculo, potius amplectamini medicamēta licet leuiora sine periculo, quam grauiora, & periculosa; dicebat enim Cor. Celsus lib. 3. cap. 4 ex sentētia Asclepiadis, medicationē debere esse citam, iucundam, & tutam. Si suffusio sit confirmata, ita vt nulla species sit in medicamentis, duo remedia supersunt, primum cauterium, secundum depositio. Sunt quidam chirurgi, qui dicunt, cauterium factum in fronte supra oculum affectū exiccare suffusionem, sed quoniam nolo vos fallere, numquam vidi hoc vsurpari, & maior pars medicorum neglexit, nec meminit illius, vnde puto nugas esse de illo remedio. secundum remedium est depositio. Sed circa hanc, quoniam saepe curandas habebitis has aegritudines, cauete ne vmquam eo deueniatis, nisi prius indicijs à me traditis, sciatis suffusionem esse depositioni aptam, quia si tentetur haec operatio frustra, & aegro detrimentum, & medico dedecus accedit. debetis & hoc notare, vbi cognoueritis deponi posse suffusionem, non esse statim accedendum ad opus, sed morandum per annum, & per annos; dicebat Galenus 1. de offic. med. tex. 6. ex operationibus chirurgicis, alias debere fieri statim, alias multo post tēpore, vt in suffusione, quae non indurescit, nisi temporis longitudine, quaeque nisi sit dura, si depositio ipsius tentetur, dum acus immittitur, penetratur, dum penetrata est, non potest obuolui acui, & ideo magno labore diponitur, aut numquam. Sed dices, cur non extra aufertur velum hoc, & quid est haec depositio. Razes 2. cont. dicit, fuisse aliquos, & praesertim Antyllum, qui putarunt, huiusmodi suffusiones ab oculis trahi, sed hoc impossibile est, &

per-

perniciosissimum si fiat, quia si extrahenda esset materia congregata, necessario foramen acus fieret latius, & iccirco periculum esset, n e cum illo velo exiret simul albugineus humor; quare melius est, vt acu ipsa deponatur à loco pupillae ad locum inferiorem.

Circa depositionem sunt nonnulla consideranda, quorum alia fieri debent ante ipsam, alia in ipsa, alia post. Ante depositionem debetis primo eligere optimos chirurgos, & dicebat Auenzoar hāc curationem non esse cuiuis committendam, sed medico apto, subtili, & experto; addite & duas conditiones, quas dicebat Celsus lib. 7. cap. 7. requiri in chirurgo, vt sit iuuenis, & immisericors. huius generis chirurgi sunt hoc tempore Norsini excellentissimi in hac arte. praeterea ante depositionem debetis curare, vt corpus sit exacte purgatum, vt vsus sit aeger multo tempore tenui victu, abstinuerit à vino. Celsus dicebat, ad hoc sufficere triduum, ego vero puto necessariam esse victus rationem hanc etiam per duodecim dies. Sed nonne melius est, per plures? conuenerunt in hoc omnes medici, vbi deponenda est suffusio, debere aegros victitare cibis crassis, vt piscibus crassis, pedibus vitulorum, castratorum, & hoc cum ratione, vt citius velum illud obdurescat. Quae sint obseruanda in depositione cataractae, Celsus lib. 7. c. 7. & Paulus lib. 6. c 21. Arnal. Villan. primo sui Breuiarij, & Guido chirurgus in sua chirurgia, ita docuerunt, vt superuacuum sit me haec tractare, quia cum omnia sint chirurgica facile vos ad illos remitto; nolo tamen duo praeterire: primum, cauendū esse dum deponitur, ne oculus vllam aliam labem habeat; alterum, vt aeger sit liber ab omni animi passione; quia oculus in animi perturbationibus adeo patitur, vt facile postmodum in hac operatione detrimenta sustineat. Sunt tres pulcherrimae circa depositionem controuersiae à me obseruatae. Vna inter Celsum, & Mesuem, altera inter Paulum, & Galenum, tertia inter Celsum, & Paulum. Celsus voluit, hanc operationem fieri in loco luminoso, Mesues contra. Paulus vult in hac operatione aegrum poni πρός αὐγὴν .i. ad lumen. Galenus vero primo, de offic. med. tex. 9. declarans q̃d apud Hipp. sit πρὸς αὐγὴν. i. ad lumen, & ὑπ' αὐγὴν. sub lucem, ait ad lumen dici, quando pars, quae tractatur conuertitur aduersus lumen. sub lucē vero esse, quando aeger tractandus parum declinat à luce, vt (inquit) fit in suffusionibus. vnde patet Paulum voluisse, aduersus lumen; Galenum vero sub lucē. tertia controuersia est inter Paulum, & Celsum. Celsus vult, acum poni in medio loco inter magnum oculi angulum exteriorem è regione suffusionis. Paulus vero vult, acum ponendum esse loco quidem inter angulum praedictum, & nigrum oculi, sed ita, vt solum

distet

diſtet ab iride, quanta eſt magnitudo cuſpidis acus, ita vt clara videatur diuerſitas inter eos.

Ad primum breuiter dico, Meſuem, & Galenum vera dixiſſe, locum non debere eſſe adeo luminoſum. i. à ſole non irradiatum, neque etiam puto Celſum hoc ſenſiſſe, ſed pro luminoſo, accepit lucidum, quia debet quidem lucidum eſſe cubile, ne poſſit aliquo modo errare chirurgus.

In ſecunda controuerſia, dicam quod vidi quater, bis in Illuſtriſſima Duciſſa Farneſiana, & bis in alia muliere, & viro quodam. Vidi chirurgos eligere locum lucidum ante feneſtram, deinde ponere aegrum oculis aduerſus feneſtram, ipſe vero chirurgus collocat ſe ante aegrum, ita vt dorſum habeat verſus feneſtram, vnde exiſtimo, hos omnes ſequi conſilium Pauli: quid igitur vult dicere Galenus? mea quidem ſententia, aut quos vidit, ita faciebant chirurgi, vt parũ declinarent à feneſtra, vel voluit omnino monere, vt aeger parum declinet à lumine illo magno. ſed dicam liberè, quod ſentio, quod vtrumuis fiat parum omnino refert, modo non ſit cubile irradiatum à ſole.

Pro tertia controuerſia, dico etiam vtrumque fieri poſſe, ſed diuerſo modo: quia ſi ſuffuſio fuerit ſtatim ante humorem albugineũ, ita vt ſit profundior, praeſtat ſequi conſilium Celſi, ſi vero ſit exterior, ita vt magis vergat verſus corneam, commodum eſt conſiliũ Pauli; ego tamen vidi ſemper chirurgos eligere modum deſcriptũ à Celſo. Poſt hanc operationem factam, detinendus eſt aeger in lecto, debetque ſupine iacere, capite eleuato, non loqui, non ſternuere, nona die, dicit Arnaldus, poterit incipere leuiter inambulare, ſed non debet exire domo, niſi prius ab omni labe, & macula emendatus ſit oculus. poſt haec omnia conſulit idem Arnaldus, vt vigeſimaſecunda die, vel vigeſimaquarta, ſecentur venae temporum. ſed hoc genus remedij, neque hodie vſitatum eſt, neq; admodum probo; Multa quoque alia fiunt, quae quoniam ad chirurgum pertinẽt, non puto huc afferenda, nam habetis chirurgos, quos poteſtis adire, & conſulere.

De Pupillae Anguſtia. Cap. 8.



Vae viſioni famulantur membra, dicebamus partim humores eſſe, partim tunicas. A quibus vitijs humores infeſtentur iam docui. Sequuntur morbi tunicarum, inter quas, poſt albugineũ humorem, prima eſt ea, quae ῥαγοειδὴς dicta eſt, Latinis vuea. Huius quatuor ſunt munera, primum vt cõtineat humorẽ

albugineum, ne fluat, secundum, vt disterminet corneam à crystallino humorem, tertium, vt suis velis muniat corneam, quartum, vt suo colore coeruleo congreget lumen. propter haec munera conata est natura parare hanc tunicam duriusculam, & colore coeruleo inficere, quia post nigrum colorem, viridis omnium maxime congregat lumen. sed quia haec substantiae constitutio impeditura erat visionem, & transitum liberum radiorum, ideo natura coacta est foramen in hac tunica efficere, atque hoc ipsum constituere ante crystallinum humorem, vt possint spiritus, & radij liberè exire, & reuerti. hoc foramen à Graecis κόρη vocatum est, sed non ab omnibus. Latini pupillam appellant; dico non ab omnibus, quia Aristot. 1. de hist. animal. 9. & 5. de gene. animal. 1. vocauit, κόρην, crystallinũ humorẽ. Hipp. etiã 2. Prorhet. vocauit κόρην eã partẽ corneae, quae obtenditur foramini, quãdo dicit, pituitae salsae cursum exulcerare pupillam. Morbi ergo, qui contingunt in hac parte, ita vt visum impediant, contingunt omnes circa pupillam, & quia foramen hoc debet esse, ita angustum, vt non impediat exitum radiorum, ita amplum, vt non dispergat radios, ideo vitia, quae ipsi contingunt, fiunt vel quia angustius fit, vel quia latius, vel quia è directo non est positum ante humorem crystallinum, vel quia rotunditatẽ amisit, ita vt sit tortuosum, vel oblongum. sed quamquam tot sint vitia circa hoc foramen, solũ tamen de angustia, & dilatatione tractabimus, coetera enim, vel non offendunt visum, vt necesse sit tractare ipsa, vel si offendant, incurabilia sunt, vt cum foramen non est e directo ipsi crystallino. Quando autem fit hoc foramen angustius, quam conueniat, nascitur morbus à Grecis φθίσις vocatus. Latini multi dixerunt, imminutionem, seu stricturam pupillae. Vegetius lib. 2. medicam. veterin. scribit hunc affectum vocatum esse in brutis στενοκορίασιν, & hunc secuti recentiores aliqui, dicunt in hominibus etiam vocari στενοκορίαν. Sed animaduertendum est, quod ait Galenus 10. de vsu part. & primo de sympt causis 2. hanc constrictionem duplicem esse, alteram natiuam, alteram adscititiam, natiua tantum abest, vt visum loedat, vt potius conferat acumini eius, adscititia vero nocet. Coeterum dubium est, vtrum strictura haec morbosa propria ratione visum loedat, an vero ob morbos, quos consequitur. Galenus loco citato, & lib. de oculis videtur dicere, non propria ratione, sed ob morbos quos sequitur, loedere. Praeter Galeni authoritatem, est & ratio, quia si haec angustia, vt angustia est, propria ratione impediret visum, naturalis quoque impediret, sed hoc falsum est. Contra est Razis authoritas, qui 2. cõt. taxans Galenũ, quod sit inordinatus in hac re, videtur aperte profiteri, hanc angustiam propria ratione uisui incommodare. Dicen-

dum

dum est ex Auicenna, pro tollenda hac controuersia, duplicem esse hanc stricturam, alteram paruam, alteram magnam, parua numquã propria ratione incommodat visui, sed solum ob morbos, quos sequitur, magna vero, & propria ratione, & ob morbos visum loedit. Paulus lib. 3. cap. 22. ait, in strictura pupillae foramen fieri angustius, rugosius, & obscurius. Aetius ait fieri angustius, & imbecillius, seu hebetius. Auicenna solummodo dixit, fieri angustius. Circa hanc diuersitatem, dico, Auicennam magis propriè locutum esse, quam Graecos, quia angustia est sola passio huius foraminis, quod autem fiat obscurius, vel hebetius, non conuenit ipsi, vt foramen est, sed quatenus per ipsum alia videntur, nimirum humores. Est hic affectus morbus in cõfirmatione, & proprie morbus in via, quia haec facta est angustior, quam conueniat naturali statui. sed quia omnis morbus loedit actiones, & hic quoque loedit actionem videndi, dubium est de loesionis modo Oribasius, Aetius, & Paulus dixerunt, loedi visionem deprauatè, eo quod res vidẽtur maiores, quam sint. Actuarius quoque 2. Meth. alios Graecos secutus, idem dixit; sed aduertite, ne decipiat vos bonus ille interpres, quia loco dictionis, minores, legendum est, maiores, ita vt res maiores videri dicat, nam habeo codicem antiquum manuscriptum, greccum, in quo legitur, maiores. Alzarauius Graecos secutus, dixit, propriũ esse stricturae pupillae, vt res videantur maiores, quam sint, ita vt secundum horum omnium sententiam, visio loedatur deprauatè. Coeterum Galenus 1. de sympt. causis 2. nihil meminit huius rei, nec aliud dixit, nisi interdum ob hanc stricturam visionem prorsus aboleri. Arabes quoque alij nihil meminerunt in hoc casu res videri maiores, quam sint; Auerroes 3. Collect. cap. 38. dixit, in hoc affectu visionem loedi diminutè. Quod vero res non videantur maiores, & quod tantum debeat visus aboleri debiliter, vt ait Auerroes, vel ablatè, vt ait Galenus, est ratio Aristotelis 31. part. probl. 8. & 15. vbi quaerens, cur myopes scribant characteribus paruis, inquit, esse, quoniam vt videant, constringunt palpebras, & pupillas, vnde ex angusto loco exeunt radij, & operantur, atq; ratione angustiae huius loci res magnas, vt paruas vident, & qualis vident, tales scribunt, vnde clarum est, angustiam pupillae potius debere efficere, vt res videantur minores, quam maiores. In hac controuersia non possum negare, quin sim valde dubius, quia ante me nemo, quod sciam, hoc animaduertit, inclinat tamen animus magis, quod res maiores videri in pupillae strictura rarissime contingat, & tunc solum, quando haec strictura fit ex laxitate, seu humiditate vueae, tunc enim humor albugineus multus est, & ratione multitudinis, atque illius, vt sic dicam, magnae sphereitatis

 efficitur,



efficitur, vt imagines reddantur maiores, vt in speculis accidit. Sed quid ad authoritatem tot Graecorum? nihil habeo, quod dicam, nisi omnes mutuatos esse ab vno, & eodem authore, & ideofieri potuit, vt qđ author, à quo acceperũt, dixerit, qñq; fieri, ipsi acceperint, vt perpetuũ, atq; hinc data sit occasio errãdi, neq; possum existimare Arabes, & Auicenã, q adeo diligẽtes fuerũt ĩ recẽsendis huiusmodi symptomatibus, hoc tacere debuisse, si verũ esset: mutabo tamen libenter sententiam, si ratio maior, vel experientia obijciatur.

Causæ. Causae huius affectionis duae sunt apud Galenum 1. de sympt. causis, cap. 2. prima est, relaxatio, seu humefactio vueae tunicae, sicuti enim cribra, si humefiant, ijs foramina constringuntur, ita ait Galenus, cõtingit, vt nimium humectata hac tunica, foramen istud fiat angustius: Altera causa est imminutio humoris albuginei, ob quam cum vuea non tendatur, concidit in seipsam, atque ita foramini angustiam inducit. Auicenna videtur adiecisse & alteram, nimirum siccitatem vueae tunicae, sed quia haec non euenit sine imminutione humoris aquei, ideo causa haec cõprehẽsa est à Galeno sub imminutione humoris aquei. Razes 20. Cont. scribit, etiam foraminis huius angustiam fieri ex paucitate spirituum, quia veluti vbi spiritus multi sunt, dilatatur hoc foramen, sic vbi pauci sunt, fit angustius. Praeterea Galenum reprehendit, quod scripserit, ex siccitate, seu imminutione humoris fieri huiusmodi angustiam, & contra eum vtitur hac ratione, quod si fit angustia pupillae, ratione humectationis tunicae vueae, igitur nõ potest fieri ratione siccitatis, quia contraria sunt humectatio, & exiccatio. Sed pace Razis, ipse potius damnandus est, quam Galenus, quia non inconuenit eundem effectum à duabus causis diuersimode fieri, Galenus enim statuit omne impedimentum, quod accidit visui in hoc morbo, esse ratione morborum, quos sequitur, coeterum morbi isti duo sunt, humectatio, & exiccatio, igitur cum isti morbi possint loedere visionem ratione angustiae, sequitur sententiam Galeni veram esse: quomodo autem possint loedere, accipite; Vbi praehumiditate relaxatur haec tunica, humor albugineus multus est, qđ autem abundans hic humor loedat visionem, satis declarauimus suo loco. In siccitate autem loeditur visio, quia cũ crystallinus humor non perfectè congregatur ab aqueo humore, magis expositus est luci externae, magis etiam aeri ambienti, atque hinc fit, vt offendatur ab externis iniurijs. Itaque clare intelligere potestis, & à siccitate, & ab humiditate posse hanc loesionem fieri. Causae mediatae sunt omnes illae, quae possunt facere imminutione humoris albuginei, de quibus dictum est ante. & quaecunque possunt facere nimiam humiditatem, vt sunt destillationes, aposthemata, crapulae.

sed

ſed diceτis,ſi verũ eſt hoc,cur igitur magnus Hippocrates 2. Prorh. dixit, quod pupillae glaucae, argenteae, & coeruleae, malae ſunt, meliores vero, quae ſunt latiores,praeſertim,ſi ſpontè fiant,& non extrinſeca ratione? Dico veram eſſe ſententiam Hippocratis:quoniam colores praedictos referentes pupillae,ſunt omnes ſuffuſionibus tentatae, vnde duo inſignia detrimenta ipſis accidunt, vnum quod viſus omnino aboletur, alterum quod dolores innumerabiles fiunt, vt intellexiſtis. coeterum pupillae anguſtiores, vel latiores offendunt quidem viſum, ſed non omnino auferunt, praeterea curari poſſunt, quibus duabus de cauſis fit, vt iure dixerit ſapientiſſimus ſenex, pupillae glaucae, argenteae, coeruleae malae, meliores vero minores, vel quae ſunt latiores.

Signa. Signa,quibus morboſa pupillae cõſtrictio dignoſcitur,oculis ipſis patent, quia ſi pupilla aegri comparetur & alijs, & ſtatui praeterito, apparet mutata. Alzarauius dixit hoc proprium ſignum eſſe, vt res videantur maiores, ſed ipſe ſibi contradicit, quia hoc idem ſignum dicebat proprium eſſe diminutionis cryſtallini, vnde non poteſt verè proprium eſſe huius. Si fiat haec conſtrictio à ſiccitate, oculus erit minor,ex praecedentibus morbis exiccantibus. Dicit Albucaſis, inter ſigna huius affectus eſt hoc, quod qui conſtrictam habent pupillam à ſiccitate, neque multum vident, neque à longè, ſed ſolummodo propinqua. Si fiat ab humiditate, oculus madidus erit, & maior. Praeterea ex aetate puerili,ex temperamento humido id cognoſcere licebit.De prognoſticis, dicebat Alzarauius,morbum hunc ſi inueterauerit,incurabilẽ eſſe.Galenus 1.de ſympt.cauſis 2. docet conſtrictionem pupillae, quae fit à ſicco, difficulter curabilem, quae vero ab humido, non item, quià facilius eſt humectata exiccare, quam contra: quodcunq; tamen fit,ſemper hoc malum minus eſt, quam ſuffuſionis ex authoritate Hipp. 2. Prorhet. Polemon lib. de ſignis naturae ſcribit,eos,qui habent pupillas à natura ſtrictiores, eſſe prauos,& peruerſos, vt vulpes, ſimiae, & ſerpentes, quae animalia ſunt praua, & habent oculos huiuſmodi.

Curatio. Curatio duplex eſt, altera, quae debetur cauſae ſiccae, altera, quae humidae. In ea, quae fit à ſiccitate, eadem via incedendum eſt, quam tradidimus in diminutione humoris albuginei, vt victus ſit ex cibis optimis, & ijs,quibus gignãt ſuccos plurimos,& bonos, ut abſtineatur à vino, & praeſertim acriore, & generoſo: adhibeantur balnea capiti, & oculis, & in hoc caſu ſoleo curare, vt iſti, qui habent oculos aridiores, aperiant eos in lacte tepente,quia lac humectat,idemque fiat in aqua, vt ſcilicet oculus ponatur in aqua calida, & aperiatur,quia ſic humeſcit.Sunt qui commendant purgationes per nares, ſed non poſſum hoc probare, quia vnus ſcopus eſſe

debet,

debet,vt pars, quae prope arefacta est, humectetur. Sunt duo aduertenda ex Auicenna: vnum est, vt res merè humectantes nō sint in frequenti vsu, duabus rationibus, vna quia hae oppilant, & obstruunt, altera quia solent putrefactionē facere longa consuetudine. Alterum aduertendum, vt habeantur in vsu ea, quae moderate calefaciunt (de extrinsecis loquor) inter quae sunt muccilago sem. lini, lac muliebre, vel caprinum, succus maluae, oleum violaceum, naribus attractum. Frictiones quoque moderatae frontis, & oculorum prosunt, quia illi moderata affrictione attrahitur nutrimentum ad partem; sic soleo commendare, vt aegrotantes manum calentem, & humidam detineant super oculos, & hoc est remedium vtilissimum, & praestantissimum. Si constrictio fiat à causa humida, conuertendum est studium ad exiccandum: & ideo victus extenuans confert, qualem iam saepe praescripsimus in causis humidis; hinc ad purgationem veniendū, & primo humores praeparandi, deinde purgandi. Inter praeparandū, si adsit sanguinis copia, vtile erit sanguinem mittere, & medici veterinarij in curandis suis subiectis semper mittunt sanguinem. quod autem purgationes conferant, habetis sententiam Celsi lib 6. cap 6. vbi ait, aliquos interdum fuisse subito occoecatos, ex quibus nonnulli repentina alui profusione visum. amissum recuperarunt. Post purgationes, deueniendum est ad localia, quae possunt exuberantem humiditatem auferre. Decoctum rutae, chelidoniae, foeniculi, si continuo in hoc casu dentur, plurimum conferunt. Auicenna multa tradit, sed quo ego vtor est istud. ℞. floris aeris, ammoniaci anà drac. j. croci, scrup iiij. aloes drac. v. musci, scrup. s. cum succo foeniculi fiat collyrium, atque vtamini, vt & alijs.

De pupillae dilatatione. *Cap. 9.*



Ontraria huic affectioni in tunica vuea, est & alia vocata à Graecis μυδρίασις; Celsus non alio nomine vocauit. Veget. lib. 2. scribit vocari πλατικορίασι, vnde nonnulli medici vocarunt πλατυκορίαν. Auicenna vocat Halyitisam. Posteriores Latini nominarunt pupillae dilatationem. Est autem hic affectus, vt Graeci definiunt, in quo pupilla oculi nihil secundum colores euariat, sed tantum magis dilatatur, & interdum ita, vt vsque ad iridem perueniat. Nocumentum, quod visui accidit ex hac dilatatione, duplex est, primum, quod interdum visus penitus aufertur, alterum, quod saepe visio minuitur, ita vt visio in hoc

affectu, & ablate, & diminutè loedi possit. Vno in loco duo sunt consideranda, primum est, errasse authorem definit. medici, sub Galeni nomine, vbi ait Mydriasim esse obfuscationem oculorum, factam ob humores conturbatos, nam facile est cuiuis cognoscere, aut hunc scriptorem errasse, aut contextum esse deprauatum. Alterum, duplicem quoque haberi hanc dilatationem, alteram natiuã, alteram adscititiam. Vtraque ait Galenus 1. de sympt. causis, visum offendit, sed natiua curationem non recipit, adscititia curabilis est. Est autem morbus in conformatione partis, & in via.

Causae immediatè, secundum Galenum, Auicennam, & Auerroem, sunt duae, vna est nimia humiditas, quae distendens vueam tunicam, facit vt dilatetur foramen : altera est siccitas, quia ex siccitate tunica haec corrugata, facit vt foramen magis hiet. His duabus causis videtur Auicenna tres addidisse, primam cum humor albugineus ita amplificatur, vt distendat vueam tunicam, alteram, cum ipsamet tunica exiccatur, tertiam, cum fit aposthema in ipsa tunica. Sed omnes istae causae possunt reduci ad priores Galeni, & Auerrois. Sed nonne est, & alia causa, nimirum multitudo spirituum? videmus enim si alter oculus claudatur, statim alterius pupillam dilatari, non aliunde, nisi quia plures spiritus confluentes ad eam partem, faciunt eam dilatationem, vt iure etiam haec videatur inter causas recensenda. Dico, non esse morbosam hanc dilatationem, neque etiam multum durare, & ideo non esse recensendam inter causas morbosas. Sed maior difficultas est, an fieri possit dilatatio ex causa sicca, quia ex vna parte est sententia Galeni, & Auerrois, ex altera est sententia Razis 2. Cont. vbi damnans Galenum ait, non posse fieri à siccitate; accedit quod Aetius, Paulus, & Actuarius, nullo modo meminerunt huius causae. Tertio est ratio, quia ex siccitate fit corrugatio in tunica, corrugatio vero videtur potius constringere, quam dilatare. Haec controuersia explicanda est ex verbis ipsius Galeni primo de sympt. causis 2. vbi ait, tunicam vueam posse & humectari, & exiccari, vel vt membrum organicum, vel vt similare. humectatur tunica vt membrum organicum, quando meatus, & foramina replentur humore : humectatur, vt similare, quando per totam substantiam ipsius tunicae expansa est humiditas. Exiccatur vt membrum organicum, quando humiditates meatibus inclusae absumuntur : exiccatur vero vt similare, quando tota substantia tunicae exiccatur. his constitutis, dicendum est, ex Galeno, vbi haec tunica humectatur vt membrũ organicum, fieri dilatationem, quia meatus oppleti illo humore, dilatantur, & aperiuntur, si vero ipsa substantia tunicae, vel ipsa tunica, vt similare membrum humectetur, fieri constrictionem, quia

Causæ.

tota

tota substantia tunicae humectata coarctat, & compingit foramen ipsius vuaeae. Rursus quando exiccatur, vt membrum organicum, facit constrictionem, quia sicuti meatus illi priuati humiditate, in seipsos concidunt, & coarctantur, pariter & foramen coangustatur, si vero, vt similare exiccetur, facit dilatationem, quia vt coria secundum totam substantiam exiccata interdum discinduntur, & foramina faciunt, sic quando haec tunica tota exiccata est, facit huiusmodi dilatationem. Ex qua resolutione patet vera dixisse Galenum, & falso à Raze damnatum esse. Sed quid ad Graecos, qui non meminerunt huius affectus? Dico Aetium, Actuarum, & Paulum, fuisse abbreuiatores, & ideo multa saepe omittere ratione breuitatis, & eo magis, quando causae non ita sunt frequentes, vt in hoc casu, nam non admodum frequenter contingit, vt haec affectio fiat à causa sicca. Causae mediatae, aliae sunt internae, aliae externae. Internae sunt humida intemperies capitis, constitutio oculorum, propter quod Aetius ait, eos, qui habēt oculos nigros facile incurrere hanc pupillae dilatationem. est & sexus, quoniam mulieres magis obnoxiae sunt huic affectioni; aetas, vt puerilis, quia humida, senilis, ob siccitatem, quamquam Auenzoar velit in pueris fieri propter flatus multitudinē, sed magis puto propter humiditatem. Cur vero parturientes, cum immodice anhelitum retinent, incurrant has passiones, vt est apud Auenzoar lib. 1. tract 8. cap. de dilat. pupillae, ratio est, vt sentio, quia in illo enixu multi spiritus concurrunt ad oculos, qui secū trahunt humores, & flatus multos, qui dilatant pupillam, tum quia multi sunt, tum quia repente, & impetuose ingruunt, ita vt diuellant foramen. Causae mediatae externae sunt percussiones, casus, plagae, & tandem omnia exteriora, quae possunt hoc foramen dilatare.

Signa. Signa pupillae dilatationis non multo labore comparantur, quia fere omnia ipsis sensibus patent, eo quod in hac aegritudine, vel visus imminuitur, vel prorsus aboletur; si parua sit dilatatio, diminuitur, si vero magna, aufertur. Addunt multi, in hoc morbo res semper videri minores, quam sint. Sed optabitis scire, quibus indicijs cognosci id queat. Medicus, qui aliàs oculum aegri inspexit, poterit facillime comparando praeterita praesentibus, dicere an sit ex morbo, vel non, sed si antea non inspexit, duo signa sunt, quibus potest hoc dignoscere. Vnum est, si vna cum latitudine pupillae sit visus debilitas, quae antea non erat, quia si noua adsit debilitas, argumēto est, eam affectionē esse morbosam, non naturalem, quia vt ait Galenus, dilatatio pupillae siue sit naturalis, siue morbosa semper loedit. Alterum signum est, vt videantur oculi, nunquid amborum sint pupillae dilatatae, an vnius tantum; nam si vnius tantum,

affectio est morbosa, quia à natura, vel nullius dilatantur, vel vtriusque, si vero vtriusque sint dilatatae, vt arguatur an sit naturalis, an morbosa affectio, alterius pupilla claudatur, quo facto, si alterius pupilla dilatatur, adhuc magis est à natura: sin vero altero clauso oculo, alterius pupilla non dilatetur, affectio est morbosa, quia latitudinis naturae terminos praeterire licet, sed à morbo factam latitudinem non licet. Si affectus nascatur, vel à causa sicca, vel humida cognoscitur aetate, victus ratione, habitu, regione, & alijs, quae solent coindicare affectiones. & si fiat à causa sicca, oculus minor est, si ab humida, maior. Hic duo examinanda sunt. Vnum, an verum sit in dilatatione pupillae, res semper apparere minores. Alterum qua ratione id fiat. Circa primum non videtur admodum constare inter scriptores, quia omnes Graeci, post Galenũ, dixerunt hoc esse signum latitudinis pupillae, vt res videantur minores, quam sint. Ex altera parte Galenus, & Auerroes huius signi non meminerunt; Praeterea est ratio, quae videtur demonstrare hoc minime verum esse, quia si, vt ait Aristoteles, myopes propter stricturã oculi vident res magnas, vt paruas, igitur vbi latior est oculus, deberet contrarium apparere. Praeterea latitudo pupillae fit ex multitudine, & crassitie humoris albuginei, qui vbi copiosior est, imagines videntur maiores, vt in aqua crassa res videntur maiores, quã in limpida, & pura; igitur, & authoritate Galeni, & rationibus, res apparent maiores in latitudine pupillae. In hoc puto omnino tenendum esse, in latitudine pupillae non semper, sed saepe res visas apparere minores. Sed dices, cur igitur Galenus, & Auerroes huius non meminerunt. Quia hoc non per se sequitur dilatationem pupillae, sed per accidens; isti autem scriptores signa tantum essentialia commemorarunt. Quomodo vero per accidens sequatur hoc, videndum est ex causa secũdo examinata; circa quam inuenio diuersos esse medicos. Alij enim, vt Alzarauius, & alij, dixerunt, hoc contingere propter visus debilitatem, quia habentes latas pupillas, consequenter habent visum debilem, propter quem non possunt recte percipere rerum magnitudines. Sed hoc non probo, quia si ratione debilitatis hoc contingat, sane apparebit semper, vbi adest visus imbecillitas, sed multos videbitis captos debilitate videndi, quibus hoc signum non adest, igitur clarum est, non ratione debilitatis visus hoc contingere. Alij dixerunt, hoc fieri, quia in latitudine pupillae spiritus sunt disgregati, & ideo non possunt referre iustas imagines rerum, sed maiores. sed neque hoc probo, quia spiritus disgregatio non efficit, vt res videantur maiores, sed potius, vt non videantur, vel obscurè. Nam si quis opponat visum radijs solis, ita vt disgregentur spiritus, aut non videbit,

aut sanè obscure. Praeterea licet spiritus referant imagines ad oculum, tamen non fit ipsarum representatio in spiritibus, sed in humore crystallino, vel tunica arachoide. In hac difficili quaestione sum ego huius sententiae, ad hoc efficiendum duo cõcurrere, adstrictionem oculi, & visus debilitatem; adstrictionem oculi, quia, qui laborant latitudine pupillae, vt videant, constringunt oculos, ita vt hic semper ferè adsit constrictio oculi. est & visus debilitas, quia spiritus nimium disgregati sunt, quomodo igitur fit, vt his duobus res videantur minores? quia, vt scriptum est à Galeno 7. de placitis quinto, solus visus percipit rerum magnitudines, nõ tamquam obiectum proprium, sed tamquam secundarium, quia oculus primum videt colorem, deinde magnitudinem rei coloratae, vbi igitur visus validus, & sanus est, nec circa obiectum proprium, nec circa secundarium errat, sed & colorem, & magnitudinem videt. vbi mediocriter offensus est, & per locum angustum exit, atque operatur, non errat circa obiectum proprium, sed circa secundarium, quia videt quidem colores, sed & ob angustiam loci, & ob sui debilitatem non videt secundum obiectum: nam vt myopes teste Aristotele non vident rerum magnitudines, sic quoque, qui habent pupillã latam, tum quia constringant oculos, tum ob videndi debilitatem, non vident iustas rerum magnitudines, sed tantum colores; qui vero valde sunt offensi visu, errant & in obiecto proprio, & in secundario.

Prognostica. Circa signa prognostica, dicebat Polemon in lib. de signis naturae, eos qui habent à natura pupillas latas, necessario esse prauorum morum. Hippocrates vero 2. Prorhet. ait, latitudines pupillarum meliores esse suffusionibus, cui sententiae simile quid dixit Auenzoar lib. 1. trac. 8. cap. 7. vbi ait, dilatationem pupillae, si negligatur, trãsire in cataractam, quasi dicat, suffusionem esse peiorem dilatatione. Amplitudo pupillae naturalis incurabilis est, vt ait Auicenna. Alsaharauius quoque tradit omnes esse incurabiles, nisi qui sunt, vel cum parua aegritudine, vel cum paruo dolore capitis, aut oculorum, vel sine percussione, quasi omnes sint curabiles, qui sunt sine aegritudine capitis. Aetius vero vniuersaliter dixit, affectum difficilem esse curatu, & ratio est, quia, vbi vuea tunica membranosa semel discinditur, difficulter restituitur, ait enim Hippocrates vulnera membranarum non coalescere. Duae sunt hic dubitationes, vna, quomodo dixerim dilatationem naturalem esse incurabilem, quia videtur contrarium sentire Hippocrates, qui ait, dilatationem pupillae siue sponte, id est naturaliter fiat, siue ex occasione esse meliorem suffusione. igitur si est incurabilis, non videtur melior. Praeterea Auenzoar proponit puluerem, quem ait succurrere

dilata-

dilatationi naturali. Altera dubitatio eſt, quomodo dixerimus dilatationem ex percuſſione eſſe incurabilem, quia Meſues tradit rationem curandi eam. Razes etiam dicit, ſi dilatatio fiat ex percuſſione, non eſt timendum, quia remouebitur. Auicennas etiam tradit curationem. Ad primam dubitationem dupliciter reſpondetur, primo, quod apud Hippocratem vox ſponte, non ſignificat naturaliter, vel praeter naturam, ſed ex occaſione, ſignificat cauſas externas primitiuas, ſpontè vero cauſas internas, & occultas; nam haec vox αὐτόμαται ſignificat ea, quae fiunt ſine cauſa apparente, & manifeſta, ita vt quamquam dicat, dilatationes ſiue ſponte ſiue ex occaſione fiant, meliores eſſe, non intelligat eas, quae fiunt ab ortu. Altera reſponſio eſt, quod licet concedamus apud Hippocratem hanc vocem, ſponte, ſignificare natiuam affectionem, dicemus tamen, hanc eſſe meliorem ſuffuſione, quia licet incurabilis ſit, habet tamē ex aliud, quod non habent ſuffuſiones, q̃a non prorſus tollit viſum, vt illae. Ad ſecundam dubitationem reſpondendum eſt, quod dixit Alzarauius, percuſſionem, quae facit dilatationem duplicem eſſe poſſe, vehementem, & recentem, vel non vehementem, & antiquam: ſi fuerit vehemens, & malum inueteratum, incurabile eſt, quia membranae diſciſſae non coaleſcunt: ſin vero percuſſio fuerit debilis, & malum non ſit inueteratum, curabile eſt, atque de iſta dilatatione loquuntur Auicenna, Meſues, & Razes, quando curationem tradunt. Sed quid ad Auenzoar, quem diximus tradere puluerem idoneum contra dilatationem naturalem. Dico, credendum eſſe experimentis, ita tamen, vt etiam non fallāt nos: nam poteſt quidem aliquis puluis reperiri, qui auxilietur quoquo modo, qui ſuccurrat, vt impedimentum non ſit adeo graue, ſed quod poſſit omnino curare hanc dilatationem, difficile eſt creditu, & ideo Auenzoar intellexerit aliquo pacto, non quod omnino curet.

In curatione huius affectionis communis ſcopus eſt, vt omnino tollatur, vt ſcilicet reſtituatur conformatio oculi, ſed quia hoc obtineri nequaquam poteſt, niſi auferantur cauſae, ideo inſurgunt ſcopi, harum tollendarum. Cauſae autem diuerſae ſunt, itaque diuerſa eſſe debet curatio. Diuerſitas cauſarum in duobus poſita eſt, in humido, ſcilicet nimio, & ſicco. Igitur primo, pro curatione cauſae, humidae, victus erit inſtituendus, qui exiccet, & attenuet, vt inſtituimus etiam in alijs affectibus oculorum, qui fiunt à cauſa humida; praeſertim vero confert ieiunare multum, abſtinere à potu vini, deambulandum lentè in locis vmbroſis; fugienda nimia lux, quia vt opaca congregant, & cōſtringunt, ſic lucida dilatant magis. Lau dat prae coeteris Auicenna ius cicerum cum oleo ſeſamino. *Curatio.*

K 2 Quod

Quod ad aliam curationem pertinet, Graeci omnes nulla habita distinctione, statim veniunt ad venae sectionem, nisi tamen quidam impediat. Arabes vero habent aliquas distinctiones, veluti si abundet sanguis, aut si humores morbum facientes sint sanguini permixti, quasi vbi sanguis non superabundet, vel humores non sint permixti, non sit mittendus sanguis. Mea vero sententia est, quod cũ latitudinis pupillae duplex sit causa, alia coniuncta, alia non coniuncta, vtraque tollenda est, sed diuersis instrumentis, coniuncta quidem exiccantibus, & resoluentibus, non coniuncta vero, idest, quae morbum fouet per reuulsoria auxilia, inter quae primum locum habet sanguinis missio; ergo vt tueamur authoritatẽ Graecorum, dicendum est, statim esse deueniendum ad sectionem venae, non vt auxilium causae coniunctae, sed vt auxilium reuulsorium. Arabes vero videntur tantum respexisse causam coniunctam, scilicet materiam ipsam, quae si sit sanguinea, est euacuanda sanguinis missione. igitur consulo, vt consideratis considerandis, veniatis ad venae sectionem, quae fieri debet, si corpus sit plenum, primo à basilica interiore, si vero non plenum, à cephalica. Quod si sectio venae impediatur, erit recurrendum ad cucurbitulas cum scarificatione, ad hirudines, ad frictiones, ligaturas, acres clysteres, qui reuellunt, & reuocant humoris impetum. Ego hirudines praesertim, tribus quatuorue diebus singulo mane post aures adhibere soleo, extracta vna, vel altera sanguinis vncia. Postquam vero certi fueritis de sanguinis missione, lenita prius aluo, humores praeparabitis, deinde expurgabitis, vel pilulis cochijs, vel lucis, vel aggregatiuis, vel alzaiaret, vel aureis, igitur eadem ratione tentabitis purgare humores in hoc casu, vt in alijs morbis ab humore.

Circa purgationem est controuersia, an debeat esse frequens, an secus. Razes 9. ad Almansorem, scribit continuandam esse purgationem. Auicenna ex aduerso mandat, vt fugiantur continuae purgationes, quia virtutem imminuunt, & simul humores, quos non deberent, euacuant. Tolletis vos hanc controuersiam ex Celso; Is enim dicebat, interposito tempore aluum esse soluendam, vt materia ab oculis ad infernas partes auertatur. Hoc autem interpositum tempus Auicennas definit 10. diebus, quasi debeat medicus decima quoque die, vel pilulis, vel alio quopiam medicamento soluere aluum. Atque ita etiam intelligendus est Razes, vt purgationẽ non quotidie, nec altera, aut tertia quaque die, sed decima tantum continuandam esse voluerit. Purgato vniuerso corpore, caput deinde priuatim est expurgandum ijs, quae per nasum, per palatum humores euacuant. Factis purgationibus, descendendum ad localia, inter quae primo laudatur aqua marina, vt ea hyeme, calida: aestate,

aestate,frigida saepe abluantur oculi, & facies;quae aqua si non ha beatur,docet Scribonius quomodo parari debeat, laudat quoque ablutionem faciei ex posca,aceto, & aqua. Sed circa haec, tria vobis notanda sunt, vnum,quod obseruandum vult Aetius, vt adhibeantur medicamenta localia, quae subadstringunt, non quae vehementer, quia quae vehementer adstringunt, & acria sunt, duo mala pariunt,vnum quod nimis stringendo diuellunt tunicam, alterum, quod dolorem faciunt, & doloris ratione nouas ad oculos trahunt materias. Ea vero, quae subadstringunt,sunt rosa,nardus, crocus, pompholix, spodium. Secundum est, quod adnotauit Auenzoar, vt scilicet sexus ratio habeatur, quia leuiora medicamenta conueniunt, & pueris, & mulieribus: maiora, & vehementiora sustinent, senes, & viri. Tertium est, vt caueantur medicaměta summe refrigerantia, quia dicebat Galenus 3. Meth. cap. 2. se vidisse ex immodico opij vsu suffusiones, & pupillarum dilatationes factas.

Accipite medicamětum,quo soleo ipse vti foeliciter in hoc morbo, quoque promiscuè vtor, & in foeminis, & in viris. ℞. gummi arabici,thutiae,sanguinis drac.tragagăti anà vnc. s. boli arm. vnc. j. sem. lini, sem. cydonicorum, croci anà drac. ij. succi cort. granat. vnc. iij. aquae ros. lib. j. macerentur omnia in cinere tepido per noctem, deinde bulliant media hora, post diligenter fiat colatura, & hac vtamini mane, & vesperi, guttas oculis instillando. Si fiat malum à siccitate, eadem ratione incedendum erit in curanda hac affectione,quam monstrauimus in alijs affectibus ex siccitate:quamquam Haly scribat raro contingere hanc affectionem, & quando contingit, difficillimam curatu esse. Si fiat dilatatio ex percussione, videndum est, an fuerit magna percussio, & an periculum sit futurae inflammationis; tunc enim statim vtendum tenuissimo victu, abstinendů à vino, & inchoanda curatio à sanguinis missione ex cephalica, deinde veniendum est ad medicamenta, secundů Razem, & Auicennam, quae repercutiunt, vt est emplasma ex farina hordei, fabae,ex folijs plantaginis, rosarum. Practicantes aliqui laudant, vt statim folia scariolae apponantur oculo affecto, & dicunt, se esse expertos, quod concedo facile. Volo vos animaduertere, in alijs percussionibus medicos numquam in principio vti repercutientibus, & summa ratione, quia haec humorem, qui ex plaga ad partem accurrit,compingunt magis, & efficiůt, vt putrescat;in oculis vero semper vtuntur repercutientibus, duabus rationibus. Prima est, quia in oculo, & praesertim tunica vuea, non potest colligi sanguis, ita vt compingatur, & putrescat;alia ratio est, quia oculus, ob sensus acrimoniam, ex percussione vehementissimos dolores sustinet,

ſtinet, poſt quos fit attractio humorum nouorum, vnde vt dolores vitentur, vt materia fluens repellatur à parte nobiliſſima, iure mandant medici, ſtatim reuellentia eſſe adhibenda. Poſt quã deueniendum eſt ad reſoluentia, & primo à tenerioribus incipiendum; vt eſt oleum violarum cum vitello oui; ego ſoleo curare, vt aſſetur modicè vitellus, deinde cum oleo viol. in mortario fiat linimentum molle. Lac etiam tepidum inſtillatum reſoluit moderatè. A leuioribus ad valentiora pedetentim veniẽdum, vnde poſt praedicta, ſanguis turturum calens, optimus eſt, vel columborum. Poſtea veniendum ad collyria ex melle, & fellibus. Atque haec eſt abſoluta curatio dilatationis pupillae.

De corneae affectibus, albuginei, ac nebulis. Cap. 9.



Oſt tunicã vueam poſita eſt à natura alia, quae à Graecis κερατοειδὴς, à Latinis cornea vocata eſt. Meletius in lib. de natura hominis, voluit finem naturae in fabricanda hac tunica, fuiſſe, vt ſtringatur orificiũ vueae, & vt ſit veluti quoddam ſepimentum, aut vallum, quod contineat ne humor albugineus effluat. Galenus, & alij addunt alium vſum, ne ſcilicet aer ambiens ſtatim humores tentaret, atque ita viſum offenderet, cryſtallino offenſo: vtcumque ſit, natura coacta eſt, hanc tunicam fabricare duram, & ſolidam, ſed quia ratione ſoliditatis potuiſſet impedire, ne ſpiritus extra prodirent, neue lumen reciperetur, eadem natura ante foramen vueae fecit hãc tunicam tenuiſſimam, lucidiſſimam, ita vt non impediat neque ſpirituum exitum, neque lucis receptionem, inſtar laternae cuiuſdam. Vbicunque igitur haec tunica ita offenſa eſt, vt viſio loedatur, id euenit ob ſubſtantiam, aut luciditatem ipſius vitiatam. Et notate, me tantum mentionem facere horum duum morbi generum, quia etſi cornea tunica alios plurimos morbos ſuſtineat, praeſertim qua parte totum oculum veſtit, tamen nolo ego eos omnes tractare, partim quia eſt res potius chirurgica, tractare vlcera, & tumores oculorum, tum quia tempus anguſtum eſt, & propero ad tractationem aliarum rerum, tum quia intellectis his, poteritis & alios intelligere. Vitiatur igitur corneae ſubſtantia, vel quia humectatur, & craſſeſit, quia amittitur teneritas, vel quia exiccatur, ſeu corrugatur, & induratur. Luciditas vero eiuſdem vitiatur, quoniã alienos colores ſuſcipit; vbi hac in parte tunica cornea humecta, & craſſior redditur, inducitur viſus hebetudo, vt ait Galenus, & omnia videntur tamquam per fumum,

& nebulam quandam. si vero corrugatur, aut exiccatur, fit morbus dictus à Graecis, ῥύσοσις seu ῥυτίδοσις. Si vero duratur, fit etiã vitium innominatum. Sed in omnibus his visus interdum prorsus aufertur, interdum valde minuitur. Inter has affectiones adnumero eas, quae albugines appellatae sunt. est enim albugo macula quædam, quae in cornea ante pupillam fit, quaeque saepe prorsus occoecat homines. Si luciditas offendatur, vt dixi, fit impedimentum visus, quia alieni in hanc partem inducuntur colores, impedientes perfectum visum, quia omnia videntur colorata eo coloris genere, cuius est materia infixa illi parti, vt dicebat Galenus contingere in arquato, & cuiusmodi dicunt quidã apparere in affectione ab Arabibus vocata seben. Sed tametsi dixerit Galenus in ictericis omnia apparere flaua, non est tamen perpetuum, immo ego plurimos curaui, sed paucos vidi huiusmodi. Sed dices, cur isti affectus non habent propria nomina? Quia non sunt propria corneae, nisi dicamus sub nomine nebularum esse comprehensa, & ego sum huius sententiae, panum oculorum apud Barbaros complecti fere omnes huiusmodi aegritudines.

Causae crassefactionis, & humectationis nullae aliae sunt, nisi *Causæ.* humores crassi, & viscidi, qui mittuntur ad hanc partem, & ibi figuntur vnde omnes illae occasiones, quae faciunt destillationes, faciunt, & hos morbos, vt mora sub sole, crapulae, prominentia oculorum. Causae vero siccitatis, seu corrugationis sunt multae, sed praesertim aetas senilis, quia hic morbns proprius fere est senum, similiter labores, seu aegritudines capitis ex siccitate, vt inflammationes magnae. Causae vero indurationis sunt vehementer refrigerãtia, vnde iure dicebat Galenus, se non raro vidisse homines ex immodico opij vsu fuisse occoecatos, & quia recensui albugines inter has aegritudines, causae harum sunt duae potissimũ, vel cicatrix derelicta ab vlcere, quae vngula interdum vocata est, quamquam vngula sit aliud morbi genus: altera causa est pituita torrefacta, & indurata in cornea. Causae variorum colorum sunt varij humores, & hinc, fit, vt si sanguis sit, omnia rubea appareant, vt in seben. Si vero flaua bilis, flaua, si melãcholia, liuida, aut nigra, sed raro contingit, vt vel sanguis, vel humor melancholicus in hac parte figatur, quia cornea hac in parte tenuissima est, vnde vel nullae, vel insensibiles propemodum adsunt venae, & sanguis difficulter potest congregari; humor vero melancholicus, crassus, & terrestris, difficulter decurrit ad hanc partem.

Iste affectus fere oculis ipsis cognoscitur, quia si haec tunica sit *Signa.* vel humectata, vel crassefacta, primo inspiciẽti apparet veluti quaedam superficiaria nebula, deinde etiam ipsimet aegri referunt, se

res

res videre veluti per nebulam, & fumum, quare debebitis, & oculos intueri, & aegrum percunctari. Cognoscitur corrugatio ex aetate, quia vt dixi, hic morbus senilis est, ex praecedentibus etiã, veluti si praecesserunt morbi feruidi,& exiccatorij: ad haec si nulla alia signa adsint. Si vero malum factũ sit ex frigido, vsus erit aeger rebus frigidissimis, oculus frigidus apparebit, & aer frigidior hoc ostendere poterit. Signa vero, quibus cognoscuntur vitia ex humiditate partium, habentur ex ipsa medici inspectione, partim ex relatione aegri, quia videt interdum flaua, interdum nigra interdum sanguinea.

Prognostica. Prognostica sunt, quod corrugatio oculorum numquam curatur, & praesertim, quae fit ratione aetatis: vnde dicebat Aristoteles, quod si senex acciperet oculum iuuenis, videret, vt iuuenis; quamquam haec Philosophi sententia falsa est, quia non semper vitium videndi fit ratione instrumenti, sed vt plurimum ratione facultatis visoriae, ita vt etiamsi tradatis oculum iuuenis seni, tamen non videbit, vt iuuenis. Dura haec tunica vbi fit, & praesertim ex vsu vehementis frigidi, incurabilis est, & ipsi idem contingit, quod crystallo, quia vbi aqua semel in crystallum conuersa est, vehementissimo frigore non potest dissolui, vt ait Aristoteles 4. Meth. Albugines etiam ex cicatrice non sanantur: coeterum si malum fiat ex humoribus, & sit recens, curari potest.

Curatio. Est vero curationis totius summa, vt omnia impedimenta auferantur, quae non possunt neque foeliciter, neque facile auferri, nisi prius remoueatur fluxus nouae materiae ad oculum; igitur instituto tenui victu, & vini abstinentia, deueniendũ est ad euacuãdos humores eo modo, quo iam dixi, vt primo euacuetur corpus, deinde caput, per medicamenta soluentia, per nares, per palatum, quo in casu cauterium in nuca factum prodest, & decoctum sarsae, vt docui, quia attenuat, & exiccat humores. Quidam omnino prohibent sanguinis missionem; ego vero, si plenitudo adsit, & praesertim in capite, laudo, & potentissimum à vena cephalica. Post haec veniendum ad localia, quae primo debẽt esse lenia, deinde grauiora. Alzarauius laudauit liquamen gallinae cum butiro, & vino, ego vero soleo sumere radicem chelidoniae, & aqua vitae diligenter abluere, deinde pistare, demum per colum transmittere, atq; eum liquorem guttatim instillare oculo patienti; & expertus sum recentes panos oculorum deteri. Alijs etiam duobus vtor, tartaro vini maluatici in tenuissimum puluerẽ redacto, qui inspersus oculo deterit panum. alterum est theriaca cum vino maluatico, nam eliquo eam in vino maluatico, atque per pannum subtilissimum transcolo, & infundo oculo patienti. Atque haec de affectibus corneae.

De

De ophtalmia, seu lippitudine. Cap. 11.



SVmma oculi pars à natura vestita fuit tunica quadam, quae adnata à medicis omnibus dicta est, à nonnullis etiam coniuncta, quae etsi circumuestiat totũ oculum, attamen qua parte pupilla est, eam non ambit. Haec, quia magis exposita est externis iniurijs, iccirco plurimos sustinet affectus, inter quos praecipuus, & omnium frequētissimus est is, qui à Graecis ὀφθαλμία, à Barbaris obtalmia dictus est. Latini modo dolorem, modo inflammationem oculorum, modo lippitudinem dicũt. Sed authores hoc nomen lippitudinis, & lippi, non semper de ophtalmia dicunt, sed saepe lippos dixerunt eos, qui oculos lachrymosos gerunt, vt Horatius de seipso. Hanc passionem omnes fere medici fusissime tractarunt. Vnus Auenzoar videtur ieiunus fuisse, nec causam satis intelligo. Celsus lib. 6. cap. 6. definit hanc affectionem quatuor nominibus, dolore, tumore, pituita, & lachryma, per pituitam intelligens crassam illam materiam, quae adhaeret palpebris, & oculo, & lema interdum vocatur; per lachrymam intelligit humorem fluidum, & tenuem, qui per genas excurrit. Distinctius, & breuius definiuit Galenus 4. de med. loc. cap. 4 quem imitati sunt ferè omnes alij, inquiens, ophtalmiam esse inflammationem tunicae oculorum adnatae. Sed notate, quod idem Galenus docuit 2. ad Glauo. inflammationem omnem duplicem esse, aliam humidam, in qua scilicet copia humorum apparet, aliam aridam, in qua omnino humor paucus, aut nullus apparet. humidam videtur appellasse simpliciter ophtalmiam, siccam vero ξηροφθαλμίαν: tamen frequenter sub nomine ophtalmiae vtraque continetur. Rursus ophtalmia duplex habetur apud Galenum, & omnes Graecos: alia, quae fit à causis internis, & proprie ophtalmia dicta est. Altera à causis externis, & haec non ophtalmia, sed τάραξις, seu turbatio appellata est. Auicenna sequax Galeni, & Graecorum, dixit, ophtalmiam duplicem esse, veram, & non veram, sed similem verae. Veram dixerunt Arabes, quam Graeci ophtalmiam vocant; non veram, quam Graeci taraxin dicunt, nam & ipsi hanc vocant turbationem, seu vacillationem. Ophtalmiam veram Graecorũ, & Arabum, Aetius, & alij distinxerunt in duas, vnam noĩarunt superficiariam, alteram profundam, seu alio nomine χύμωσιν. Superficiariam, in qua calor, dolor, & tumor adsunt; profundam, in qua praeter haec, etiam palpebrae sunt inuersae, valde rubeae, & ferè exulceratae: nos dicere possumus paruam, & magnam; omnem ve

ro esse inflãmationẽ tunicae oculorũ adnatae. Quis vero sit modus generationis huius affectus explicauerunt multi, sed appositissime, meo iudicio, Cassius medicus, 66. probl. med. quo in loco dicebat, quod cum humores in meatibus oculi figuntur, obstruunt, & calorem intro coercent, calor cohibitus, exardescit, cum perspirare nõ possit: atque ita, vel immediate oculum inflammat, vel primo humores torret, hi vero torrefacti inflammant membranas, hinc ophtalmia. Ex quibus perspectum esse potest, hunc morbum esse in magnitudine, in intemperie, & continui solutionem; nam Galenus lib. de diff. morb. dicebat, in omni inflammatione semper haec tria morborum genera copulari. Locus affectus nullus alius est, quã ipsa tunica adnata. Sed nonne in ophtalmia visus etiam impeditur? qui fit igitur, vt locus affectus sit tunica adnata, quae visui efficiundo nullum praestat adiumentum? Dico, in ophtalmia loedi visum, sed per accidens, non per se, hoc modo; quia hac inflammata tunica, fit dolor, & calor magnus in oculo, a calore, & dolore fit attractio humorum ad oculum: humores illi attracti dispersi per oculum conturbant humores, & spiritus, hi autem conturbati necessario visum oblaedunt: itaque quamquam sit locus affectus ipsa adnata tunica, per accidens tamen loesis alijs oculi partibus, cooffenditur visus. Quod autem in ophtalmia humores, & spiritus sint conturbati, testis est Alexander, testis est Razes. Alexander quidẽ quia ipse 2. probl. 42. dicebat, ophtalmiam ideo contagiosam esse, quia spiritus contaminati sunt, qui cum tangant oculos sanos, inficiunt ipsos. Sic quoque Rabby Moyses 24. aph. part. ex sententia Galeni lib. de motibus, qui liber à nobis desideratur, dicebat, qui primum videt ophtalmia, aut conturbatione laborantem, statim ipsi oculum conturbari, quod si adhuc attentè inspiciat, non solum conturbari, verumetiam ophtalmiam cõtrahere. Ratio etiam attestatur, humores, & spiritus perturbari, quia si fit attractio humorũ per vniuersum oculum, necessario illi miscentur & humoribus oculorum, & spiritibus, per oculum dispersis: commixti necessario turbant, & hoc est, quod Hipp. in lib. de locis in homine dicebat, ob humores influẽtes visum fieri μαρμαρυγόδη i apparere scintillas in oculo, atque etiam acumen videndi perdi. Sed quaeretis, quae sit vera ratio, cur ita faciliter oculus contrahat has affectiones? nulla alia est potior, quam Aristotelis 7. probl. sect. vltimo, & Alexãdri 1. probl. 35. qui dicunt, oculos esse humidos, molles, εὐπαθεῖς seu passibiles, atque etiam mobilissimos, & ratione mobilitatis fieri, vt facile contagia suscipiantur ab oculis affectis.

Causæ. Causae ophtalmiae verae omnes sunt internae, atque hae, vel in ipsa tunica gignuntur, vel manant aliunde ad ipsum. In ipsa tunica

ca ſunt cauſae,quando totum corpus plenum eſt, & conſequenter repletum eſt caput, & oculus, cuius repletionis merito fit tumor, rubor,& calor. Si aliunde veniant cauſae, vel ſunt humores viſcidi, & craſsi, vel tenues, & corrodentes,atque etiam poſſunt eſſe flatus, qui partim corrodendo, partim extendendo, faciunt hunc affectum. Partes vero, à quibus cauſae hae ad oculos manant, ſunt vel caput, vel iecur, vel totum corpus. Viae,per quas veniunt ad oculos, ſunt aut venae, aut arteriae, aut vtraque, atque iſtae, vel intra cranium exiſtentes, vel extra. Atque hae ſunt cauſae internae ophtalmiae verae. Dubium eſt,an omnes humores, & vapores poſſint facere hunc morbum. Ex vna parte videtur ratio perſuadere,ſolum fieri ophtalmiā à cauſa calida, quia eſt morbus calidus, & adeſt rubor, quae atteſtantur caliditati:qua ratione impulſi Arabes quidam dixerunt, ophtalmiam eſſe apoſthema calidum oculorum, quae ſententia videtur etiam fuiſſe illius authoris, qui edidit librum de oculis ſub nomine Galeni. Ex altera parte eſt Auicenna, & Galenus 13. Meth. qui videntur in ea ſententia fuiſſe,omnes humores poſſe facere ophtalmíam. Dicendum eſt pro reſolutione, omnes humores poſſe efficere morbum hūc,ſed diuerſimode, quia inflammationem magnam, faciunt humores calidi frequentius, remiſſam vero poſſunt facere frigidi, ſed non ſoli,quia ſemper in hoc morbo iunguntur frigilis calidi. & hinc eſt, quod ſemper adeſt aliquis rubor, & color,etiamſi fiat à frigidis humoribus. Cur vero humores frigidi non poſſunt ſoli facere ophtalmiam, ratio eſt, quia hi difficulter in anguſtum locum poſſunt congregari,& ſi congregentur non poſſunt incaleſcere, & ideo nequeunt ophtalmiam facere. Ophtalmiae non verae cauſae omnes externae ſunt, & primitiuae, non quod ad efficiendam hāc inflammationem, conueniant ſolum cauſae primitiuae, quia conueniunt etiam humores, & flatus. ſed quod cauſae, quae mouent humores, & flatus,ſunt ſolum primitiuae: verum quidem eſt, humores motos vt plurimum eſſe ſanguinem, & vapores, quia hic humor facile mouetur, ſimiliter & flatus, & ſicuti facile mouentur ad oculum, ita quoque faciliter recedunt. ſed nonne etiā humor bilioſus facile mouetur, & recedit? dico hoc verum eſſe, ſed ſua acrimonia pertundit oculum,& arrodit:ex quo fit, vt noui humores ad ipſum trahantur, qui poſtmodum verā inflammationem efficiunt,& hoc eſt, quod ait Auicenna,ſaepe ex nō vera inflammatione fieri veram. Iam vero cauſae primitiuae multae numeratae ſunt à Graecis,& Arabibus,ſol,ſeu ſolis calor, dolor capitis aduſtiuus,febris ardens,balneum calidum, puluis,& fumus, qui cum ſua acredine mordeant oculum,facile praebent occaſionē gignendae ophtalmiae. Hoc idem efficere puto vapores marinos:

quoniam Cassius med. 13. prob. med. dicebat, piscatores facile tentari pterygio, quia vapores marini, cum acres sint, corrodunt oculos, ex quo inflammantur, exulcerantur, & tandem etiam fit vnguis. Inter easdem causas est quoque frigus constrictiuum, percussiones capitis, vēti procellosi, ebrietas, veneris vsus, addit Paulus, & oleū. Cur vero oleum, si tangat oculum, faciat ophtalmiam, puto hanc esse potissimam causam, quia oculo facile adhaerescit, & tenaciter, vnde cum elui non possit, obstruit, facta obstructione, calor oculi intus cohibetur, atque ita cohibitus postmodum exardescit, & inflammat. Hippocrates lib. de aere aquis, & loc. adnumerat etiam regiones, vbi scribit, eos qui habitant regiones australes, & calidas, facilè tentari hoc morbo, & tentatos facile curari: habitatores vero plage septentrionalis, & frigidae difficulter tentari ophtalmia, & tentatos difficulter curari, quam sententiam secuti sunt Razes, & Rabby Moyses, 4. aph. vbi ex sententia cuiusdam Teminij, dicebat, eos qui habitant regiones calidas, obnoxios esse ophtalmiae, qui vero frigidas, minus. Sed cur hoc contingit? Auicenna non minor philosophus, quam medicus causam attulit inquiens. sub coelo calido capita repleta esse humoribus, qui calore ambientis colliquati, decurrunt ad oculos, atque ibi contenti, faciunt inflammationem, quae postmodum faciliter curatur, primo ob raritatem corporis, ob quam transpirant faciliter humores, & dissipantur, deinde quia isti habent aluum fluidam; dicebat enim Hipp. in aph. quod quicunque ophtalmia tentati sunt, si superuenerit alui fluor, liberantur. In frigida porro regione fiunt difficulter, quia quamquam adsint humores in capite, tamen cōgelati, sunt immobiles, ob quod non possunt excurrere ad oculos, sed si aliquando excurrant, & frigore, & densitate cutis fit, vt non possint facile, neque cito humores illi dissipari, & expirare. Hippocrates 3. aph. & lib. de aere aquis, & loc. adnumerat constitutiones temporum, & anni tempora inter has causas, similiter Aristoteles sect. prima, probl. & Auicennas.

Circa causas ophtalmiae tria sunt quaesita scitu digna duo proposita à Cassio, vnum ab Alexandro. quaerit Cassius prob. 16. cur aestate potissimum fiant ophtalmiae, id quod etiam dictum est ab Hippocrate 3. aph. & causa quaesiti est, quia tempus aestiuum calidum, & siccum est, propter quod omnis videtur ablata occasio fluxionis oculorum, respondet, causam esse splendorem, ipsius solis, & luciditatem aeris, eo quod tempore aestiuo sol maxime splendēs & aer maxime lucidus existens disgregant humores, & spiritus oculorum, & ita praebent causam ophtalmiae, sed haec ratio mihi non satisfacit, primo quia saepe etiam hyeme aer lucidus est, & solis lumen

men noxium, vnde deberet etiam hyeme interdum fieri hic morb⁹ ratione splendoris solis, & luciditatis aeris, aeque enim splendet sol hyeme, atque aestate. secundo non placet, quia si noceret solis splendor, quia disgregat humores, & spiritus, deberet potius visus operationem impedire, & turbare, nam non videmus, quod aestate ob splendorem magis offendatur visus, quam hyeme. tertio nō placet, quia qui intuentur solem splendidissimū, aut niuem, patiuntur quidem visu, propter spirituum disgregationem factam à lumine solis, vel niuis luciditate, sed non patiuntur ophtalmiam. Itaque non videtur sana haec sententia Cassij. Dicendum igitur est, aestate, vt ait Hippocrates, fieri ophtalmias, nō per se, sed per aliud quia, s. vere replentur capita, aestate humores cōtenti ab ambientis caliditate eliquantur, & fluunt ad oculos, atque ita fit, vt aestate fiant lippitudines, atque haec fuit sententia Galeni 3. aph. 20. vbi ait, veram esse sententiam Hippocratis, quod lippitudines fiant aestate repleto capite. Secundum quaesitum Cassij est, cur interdum in ophtalmia, si fiat febris, soluitur morbus, interdum vero magis exacerbatur, cuius euentus tradit hanc causam, & bene, ꝙ febris, quae superuenit, vel est mediocris, vel vehemens, si mediocris, rarefaciendo, & exiccando soluit ophtalmiam: si vero vehemens, & vaporibus acribus, & magnitudine caloris non solum nō soluit lippitudinem, verumetiam auget: addit & aliam causam, sed obscuram, cuius, vt existimo, hic sensus est, quod febris interdum exiccat humores, eo quod non sunt multi, interdum vero magis infarcit, quia & humores sunt multi, & caput plenum est. Tertium quaesitum est Alexandri 2. lib. prob. 104. cur magna ex parte pestem praecedat lippitudo? reddit causam, eo quod in peste spiritus sunt contaminati, qui suapte natura feruntur in caput, & deinde in oculos, tum quia oculi trahunt ipsos suo motu, tum quia ob passibilitatem facile recipiunt spiritus ingruentes; vnde spiritus commaculati existentes in oculis, inficiunt ipsos, & causam praebent ophtalmiae. Sed, pace huius magni viri, haec ratio mihi non satisfacit: primo, quia fomes ipsius pestis est potius in humoribus, quam in spiritibus, dico potius, quia non nego, quin interdum pestis fomes sit in spiritibus, qui tempore pestis statim iugulant homines, ita vt non sit locus gignendae ophtalmiae: Si igitur fomes pestis est in humoribus, non sequitur, spiritus venenatos debere inficere oculos. Praeterea dato etiam, quod spiritus in omni peste venenentur, tamen qui ad oculos perueniunt, non sunt vitales, sed animales. tertio dato etiam, quod animales venenentur à vitalibus, necessario prius debebit fieri pestis, quam ophtalmia, quia si primum venenentur spiritus vitales in peste, vt aequum est, prius

cor

cor ipsum tentabitur, quam oculi, vnde praecedet pestis ophtalmiam, non autem ophtalmia pestem. Igitur videtur mihi dicendum esse, cum hoc contingat non semper, sed magna ex parte, vt dicit Alexander, fieri solum, quando pestis habet primariam originem ex sanguinis ebullitione, quia in hac antequam contrahatur magnus ille gradus putredinis, & veneni, sanguis prius ebullit, vnde vapores multi feruidi, & acres feruntur ad caput, & oculos, quos ob feruorem inflammant, & ophtalmiam faciunt, atq; ideo in morbillis, in variolis, quae sunt genera pestis, nam Razes haec enumerat inter pestes, semper videbitis, antequam aduenient, oculos inflammari; & hoc est fere perpetuum. Differentiae ophtalmiae multae sunt, & à varijs locis capiunt, primo à materia ipsa, quae vel est vaporosa, vel humoralis, & si humoralis, vel sanguinea, vel pituitosa, vel biliosa, vel melancholica. Capiuntur secundo à quantitate, quoniam dicunt medici, ophtalmiam aliam esse magnam, aliã paruam aliam a paruo tumore, aliam cum magno, modo vehementem, modo remissam, modo continuam, modo discretam, seu vt dicit Auicenna, modo periodicam. Tertio à qualitate, nam dicit Auicennas, ophtalmiam ali am esse calidam, aliam frigidam, aliam rubeam magis, aliam minus, aliam benignam, aliã vero malignam. Capiuntur etiam à tempore, quia ophtalmia aut dicitur recens, aut antiqua, & Galenus 3. aph. 12. dicebat, aliam esse tabidam, aliam vero non tabidam. Sumuntur tandem à modo generationis, quia aliae gignuntur per congestionem, aliae per affluxum. Sed dices, cũ dixerim alias esse periodicas, quae sit ophtalmiae periodus? respondeo ex Galeno 2. de diff. feb. 11. ophtalmias fieri periodicas, vt & multos alios morbos, ratione qualitatis humoris, ex quo generatur eo quod si ex bile, periodus erit tertiana, si ex pituita, quotidiana; si ex melancholia, quartana. sed aduertendum est, quod etiam Galenus ait, saepe interturbari has periodos ob humoris congesti copiam: exempli gratia, si sanguis biliosus in magna quantitate congregetur, potest fieri periodus continua, seu quotidiana, licet sit materia biliosa. Signa ophtalmiae generica secundum Razem 9. ad Almans. & secundum Galenum 4. de medi. com. secundum loc. 4. & lib. de totius morbi temp. haec sunt, tumor oculi, rubedo, seu mutatio albi ad rubrum, fluxus lachrymarum, dolor, qui, vt dicebat Auicenna interdum pungitiuus est, interdũ vlcerosus, seu corrosiuus, interdum tensiuus. Aristoteles 10. Ethicorum cap. 3. vbi de voluptate agit, tradens exempla quaedam, inquit, in ophtalmia omnia, quae videntur, apparere alba, quasi hoc etiam secundum nonnullos sit ponendum inter signa generica ophtalmiae. Sed falluntur hi, quia apud Aristotelem sub nomine ophtalmiae intelligi-

tur

tur affectus oculorum, non inflammatio, & vt intellexistis, est affectus quidam in cornea, & humore albugineo, in quo omnia apparent alba, quamuis etiam ophtalmia, quae fit à pituita, vna cum copia lacrymarum habeat etiam hoc signum, quod omnia visa appareant alba.

Signa porro, quae species ophtalmiae distingunt, sunt haec, quod ophtalmiae non verae indicia sint causae procatarticae, praecipuè si omnia accidentia sint leuia, & abeuntibus causis extrinsecis, abeant quoque ipsa. Signa vero ophtalmiae verae, & magnae, quae à Graecis χύμωσις dicta est, sunt dolor magnus, tumor maxime rubeus, calor ingens, inuersio palpebrarum: interdum enim habent palpebras adeo inuersas, & tumentes, vt non possint oculum obtegere. Signa autem, quae demonstrant veram ophtalmiam, sed non magnam, sunt duorum generum, alia indicant an fiat per affluxum, an per congestionem materiae, & si per affluxum, per quas vias: alia vero demonstrant materiam ex qua fit inflammatio. Si cum ophtalmia iungatur nausea, vel vomitus, signum est fieri malum per affluxum à stomacho; si fit cũ capitis dolore, & grauitate, argumẽtũ est fieri per affluxum à capite, & quia hic affluxus potest esse per vasa, vel intra, vel extra cranium existentia, si venae frontis, & faciei sint tumidae, vt dicit Razes, si venae oculorum sint plenae, & ponderosae, similiter si palpebrae sint plenae, & graues, argumẽtũ est, per affluxum fieri per venas extra cranium, addit Auicẽna hoc magis innotescere, si arteriae temporum vehementer pulsent: quod si nullum horum signorũ adsit, sed cum ophtalmia sternutationes, & vt ait Paulus, pruritus nariũ, vel palati, argumẽto est ab affluxu fieri per vasa intra cranium existentia. Atque haec sunt indicia ophtalmiae per affluxum. Quod si fiat per congestionem, nullum horum signorum aderit, sed tumor tantum, dolor, calor, & lacrymae. Ad cognoscendam vero materiam facientem morbum, multa sunt indicia, & primo quaedam communia, quae semper vobis erunt spectanda, vt aetas, regio, constitutio aeris, temperamentum corporis, ratio victus, vitae studium, haec etenim omnia, quando examinabitis, poteritis saltem magnas coniecturas consequi, quibus intelligatis materiam peccantem. Sed sunt praeter haec alia argumẽta, magis particularia. E.g. si sanguis faciat malũ, totus oculus, & facies rubebunt, venae amplae erunt. tumor grauis, materia fluens benigna, non admodum acris, nec mordax: addit Alsarauius, sonitum aurium, sed puto signum hoc potius conuenire in facta à flatu, & vaporibus. Si materia fuerit pituita, aut sanguis pituitosus, color non admodum erit rubeus, sed potius subalbidus, grauitas magna, calor minor, minor etiam dolor, grauitas palpebrarum,

Signa.

rum,& palpebrae nocte veluti quodam visco conglutinabuntur, ita vt difficulter possint dissolui. Sed dices, cur potius hoc contingit, vt noctu palpebrae conglutinentur. Huius tres sunt causae, vna quia interdiu oculi mouentur, ex motu dissoluitur pituita, nocte vero quiescunt, & ratione quietis pituita congregatur, nec dissol. uitur. Altera causa est, quod noctu pituita coquitur, & dum coquitur crassescit, atque tenacitatem quandam acquirit. Tertia est, quia noctu magis abundat humor, quam diu, vnde cum multus sit, & detentus, facile conglutinatur. Si fiat à bile, dolor erit mordax, pungens: similiter si fiat ab iecore bilioso: adhaec pauca aderit rubedo, & potius flauities, lacrymae fluentes tenues erunt. Si vero fiat à sanguine melancholico, ait Auicennas, erit in oculo grauitas cũ obfuscatione parum glutinabuntur palpebrae, morbus erit contumax, & rebellis, oculus maximè siccus, nam tametsi flaua bilis sit etiam humor siccus, est tamen humidior oculus in hac, quam in melancholia: quia bilis sua acrimonia trahit alios humores ad oculos, qui ipsos humidos reddunt. Quod si nulla praedicta signa adsint, & tamen oculus doleat, tumeat, extendatur, atque conitus in auribus sit, argumēto est non fieri ab humore, sed à flatu, seu à vapore, eo magis si in oculo nulla appareat lacryma, quoniam in omni ophtalmia humorosa necessario aliquis humor apparet, sed in alia magis, in alia minus, maxime vero omnium in sanguinea, secundo loco in pituitosa, tertio in biliosa, postremo in melancholica. Quaeret aliquis, an ex vrina possit haberi indicium, eo magis, quod Hippocrates 2. Prorh. loquens de lippitudine, dicebat, in affectibus oculorum maxime inspiciendas esse vrinas. Sed ex altera parte nullus est, qui haec adnumeret. dicerem ego, signa ex vrina interdum haberi posse, sed non semper: haberi possunt, quando fit ab affluxu à partibus inferioribus, maxime à toto, quia iste affluxus fit per venas, & arterias; status autem venarum, & arteriarum maxime declaratur ex vrinis, ita vt iure dicat Hippocrates, in his ophtalmijs haberi posse signa ex vrinis. Verum secus est, si fiat ophtalmia per congestionem, vel per affluxum à capite, & hoc est, quod Galenus ait in com. prorhetica multa esse adulterina, & interiecta, & notat illum authorem voluisse haberi signa capitis affecti ex vrina, quod ait esse falsum. Habentur quidem interdum, sed non semper nec vt plurimum.

Prognostica. Circa prognostica, ait Razes, humidam ophtalmiam esse breuiorem sicca. Quae fiunt à causis extrinsecis omnes securissimae sunt, secundo loco, quae & ab intrinsecis, & ab intrinsecis, difficillimae omnium, quae solummodo ab extrinsecis, inter quas sunt quidam gradus, quia, vt dicebat Razes, quae fiunt à materia calida

&

& subtili, & sine lacrymis sunt, frequenter exercent, & onerare solent; dicebat enim Hippocrates in Coac. Praen. vbi dolor capitis copulatur ophtalmiae, & longo tempore comitatur, ferè occoecare solere. Quae vero fiunt ab humoribus crassis, & viscidis, nō modo periculosae non sunt, immo vero saepe visum exacuunt. Causam huius reddit Aristoteles 31. part. probl 9. & Cassius probl. 18. quod sicuti medicamenta, quae lacrymas cient, visum exacuunt, quia humorem euacuant, qui visum turbabat, vt coepe, & allia, sic in his morbis euocantur humores, qui antea visionem turbabant. dicit idem Hippocrates, vbi febris ophtalmiae superuenit, liberat, quod praecipuè verum est de ophtalmia facta à materia frigida, sicuti fere verũ est de omni, quod vbi alui fluxio superuenit, ophtalmiam soluit, vt dicebat idem Hipp. 6. aph. 17. Celsus lib. 6. cap. 6. dat plurima signa, quibus & futuros euentus intelligere, & praedicere possimus, sed haec sunt praecipua, quod longa, sed sine periculo futura sit valetudo, si lacryma sit multa, calida, pituita pauca, tumor modicus: econtrario, neque longam valetudinem, neque periculum vllum minatur, si simul lacryma, tumor, & crassa pituita coeperint, pituita sit alba, tumor non admodum durus.

Curatio. Circa curationem huius affectus, quia saepe male torquet oculos, partem nimirum, vt ait Plinius lib. vndecimo, corporis nostri praeciosissimam, quae lucis vsu distinguit mortem à vita, diligentes esse debetis, non solum, vt cognoscatis, verumetiam, vt statim succurratis. pulchrum sane est Oribasij praeceptum 4. ad Eunapium, vbi dicit, cum inflammatio, & dolor oculos obsidet, si medicus adsit, facito, vt ipse medeatur, si non adsit, facito tu, ea quae possis, quousque medicus accedat, ne quid deterius contingat: putauit author iste, tanti referre, vt statim praesidia adhibeantur, vt voluerit aegrum etiam seipsum curare. Curatio itaque duum generum erit, altera non verae ophtalmiae, altera verae. Curationem non verae conueniunt omnes facillimam esse, neque tamen negligendam, nimirum quae tota posita sit in causarum extrinsecarum abolitione, nam nisi huiusmodi causae primitiuae sublatae sint, frustatorium erit omne medici studium. Debetis itaque primo omnes causas primitiuas amputare, deinde, si sublatis causis, adhuc maneant vestigia, confugiendum est ad alia, & primo memoria tenendum, quod scriptum est ex sententia Archigenis apud Galenum 4. de med. loc. 4. & quod in omni ophtalmia seu vera, seu non vera, aptatur, nempe, vt cibi, & potus paucitas, aquae potus, abstinentia veneris, & alui lubricitas semper obseruentur. Atque haec

omnia, & vtilia, & necessaria sunt. Quod si morbus factus sit ex adustione capitis à sole, vult Aetius, vt plurimum potet aeger, ad conciliandum somnum, & ad coquendam inflammationem. Ad haec aqua rosarum cum camphora, vel sola, lac mulieris iuuenis instillatum conuenit, & maxime confert. Rabby Moyses 2. aph. laudat emplastrum factum ex teneris folijs rosarum. Sed aduertendum est de potu, nam Ruffus Ephes. vt ait Rases, monuit, aegrum debere multum vini potare. Paulus, Aetius, & Oribasius, dixerunt solum debere multum potare, sed neque vini, neque aquae meminerunt. Ego vero puto esse vinum aduersum, vbi caput aestuat sub sole, & potum aquae, non vini, adhibendum, quia & somnum conciliat, & inflammationem sedat. Si à fumo, vel puluere factus sit morbus, primo abluendi sunt oculi aqua dulci, tum quiescendũ, abstinendũ, & aeger detinendus in loco angusto, & obscuro, quod si malum non cedat, vtemini hoc linimento in palpebris. ℞. pul. ros. drac. j. croci, scrup. j. aquae ros. q. s. fiat linimentum. In hoc casu laudat Oribasius infusionem, vel lactis, vel frigidae saepius factã. Si à frigore fiat ophtalmia, duo commendat Auicenna, primum est, balneum aquae dulcis tepidum, quod tamen prudenter adhibendũ erit, scilicet nisi caput repletum sit, quoniam repleto capite, balnea inimica sunt, quia agitant materias, & humores ad oculos praecipitant. secundum est, vt digesto cibo, vinum tenue, & subtile propinetur. Si fiat ab oleo, abstergentibus detergendum est, vt aqua hordei, & myrabolanorum. Si fiat à vespa, vt saepe fit, solent vulgares statim oculos ferro contingere, quia hoc suo frigore repellit influentes humores, & compressione illa facit, ne pars in tumorem attollatur; sed hoc etiam in casu confert summopere, oculum abluere frigida, vel aqua hordei cum lacte.

Vera autem ophtalmia paulo diligentiorem curationem expostulat, quia à varijs causis efficitur: propter quod iure videtur Celsus latenter suggillare Hippocratem, quod dixerit, in dolore oculorum conuenire balneum, meri potionem, fomentum, purgationem, & sectionem venae, nec tamen distinxerit corpora, & causas, in quibus medicinae summa est. Nos igitur distinguemus species; & primo, quia sunt quaedam omnibus fere communia, de his primo agemus; nam aer in omnibus ophtalmicis obscurus esse debet, in causa calida frigidus, & contra. somnus moderatus vtilis est. Sed si dolor multum vrgeat, qualibet hora dormiendum, quia somnus, & dolorem sedat, & causam morbificam percoquit, fiat autem capite eleuato, & supine. Detinendi sunt aegri in quiete, non loquendum,

dum, fugiendi somni graues, & multi, quae adspiciuntur debent esse, vel viridia, vel coerulea, vel nigra, in qua re etiam nonnihil discriminis est, quia si visus non sit adeo disgregatus, potius viridia, & coerulea cōueniunt, sin vero multum sint disgregati spiritus, nigra, atque ita interpretandus est Galeni locus, quando colores nigros praefert viridibus, & coeruleis. Ira vitanda, & cogitatio, motus omnis cauendus, praesertim vero superiorum partium, propter quod etiam pectinationes capitis damnantur. De capillis numquid tondendi sint, multi longas disputationes fecerunt, sed cum viderim Galenum 11. vsus part. cap. 14. laudantem in ophtalmia capillos minui, quod etiam vult Auicennas, ita hanc rem statuendam puto, quod si capilli sint multi, & caput grauare videantur, & caput calidum sit, minuendi sunt praesertim, quando non liceat pectinare, secus vero, si non sint multi capilli nec grauent caput. Aluū fluere quotidie curandum est, si non sponte, saltem arte. Circa balneum, quatuor sunt obseruanda. Vnum vt non adhibeatur, nisi corpus sit mundum, quia si sit plenum, periculum est ne materia diffusa à balneo, ad oculos ruat, secundum vt iam tota materia sit effusa ad oculum, non autem sit adhuc in motu. tertium, vt adhibeatur, vbi humor est crassus, & pituitosus, quia à balneo huiusmodi humores attenuantur. quartum, vt morbus sit in declinatione. Quod ad potum attinet, puto rem ita definiendam esse, quod in declinatione semper cōuenit vinum, quia concoquit, & absumit, alio tempore, vel numquam, vel solum, quando materia est frigida, & sanguis crassus, quo in casu Galenus 6. aph. 31. ait vinum generosum conuenire, ex Hippocratis sententia, atque se quendam vini potu hoc modo curasse: vbi vinum non conceditur, aqua cocta cum foeniculo, & coriandro, aqua hordei, aqua simplex, granatorum, diuersimode conueniunt, prout diuersa est materia, ex qua fit ophtalmia. vitari debent omnes salsi cibi vaporosi, acres, difficiles coctu, crassi succi. Circa cibos acetosos multi multa loquuntur, sed paucis hoc definiam, quod acetum acre numquā cōuenit in affectibus oculorum, quia est veluti vehiculum, quod prouehit humores ad oculos: acetosa vero, seu acida, quae habent iunctam adstringendi facultatem, possunt conuenire, praesertim si post cibum sumantur, quia faciunt ne humores, & vapores in caput tollantur. Haec ferè communia sunt. Est deinde deueniendum ad particularia magis, quae omnia quinque generibus complexus est Hippocrates 6. aph. 31. vbi ait, dolores oculorum sanari meri potione, balneo, fomento, sectione venae, & purgatione, & sane tota haec medicatio his quinque absoluitur. Sed aduertendum, ordinem

hunc remediorum non esse seruandum in curatione, id quod notauit Celsus, quia primo non conuenit meri potio, secundo balneum, tertio fomentum, quarto sectio venae, & quinto purgatio, sed vbi haec administranda sunt, alter ordo seruandus est. Quod ad potum, & balneum attinet, iam intellexistis; sectio venae sequitur, circa, quam quatuor sunt consideranda, vnum est, quibus conueniat, alterum quantum. tertium quo in loco. quartum quo modo. quod ad primum, est controuersia inter Graecos, & Arabes, quia Graeci nolunt in omnibus conuenire sectionem, sed solum, quando corpus plenum est, dolor magnus, distensio partis, rubedo, & calor. Contra Mesues, Auicenna, & alij Arabes, videntur voluisse sectionem venae conuenire in omnibus, modo nihil impediat. Ego sic rem definio, quod nisi quid prohibeat, & ophtalmia sit humorosa, atque etiam magna, semper à quocunque fiat humore, sanguis mittendus est, primo, quia huiusmodi ophtalmia, vel est à sanguine, vel ab alijs humoribus sanguini permixtis: praeterea ex sectione tria bona praestantur, reuellitur materia, remittitur dolor, & feruor, praebetur locus medicamentis repercutientibus, quia cum venae exinanitae sunt paululum, fit vt in locum exinanitum humores repulsi à medicamentis recipiantur. In ophtalmia facta à materia vaporosa, non conuenit venae sectio, nisi dolor sit vehementissimus, nam vt Galenus ait, in omni dolore magno saluberrimum remedium est sectio venae. De loco sectionis, ita statuendum est, quod si corpus repletum sit, & malum fiat ex plenitudine, primo pertundenda est vena communis, deinde cephalica, postremo venae post aures, vel temporum, & si malum prorogetur, etiam venae angulorum in oculis: sin malum non sit à plenitudine, statim deueniendum est ad sectionem cephalicae, deinde ad sectionem venarum post aures. Quantitas metienda erit ex viribus, quae si sustineant, & malum fiat à plenitudine, aut mittendus est sanguis vsque ad lypothymiam exclusiue, aut partienda est missio in plures vices, vt Galenus lib. de cur. ratione per sanguinis miss. ait, se fecisse in procuratore cuiusdam ciuis Romani, in quo multam quantitatem extraxit, sed tribus vicibus. Tempus sectionis est, vt statim mittatur, lenita prius aluo, quod si sectio non permittatur, adhibendae sunt cucurbitulae spatulis, aut etiam coxis, aut partibus inferioribus. frictiones, & ligaturae etiam conueniunt in principio ad reuellendum, quamquam facienda sit phlebotomia. Atque haec de venae sectione. Circa purgationem est animaduertendũ, an malũ fiat ex sola plenitudine sanguinis, an ex cacochymia, quia


si ex

si ex sola plenitudine, post sectionem venae nulla conuenit purgatio, sed tantum localia, quae qualia esse debeant mox audietis: si vero malum non sit à plenitudine, sed à prauitate humorum, praeparandi sunt statim humores medicamentis, & syrupis accommodatis; tum purgandi, pituita quidem agarico, pilulis cochijs, pilulis indis; bilis scammonio, rhabarbaro; melancholia pilulis de lapide lazuli, pilulis cochijs cum elleboro. sed aduertite, interdum debere esse leuiora medicamenta, interdum grauiora, quia si facile purgabitur aeger, leuia, si difficulter grauiora, nam omnino necessarium est soluere aluum. dicebat enim Galenus sexto aph. 17. vbi Hippocrates ait, ab ophtalmia habito, si fluxus alui superuenerit, bonum, quod sicuti videmus fluxum à natura factum curare ophtalmiam, sic quoque debet medicus iuuare naturam, vt aluum fluere faciat.

Circa vltimum remedium, fomentum, sunt etiam quaedam obseruanda, quae omnia fere monstrat Galenus 4. de med. loc. vnum vt fugiantur fomenta adstringētia, quia si oculis adhibeantur, exasperant, & dolorem augent; verumtamen ad cohibendum fluxum vti poteritis adstringentibus validis circa frōtem, & tempora: prosunt enim compescendo fluxū, neque dolorem exasperant. Alterum obseruandum est, vt quantum fieri potest, medicamenta opiata fugiatis, id est ea, quae magnopere refrigerant, quia vt dicebat Galenus, si opiata adhibeantur, aut vehementia sunt, aut non ita vehementia: si non sint ita vehementia, primo quidem appulsu leniunt dolorem, sed paulo post cruciatum ingeminant: si vero vehementia sint, tollunt quidem dolorem, sed, vt ait Galenus, tollunt etiam visum. Dices cur igitur medicamenta veterum à Galeno relata, fere omnia opium habent? dico ea esse prudenter excogitata, quia opium illud adeo refractum est, vt si non iuuet, etiam non loedat. Cogūtur tum medici ob soeuitiem doloris interdum ipsis vti; sed adhaerendum est Galeni consilio, vt si vtamini opio, dolore sedato, ilico foueatis oculos calidis, vt scilicet possit mala qualitas ab opio relicta auferri. Superest igitur, vt medicamenta sint accommodata, nempe quae modicè adstringant, & leuia sint, vt est albumen oui, foenugraeci decoctum maxime laudatum à Galeno, crocus, thutia lota, aqua rosacea. Atque haec omnia fere, si iudiciū adhibeatis, conueniunt in qualibet materia. Nolo interim praeterire, quod fere pro oraculo habeo, vt in principio, nisi coacti, numquam localibus vtamini: ego enim millies expertus sum, quod inflammati oculi initio nolunt tangi, quia ita pollent acumine sensus, vt qualibet attrectatione offendantur, & semper abstineo

neo quantum possum à localibus, praesertim in principio. Haec omnia volui circa curationem solum per capita vos docere, tum quia poteritis particulariter vos exercere, tum quia medicamenta ocularia multa habebitis apud authores.

FINIS.





HIER. MERCVRIALIS DE AVRIVM AFFECTIBVS PRAELECTIONES.

De auditus praestantia, atque artificio, et quibus is vitiorum generibus tentari soleat. Cap. I.



NTER sensus, nobis à natura tributos, alij vitae necessarij sunt, alij vitae beatae, alij neutri, sine sensu tactus, neque esse, neque viuere potest homo, absque auditu, & visu potest quidem viuere, bene autem, & beatè nequaquam. odoratus homini, neque ad bene esse, nec ad esse, necessarius est; quoniam si voluptates, quas odoratus nobis praestat, comparemus molestijs, adeo pauciores sunt, vt non debeat homo hunc sensum magnifacere, dico hoc in homine, quia bruta odoratu ad prosequendas escas vtuntur. Cum igitur homo non minus, vt bene viuat, quam vt viuat, curare teneatur, ea propter non minus studij impendendum est, vt visus, & auditus sibi conseruetur, quam vt tactus, & gustus. Quod vero hi duo sensus, scilicet visus, & auditus ad bene, & beatè viuendum conducant, testantur Plato, & Aristoteles, qui dixerunt, ad prudentiam, & ad disciplinas comparandas hos sensus esse maxime necessarios: & quamquam Aristoteles in lib. de sen. & sens. videatur sensisse, visum ad prudentiam magis conferre, quam auditum, nihilominus sum alterius sententiae, ꝙ videamus coecos saepenumero prudentiores esse, quam surdos, propter quod Theophrastus in lib. de sens. iure dixit, auditum magis ad rationem accedere, quam ad affectus, immo vero nullum esse sensum, qui magis alienet à ratione, quique magis dementet homines, ipso auditu. Cum igitur haec ita se habeant, si diligentes fuistis, in cognoscendo quomodo visum à morbis custodiatis, eodem modo etiam auditum defendendum curare debetis, & spero me

me vobis hanc rem ita tractaturum, vt & ego nihil omisurus,& vos vtilitatem cum voluptate capturi sitis. Primum igitur, inuenienda sunt nobis vitiorum genera,quibus hic sensus maxime omnium labefactatur : ratio vero ea inueniendi non aliunde petenda est, nisi ex cognitione artificij auditus, qui, vt colligere est ex Aristotele 2. de anima, & lib.de sens.& sens. nihil aliud est, nisi perceptio sonorum externorum : etenim, dum aer iste externus percutitur, labyrinthos, & gyros aurium ingreditur, donec perueniat ad aerem illum implantatum, qui percussus ab externo, dum, (vt ait Plato) percussionem ad animum mittit, fit auditus. sed quomodo hoc perficiatur, melius intelligere potestis ex Hippocrate lib. de carnibus, & lib. de locis in homine, vbi reprehendit quosdam, qui dicebant, in auditu cerebrum personare; refellit horum sententiam hac ratione, quia cerebrum, & membranae cerebri humidae sunt, humida vero personare non possunt, qua ratione dicit Hippocrates, intra latebras aurium esse spacium quoddam plenum aere, circundatum ab osse, & à pellicula aridissima, vbi aer percutitur, percussus allidit ad os circumdatum, & ad pelliculam, quae percussa ob siccitatem resonat, sonitus vero ille peruehitur ad cerebrum, atque ita fit auditus. Ex hoc discursu, & ex hac auditus notitia colligitur, ad perficiendum auditum quatuor esse necessaria, vnum vt soni audiantur, alterum vt soni solum externi, id est ab externa percussione aeris effecti. tertium vt percipiantur soni positi in debita distantia, nec non facti à moderata percussione. quartum vt haec perceptio fiat sine vlla perturbatione, vel dolore. Si igitur aliquid horum, dum fit auditus, desideretur, statim auditum laborare est, consentaneum. E. g. si soni non percipiantur, si non percipiantur externi, sed interni, si non percipiantur in debito spacio, vel cum moderata percussione, postremo si percipiantur, sed non sine perturbatione. Vbi soni nullo modo percipiuntur, fit surditas, vbi percipiuntur interni, non externi, fit tinnitus,& sonitus, vbi percipiuntur externi, sed non in debito spacio, nimirum solummodo propinqui, aut non percipiuntur nisi cum magna percussione, fit auditus grauis, vbi percipiuntur etiam in debito spacio, sed non sine perturbatione, efficitur dolor. Itaque quatuor habetis ex arte inuenta genera vitiorum, quibus auditus loeditur. De quibus omnibus exactissime tractabo.

De graui auditu, ac surditate. *Cap.* 2.



Xordiar autem à surditate, & grauitate auditus quia haec vitia ab ijsdem causis ortum ducũt, & easdem pene curationes postulãt, & si quae est differentia, solum secundum magis, & minus est. Vbi igitur nullo modo audiuntur soni, neque à propinquo, nec externi, aut interni, neque sub vehementissimis aeris percussionibus, fit affectus, a Latinis surditas appellata. Marcellus appellauit surdiginẽ, Graeci vocant κώφωσιν. Sed notate, quod etiam notauit Herotianus, hanc vocem apud Hippocratem non solum auditus designare priuationem, verumetiam interdum priuationem visus, eo prope modo, quo etiam inuenietis apud Latinos, surditatem significare saepe priuationem, vel obtusionem variorum sensuum. Vbi vero audiuntur quidem soni, sed debiliter, ita vt solum in spacio paruo audiantur, vel sub magna percussione, vel aliquo alio adiumẽto, vt ait Galenus 11. de vsu par 12. de Hadriano Imperatore, qui audire non poterat nisi manum obtenderet auri, fit alterum vitium, quod Graecis tribus nominibus appellatum est, βαρυηκοΐα, δυσηκοΐα ὑποκώφωσις. medici Latini appellarunt grauem, difficilem, vel debilem auditum; Latiniores scriptores appellarunt sic affectos sudastros. Haec duo vitia symptomata sunt in genere actionis auditoriae loesae dupliciter, ablatè, scilicet, vt in surditate, & diminutè, vt in graui auditu. Morbi, a quibus dependent, vt est apud Galenum lib. de diff. sympt. cap. 3. sunt mala intemperies, interdum solutio continui, nonnumquam mala conformatio. Sedes affecta modo interna pars auris est, modo neruus auditorius, modo cerebrum ipsum, in quibus omnibus locis potest morbus esse positus, qui faciat hos affectus, quorum plures sunt apud medicos differentiae; quoniam alij sunt natiui, alij vero aduentitij, alij vetusti, alij recentes; rursus alij sunt facti per essentiam, alij vero per consensum.

Caeterum causae horum affectuum naturalium duae solummodo sunt, nerui auditorij occlusio perfecta, nec non spacij illius vacui integra repletio, atque hac sunt duae causae surditatis, quod si nec perfectè a natura nerui sint occlusi, nec spacium illud integrè oppletum, non fit surditas, sed auditus grauis a natura. Causae autem horum affectuum aduentitiorum, & morbosorum, aliae sunt internae & immediatae, aliae externae, & mediatae. Internae, vt colligitur ex Galeno 1. de sympt. caus. cap. 3. & apud Auicennam quarta, tertij, tract. 1. a tribus fontibus capiuntur, aut a fa- *Causae.*

cultate loesa, aut a neruo auditorio, aut a partibus artificio auditus inseruientibus. Causae internae ex parte facultatis sunt, vel morbus cerebri, vel nerui auditorij: morbi cerebri, qui causant hos affectus, sunt mala intemperies, tumor, solutio continui, sic enim experiemini in lethargo, in phrenitide, in vulneribus capitis grauioribus, interdum auditum prorsus tolli, interdum vero valde diminui; causa cur ex his morbis offendatur auditus est, quia vel spiritus non mittuntur ad auditum, vel pauci, vel inutiles; sicuti enim si mittuntur multi spiritus, & puri ad aures, fit exquisitus auditus, sic, si vel nulli, vel impuri, loeditur. Quod autem multitudo spirituum faciat ad exquisitum auditum, solum vnum, atque illud efficax argumentum volo vobis tradere, de coecis, & de talpa, nam videbitis semper coecos exquisitissime audire. talpa similiter, quae a natura coeca facta est, exquisitissime audire putatur, quia spiritus illi, qui deberent inseruire virtuti visoriae, omnes ad auditum efficiendum conuertuntur, & ob id exquisitissimum auditum reddunt. Morbi vero nerui auditorij, qui hos affectus faciũt, sunt vel intẽperies, vel obstructiones, vel incisiones obstructio huius nerui fit, aut si comprimatur, aut si oppleatur, vel flatu, vel materia, quae potest esse varia, nimirum melancholia, bilis, & pituita, sed frequentissime est pituita, propter quod Hippocrates lib. de morbis ait, mutilari auditum, vbi in instrumẽto ipsius pituita obfirmata est. Causae ex parte instrumenti, sunt intemperies, solutio continui, facta vel in ossibus illis circundantibus spacium, vel in pellicula illa sicca, aut est obstructio, facta, vel ab humoribus, vel à sorditie, vel à callo, vel vel ab aliquo alio huiusmodi. Sed hoc in loco duo sunt notanda, vnum, Auicennam duas surditates effecisse, alteram, quam proprie surditatem appellauit, quum scilicet vacuum illud, in quo est auditus instrumentum, oppletur; alteram vero, quando nerui deferentes auditorium spiritum, opplentur, atque hanc vocauit duobus nominibus, tarax, & guacrem; quae surditas idcirco fit, quia spiritus à cerebro nequaquam transuehi possunt ad spacium hoc auditorium. Alterum notandum est, surditatem omnem consummatam, & perfectam fere semper à natiuitate fieri, dico fere semper, quia interdum etiam, sed rarissimè, ex morbis oritur, sed quando oritur, homo parum superuiuit, ratio est, quia vix fieri potest, vt nerui illi auditorij vmquam perfecte oppilentur, & vacuum illud aliquo morbi genere penitus oppleatur.

Causae porro ex parte membrorum, deseruientium huic artificio, sunt ijdem fere morbi, quos in alijs enumerauimus, quoniam anfractus illi aurium cum sint destinati ad perferendos externos sonos intra aurem, si aliqua de causa impediãtur, quo minus possint

suo

ſuo munere fungi, ſtatim auditus vel deperditur, vel multum hebetatur. Iam vero cauſae mediatae, ſeu externae, & antecedentes, multae ſunt, imprimis aer craſſus,& nebuloſus; vnde videbitis eos, qui habitant paludes, & lacus, citiſſime,& ante ſenectutem fieri ſurdaſtros, regio auſtrina, & tempus auſtrinum idem faciunt; nā ait Hipp. 3. aph. 50. auſtros eſſe βαρυκόους. i. grauem auditum facere; aetas, quia ſenes ſolent auditum diminutum habere, quod non alia ratione fit, quam quod pauci,& infirmi ſpiritus a cerebro ad aures perferuntur,magni ſonitus,& fragores auditum valde loedunt, ſic inuenietis nonnullos ob tonitrua ſurdaſtros factos eſſe. Plinius lib.6. cap.29. narrat eius regionis accolas, qua Nilus ſeſe praecipitat, ob fragorem, & ſtrepitum aquae cadentis, fieri ſurdos. Vehementes aurium percuſſiones, & corpora exterius intra aures delabentia & praeſertim aqua frigida frequenter illabens,magnum auditui detrimentum pariunt. arundinis lanugo, vt refert Plinius lib. 24. cap. 11. peculiari quadam facultate, ſi in auribus ponatur, ſurditatem facere putatur; medicamenta etiam aliqua, vt opium,addit his omnibus Alzarauius fumos auri pigmenti,& argenti viui,& arſenici, ſi aures tangant, valde offendere.

Inter cauſas externas a quibus fieri ſurditatem dixi,audiuiſtis a me connumeratam eſſe aquam. eſt autem quaeſtione dignum, cur ea illapſa auribus, potiſſimū auditum offendat. Alexander 1. probl. med. 71. conatus eſt huius rei cauſam explicare, vbi quaerens,cur aures omnes alios ſuſtinent liquores, aquam vero non poſſint, ait eam eſſe cauſam,quia aqua ſua fluxibilitate ſeſe in meatum auditorium inſinuat, vbi, cum pars illa ſit neruea, & nerui omnes, vt ait Hippocrates,loedantur a frigore,iure inſtrumentum auditus loeditur ab aqua: propter quod miror Agathinum medicum, qui apud Oribaſium lib.10. cap.7. dicebat, ſe ignorare, cur auditus lauacro frigido offendatur. Poteſtis rationibus Alexandri aliam addere, ſ. quod aqua continuo illapſu relinquit humiditatem in inſtrumēto auditus: iam vero eſt ſententia Ariſtotelis 2 de anima, & 11. part. probl. 57. non audiri per aquam, eo quod vox non poteſt aquae meatus anguſtos penetrare. Inter cauſas externas ſunt etiam morbi antecedentes: & Celſus ait,auditum maxime minui ex longo capitis dolore, ſic quoque epilepſia, lethargus,& alij morbi capitis frigidi ſolent auditum imminuere.habetis Hippocratis ſententiam 4. aph. vbi ait,bilioſas deiectiones, ſi intempeſtiuè finiantur, ſurditatem parere. Eſt hic pulchra conſideratio, an ſicuti morbi capitis ſurditatem interdum efficiunt, ſic quoque morbi pulmonis poſſint ſurditatem efficere. Ex vna parte non videtur conſentaneum, vt morbi pulmonis offendant aures; primum, quia inter pulmones,&

aures nulla videtur euidens communicatio. secundo, si vitia pulmonis offenderent auditum, videretur necessarium, quod animalia, quae carent pulmone, minus audirent. quia si vitium pulmonis facit surditatem, ergo magis carentia; sed falsum est, animalia carentia pulmone, esse surda: quoniam pisces maxime audiunt, vt multis exemplis docuit Plinius, lib. 10. cap. 70. Ex altera parte est Aristoteles qui vndecima part. prob. 4. & 14. quaerens cur surdi ex naribus loquantur, ait ideo esse, quia pulmo vitiatus est in surdis, cum enim, ait ille, surditas sit repletio partium spiritalium, fit, vt surdi perinde, atque asthmatici cogantur vocem vehementer edere. vnde vox vehementer edita erumpit per nares, atque ita surdi ex naribus loquuntur, quoniam vitiatus est pulmo; quamquam Cassius prob. 23. dicebat, aliam esse causam, cum surdi loquantur ex naribus, quia scilicet eo morbo, quo sunt surdi, coguntur dilatare nares, vnde illis dilatatis spiritalis vox per nares erumpit: accedit Aristotelis authoritati & ratio, quia inter aures, & pulmones videtur esse maxima conspiratio, licet non euidens, primo quia si aures scalpantur, protinus excitatur tussis; non ob aliud, nisi ob conspirationem inter membra spiritus, & aures. secundo probatur, quod adsit haec conspiratio, quia habetis ab Hippocrate. 2. prog. morbos pulmonis saepe in parotidas finiri. postremo dicit idẽ Hippocrates, etiam peripneumonias finiri in surditates, & in affectus capitis. Itaque clarissimè apparet, & ratione, & authoritate, esse conspirationem inter pulmones, & aures, ita vt possit faciliter per morbum pulmonum communicari offensio auribus. Dicerem in hac dubitatione, non necessarium esse, neque perpetuo verum, quod surdi habeant vitiatũ pulmonem; contingit tamen hoc interdum. tunc scilicet, quãdo surditas fit ex repletione neruorum auditoriorum, quo in casu cum plurimi abundẽt humores in capite, saepissime contingit, vt non solum ad aures, verumetiam ad pectus decumbant, & sicut auditum offendunt, pariter pulmones commaculant, & vitiant. Itaque ad Aristotelem dicerem, intelligendum esse non quod semper sic contingat, sed quod interdum. Sed dicetis; iam intelligimus quomodo in surdis pulmones vitientur, intelligimus etiam, saepe passiones ex pulmonibus redundare in cerebrum, sed optamus nunc scire, cur in phrenitide, & etiam in lethargo magis offendatur auditus, quam alij sensus; hoc videbitis experientia semper, affectos grauiter secundum caput minus audire, quam videre, aut odorari. Dico hoc fieri tribus de causis. prima, quia, vt ait Theophr. lib. de sens. auditus inter omnes sensus proximus est rationi, vnde Aristoteles 5. ait, ipsum magis ad disciplinas capessendas conferre: cum igitur auditus sit rationi magis cognatus, iure, vbi offenditur

ditur ratio, vt in phrenitide, consequentia quadam offenditur auditus secunda ratio est, quia proprium instrumentum auditus est magis vicinum cerebro, quã alia instrumenta, ea propter fit, vt loeso insigniter cerebro, faciliter cooffendatur auditus instrumentũ. tertia ratio est, quia potissimum auditus instrumentum est, vt dixi, ea tunica arida circumdata ossibus, iam vero phrenitis est inflammatio membranarum cerebri, & membranis affectis faciliter coafficitur ea tunica, quae est membranosa. Et haec de causis.

Signa vero surditatis, & grauitatis auditus partim habentur ex aegri relatione, partim ex animaduersione medici: quia illos, qui male audiunt, videbitis saepe non intelligere ea, quae dicuntur, saepe exporrigere aures, facere vt repetantur verba, & alia quaedam, quae solerti medico declarant auditum offensum esse. Signa vero, quae distinguunt natiuos à morbosis, nulla alia sunt, quam perduratio, & permanentia morbi vsque à primis annis. Sed potissimũ signum quo debetis surditatem natiuam à morbosa distinguere est, quod surdi à natiuitate semper sunt muti, surdi à morbo, quantum sit ratione surditatis, non sunt muti, dico ratione surditatis, quia fieri potest, vt morbus, qui facit surditatem, etiam auferat loquelã: Sed antequam vlterius in peruestigandis signis progrediamur. tria problemata sunt discutienda, vnum est, cur surdi à natiuitate semper sint muti, alterum cur inter omnes sensus, auditus videatur magis obloedi à natiuitate. tertium cur surdi à natiuitate sint surdi in vtraque aure: à morbo raro contingat, quod in vtraque, sed frequentius in altera tantum. Ad primum respondet Alexander, & bene, primo probl. 133. quoniam sermocinatio, & loquela fit per disciplinam, disciplina fit ex auditu, itaque sublato auditu non est locus disciplinae, & consequenter sermocinatio destruitur. dat & aliã rationem, quod secũdum aliquos medicos, idem par neruorum defert ad auditum facultatem, & ad linguam, vnde impedito hoc pari neruorum, necessario, & linguae, & auditus nerui simul impediuntur; ad quam rationem potest etiam, & illud addi, quod ait Hippocrates lib. de carnibus, scilicet homines fieri mutos, quando lingua ad palatum, & ad dentes allidens, dearticulare nullo modo potest. sed haec secũda ratio licet fuerit aliquorum medicorum, non est tñ vera, quemadmodum prior. Circa secundum, Aristoteles 11. part. prob. 1. conatus est rationem explicare, vbi scribit, auditum, & vocem effici ab vno principio, quod vt exponit Apponensis, est cor ipsum. Vnde sicuti vox in homine faciliter deprauatur, eadem ratione, & auditus, & propterea facilius caeteris sensibus offenditur; quod vox in homine magis deprauetur tribus argumentis probat Aristoteles, primum est, quod homines à natiuitate longo tempore obmute-

obmutescunt, alterum, quod quo tempore homines loqui incipiũt, balbutiunt, integras voces non proferunt. tertium est, quod solus homo inter omnia animalia sermonis est capax. His tribus indicijs putauit Aristoteles satis probasse, quod sermo in homine faciliter deprauetur, & quod debeat hac ratione etiã auditus faciliter deprauari. Sed haec sententia mihi non probatur. nã tametsi nos medici inuiti concedamus philosopho, à corde fieri auditum, & vocem, non tamen sequitur similitudo de auditu, & voce: siquidem à principio omnibus auditus integer est, vox vero, vel sermo neque integer, neque diminutus, itaque non videntur sese consequi vox, & auditus, quod autem auditus in omnibus sit à principio natiuitatis, est testimonium Galeni, qui primo de tuenda val. cap. 2. dicebat; homines statim ac nati sunt delectari harmonia, & sono, & propterea pueros cantu nutricum demulceri. Potest & altera ratione Aristotelis similitudo conuelli, quia etsi homo tarde loqui incipiat, atque etiam dum incipit loqui, balbutiat, tamẽ non verè potest dici sermo ille deprauatus, eo quod sicuti fructus dum sunt immaturi, non dicuntur corrupti, sic dum sermo incipit fieri, non debet dici deprauatus, sed veluti immaturus. Praeterea si hoc verum esset, debebat Aristoteles reddere rationem, cur sermo deprauetur, cum vero hoc non fecerit, cur ipsi credemus, quod propterea auditus loedatur? Itaque pro solutione huius problematis, puto dicendum esse, tribus de causis potissimum auditum à natiuitate obloedi, vna est, quia foetus in vtero habet omnia ferè instrumenta sensuum occlusa, exceptis auribus: nam neque nares, neque os, neque oculos apertos habet, aures vt plurimum habet patentes, & propterea facile fit, vt aliquid ex vtero in aures labatur, quod quidem contingere non potest alijs sensibus. altera ratio est, quia instrumentum auditus internum vacuum est, vt dixi, vacuum autem in vtero, & capite humidissimo facile repleri potest. tertia ratio est, quia nerui auditorij, cum sint propinquiores cerebro, sunt magis passibiles, & hinc fit, vt etiam facilius offendantur.

Ad tertium problema respondeo, id quod dicit Cassius medicus probl. 17. surditatem, scilicet à natiuitate, fieri fere semper propter cerebri ipsius morbum, vnde cum causa sit interna, & sit communis vtrisque neruis auditorijs, necessarium est, vt offenso principio ambo nerui offendantur, & consequenter vtraeque aures surdescant; secus autem contingit in morbo, quia surditas in morbo plerunque fit aliqua causa externa praecedente: iam vero externa causa potest loedere vnam aurem, illoesa altera, quia cum aures sint valde remotae, potest loedi vna auris extrinsecus, aut etiã intrinsecus, illoesa altera, modo principiũ neruorũ offensum nõ sit, & hoc habe

tis

tis pro indicio ad cognoscendum an surditas sit vitio principij neruorum, quia ambae aures tum semper surdescunt, non autem vbi non est affectum principium.

Signa quae distinguunt affectus essentiales ab affectibus per consensum, sunt haec, quod si fiat per cōsen um à cerebro, vt notat Galenus 4. de locis aff. & Auicenna 4. 31. tract. 1. necessariū est, vt praeter auditus loesionem, adsit aliqua alia loesio in capite, in facie. praeterea succedet malum alicui morbo capitis, vt epilepsiae, lethargo, phrenitidi. adhaec offenduntur etiā simul, & alij aliqui sensus, praesertim vero gustus, & videbitis illos, quibus oblоeditur auditus per consensum à cerebro, gustum imminutum, & deprauatum habere, ratio est, quia vt ex anathome intelligitur, nerui tam qui gustui, quam qui auditui deseruiunt, à quarto pari oriuntur, itaque facilè fit vt loeso principio neruorum, auditui inseruientium, loedantur etiam nerui gustui inseruientes. Quod si fiat auditus vitium à stomacho, cognoscetis hoc indicio, quia cibo cocto, & euacuato stomacho, melius audiunt, pleno, & crudo, deterius. Quod si fiat loesio per essentiam in aure, cognoscetis partim ex visu, partim ex ratiocinatione; ex visu, si aliquod animal, vel aliquis lapis ingressus aurem, abstulerit auditum, si tumor adsit, si vlcus, vel callus. Intelligetis etiam ratiocinatione, si nulla alia pars loesa appareat in capite, si praecesserint aliquae causae procatarcticae, quae offenderint auditum, quod si essentialis causa sit in neruis opticis obturatis, in profundo auris percipietur quaedam obstructio, quod si sint apostemata, aderit grauitas in aure, dolor profundus, & grauis, febris, addit Alzarauius his signis, & bene, quod fit permixtio rationis, fiunt deliria, fit vanitas mentis. Si auditus grauitas, aut surditas fiat à sola intemperie, cognoscetis his signis, quia vbi calida erit intemperies, calor in aure percipietur, leuabitur, aut minuetur affectus ex frigidorum vsu. Causae praecedentes, vt febres, aestus coindicabunt, accedent etiam signa, quae sumuntur ab aetate, à corporis habitu. Si intemperies fuerit frigida, ex aduerso cognoscetur, q. ia in aure frigiditas percipietur, lenietur affectus vsu calidorum, aderunt etiam signa ex aetate, & habitu; subinde causae praecedentes, in victu, in aere, significationes augebunt. Similiter si fuerit sicca intemperies, aliquae causae necessario praecedentes erunt signa, vt exustiones, inflammationes, & febres, quae possunt exiccare. De humida intemperie idem etiam dici potest.

Sequuntur signa prognostica, de quibus illud primo dicendum est, omnem surditatem natiuam, & auditus grauitatem ab ortu, incurabiles esse, immo dicit Paulus, affect⁹ hosce morbosos, si diuturni fuerint, curationem non recipere. haec vero diuturnitas à Ra- *Prognostica.*

ze 3.

ze 3. cont. definita est spacio 10. annorum, ita vt, & affectiones pra uae auditus, quae decem durarunt annis, & natiuae omnes sint incurabiles. Recens vero & surditas, & auditus grauitas curatur, de qua loquens Galenus 3. de locis affec. cap. 1. ait, affectiones auditus, nisi statim comprimantur, solere in incurabiles affectus finiri. Est Hippocratis sententia lib. de coacis praenot. surditates contingentes in morbis acutis, & in longis, veluti in ileo, esse loethales. Idem quoque 4 aph. 28. & 64. ait, surditates, si superueniant deiectiones biliosae, vel sanguinis fluxus è naribus in febribus, curari, quem locum dum interpretatur Galenus, iure monet nos, Hippocratem nō de essentiali surditate locutum esse, sed de ea, quae fit per consensum inferiorum partiū, addit his Hippocrates in lib. de Iudic. quod dolor superueniens, solet quoque surditatem soluere. Quaeret aliquis vestrum, an sicuti fluxus sanguinis, & alui, surditates soluunt, ita quoque fluxus vrinae possit surditatem soluere? dico hoc nequaquam fieri posse: quia si surditas debet fieri à materia ab inferioribus ad superiora transmissa, debet fieri ex ea, quae facile sursum fertur, qualis est sanguis, vel bilis. iam vero humor serosus tolli non potest sursum, ergo nec surditatem facere, nec eius fluxus vllum iuuamentum praestare poterit, imo vero nulla affectio capitis, vel leuatur, vel minuitur vrinae fluore; hoc enim faciliter intelligetis in febribus pestiferis, in quib⁹ videbitis, dum aegri sunt prope mortem, incredibiles vrinarum copias excerni: tamen tantum abest affectiones capitis leuari, vel minui, vt potius deliria, & tremores, & alia symptomata augeantur. Sed quid de dolore genuum, qui fit ab humoribus crassis, & tamen dicit Hippocrates ipso leuari surditatem? dico sapientissime dictum id esse ab Hippocrate duabus rationibus, vna est, quia materia pituitosa vt plurimum facit surditatem: haec autem, si decumbat in genua, sane derelinquit aures, atque ita surditati succurritur, vnde iuuat saltem, vt morbus non augeatur: alia ratio est, quia dolor earum partium attrahit, & inde fit materiae aures offendentis diuersio.

Curatio à nobis non tradetur affectuum natiuorum, quia diximus, hos esse incurabiles; habebitis igitur solum curationem affectuum morbosorum, & recentium, in qua curatione debetis semper esse solliciti, tum quia, vt dixi, locus affectus est propinquus cerebro, ob quod facile illi malum communicatur: ad haec, vt dicebam mox ex Galeno, affectiones istae si a principio contemnantur, desinunt in incurabiles morbos. Haec curatio posita est tota in tollendis causis. Causae vero, & morbi, qui faciunt has affectiones, sunt duum generum, alij calidi cum materia calida, vel sine materia, alij frigidi cum materia frigida, vel sine materia, nos igitur partiemur

tiemur curationem, atque aliam trademus frigidorum morborum, aliã calidorum. Sed antequam figillatim vnamquamque tradamus, quaedam communia prius necessarium est scire. Illud vtrisque cõmunissimum est, vt quam primum diuersionibus, ligaturis, cucurbitulis, frictionibus, prouideatur ne materia ad partem affectam noua fluat. sunt & alia quaedam pertinentia ad victus rationem. imprimis est illud, quod monuit Auicenna, vt fugiatur extremum frigus, & extremus calor, nã sicuti magnus calor colliquãdo, & mordẽdo valde offendit, sic quoque magnum frigus. immo Albertus Magnus in secunda summae de homine, loquens de auditu, ait, inter alias causas, ob quas anfractus aurium facti sunt longi in homine, hanc vnam esse, ne cerebrum, aut instrumentum auditus loedatur à frigore, quia si loederetur à frigore, animalia interirent. quod dico de calore, & frigore, idem etiam dico de aere nimis aut frigido, aut calido, de regione, & similibus. Fugiendus est nimius somnus, curae animi grauiores fugiendae, & exercitationes nimiae praesertim à cibo. cauendum praesertim à sonis asperis, & grauibus; propterea qui laborant, remouendi sunt à sonis bombardarum, & tonitruum, si fieri possit. Si quid vero cauendum est in his affectibus, proculdubio sunt cruditates, crapulae, cibi omnes, qui crassos succos gignunt, & qui vapores in caput mittere solent, propter quod Ruffus Ephesius dixit, allium auditui maxime nocere, potus vini meracioris, crassi, aut generosi omnino fugiendus: habetis enim Hippocratis exemplum 5. & 7. Epid. in casu Parmenici filij, ob cuius surditatem curandam, dicit Hippocrates praeceptum fuisse, atque contulisse, vt mane deambularet, mane surgeret, vteretur vino albo tenui, pane, piscibus petreis, abstineret ab oleribus. Haec omnia sunt communia affectibus auditus tam à causa calida, quam frigida. In eo vero affectu, qui fit à causa frigida, satagendum est primo circa victũ, vt sicut dixit Galenus, sit modicè calefactorius, extenuatorius, & propterea etiam circa aerem, & alia omnia hoc institutum seruandum, vt omnia exiccent, extenuent, & moderate calefaciant. deinde cogitandum, an vna cum intemperie frigida, sint humores, si sint, vel sunt pituitosi, vel melancholici, si pituitosi, primo sunt praeparandi simili syrupo. ℞. fol. betonicae, rosmarini, sthecados, anà manip. j. fiat decoctio. s. a. deinde ℞. dictae decoctiõis vn. iiij. oxymel. simp. syr. de stoecade, de bisãtijs anà drac. v. misce. si humor fuerit melancholicus praeparabitis hoc modo. ℞. fol. betonicae, lupulorũ, fumariae, boraginis anà manip. j. fiat decoctio. s. a. deinde ℞. dictae decoctionis vnc. iiij. s. syr. de succo lupulorum de succo fumariae, syrupi sabor Regis anà drac. vj. misce. postquam praeparati fuerint humores, pituitosos purgabitis pilulis, cochijs,

aureis, aggregatiuis melancholicos pilulis cochijs cum elleb pilulis de hiera Pachij, de lapide lazuli, de bolo armeno. Et notate materiam esse in penitioribus partibus, & propterea agendum esse his medicamentis, quae possunt illam extrahere, & ideo iure dixit Hippocrates, aluum turbatam, id est vehementer solutam, soluere surditatem. Monuit Auicennas agendum potius esse medicamentis lenioribus, & repetitis, vt natura possit concoquere humores, sed vt dixi, mea est sententia materiam non posse ex partibus illis penitioribus extrudi leuibus medicamentis, sed tantum grauibus, ob quod Galenus 3. de med. local. commendauit pilulas de colocyntide, quae sunt graues, & vehementes. Post purgationem exiccandum est caput efficacius. Sed notate, Cornarium, vbi Galenus dicit ξρααντέον, seu caput exiccandum esse, putat legendum, vt significet deradendum esse, ductus authoritate Celsi, qui in graui auditu commendat caput radendum esse, quod etiam commendatum est à Coelio. Sed doctus iste vir mihi videtur hallucinari, quia ibi Galenus dicit apophlegmatismis vtendum esse, deinde subiungit, ξρηαντέον, seu exiccandũ, quasi exiccare, & apophlegmatismis vti sint consona inter se. Fateor rasuram capitis interdum prodesse, sed exiccare caput semper prodest, propterea lectio communis Galeni valebit. Pro exiccatione prosunt lotiones, stillicidia aquarum, vel sulphurearum, vel nitrosarum, masticationes, sternutationes, quoniam videbitis interdum cum sternuimes, veluti aures aperiri, & clariorem fieri auditum. Archigenus apud Galenum, & hũc multi secuti, commendant, vt vehemens clamor excitetur in auribus. sed dicet quis vestrum, cum alias docueris nos, clamores, fragores, tonitrua, efficere surditatem, quomodo igitur potest prodesse vehemens inclamatio in aures? respondeo, vel caput repletum esse, vel vacuum, & expurgatum, si repletum, fragores, & tonitrua faciunt surditatem, quia isti motus percutiunt instrumentum auditus, & male afficiunt, hoc autem percussum, & malè affectum, attrahit ad sese à capite pleno humores, qui attracti obstruunt neruos & locum illum vacuum, & ita fit surditas. capite vero vacuo, iuuat sonitus; nam medici praecipiunt, vt tubae apponantur auribus, ratio autem cur hae iuuent est duplex, prima, quia calefaciunt meatum auditorium, quae calefactio non trahit à capite, quia non est plenũ, sed discutit reliquias humorum existentium in instrumento, altera, quoniam vehemens illa inclamatio suo impulsu elidit humores ex locis impactis, & ita surditatem soluit. Epicurus, & Democritus, qui, vt disputat Lucretius 4. de natura, existimarunt, vocem, & sonum corporeum esse, dicebant quod vox corporea penetrans, excludit corpuscula illa efficientia surditatem, atque ita liberant, sed

vt

vt dixi, quamuis non demus vocem, aut sonum corporeum esse, licet nobis habere causam, cur magni soni surditatem soluant, & hoc est, quod Galenus 3. de med. local. damnans fomentum quoddam Apollonij medici, dicebat, in dolore aurium opus esse quiete, in surditate vero, & graui auditu, motu, & concussione vehementi, & transmutatione ad contrariam affectionem. Est hic vnum animaduertendum, quod notaui ex Hippocrate lib. de locis in homine, vbi ait, vomitum, seu inanitionem per vomitum, minime conuenire in curandis auditus affectionibus, quia ex vomitu comprimuntur loca aurium, & replentur spiritibus, & flatibus, id quod facile intelligitur, quia homines, dum vomunt, nihil prope audiunt, quia ex illo motu maxime laborat instrumentum auditorium. accedit etiam, quod ex vomitu caput non parum repletur, repleto capite, suggeritur faciliter materia ipsis instrumentis auditus, id enim accidit in vomitu, vt rem colligam, quod scribit Arist. 5. de generatione animal. cap. 2. & 11 part. probl. 42. & 44. euenire in oscitantibus, in respirantibus, & inspirantibus, qui non audiunt, quia per hos motus sanguis, spiritus, & flatus sursum tolluntur, quod apparet ex rubore faciei, sursum lati feruntur in aures, atque in instrumentum auditus, vbi impacti, duo faciunt, primo replent, ita vt facultas non possit per meatus auditorios transire ad instrumentum, deinde mouent aerem implantatum, qui si recipere debet facultatem audiendi, necessarium est, vt in quiete non in motu maneat.

Post totius corporis, & capitis purgationes, deueniendum est ad localia medicamenta, quae vt recte possitis in his affectibus adhibere, quinque monendi estis; vnum, quae nam ea sint, alterum qualia esse debeant. tertium quanta. quartum quis modus sit exhibendi. quintum quo tempore administrari conueniat. Quod ad primum attinet, natura medicamentorum localium, vt docet Galenus lib. de artis constit. sumitur à natura morbi, à natura partis, & à situ eiusdem. iam vero surditas, & auditus grauitas, naturam hanc habent, vt plerunque fiant à frigidis, & crassis humoribus, vel etiam à calidis crassis obstruentibus, aut neruum auditorium, aut instrumentum auditus. Pars affecta nerueae est naturae, & in profundis capitis partibus collocata. Itaque ex his. & morbi, & affectae partis conditionibus, elicitur id quod ait Galenus 3. de medicamentis local. nimirum, medicamenta accommodata his affectibus debere esse calefacientia, incidentia, extenuantia, & alte penetrantia; vnde miror Marcellum medicum, qui in surditate, & grauitate auditus curanda, laudat succum vuae immaturae, in quo nulla prope est conditio ex his, quae requiruntur ad hos affectus curandos; huiusmodi autem medicamentum inuenio apud medicos trium esse

classium, alia enim sunt debilia, alia mediocria, alia vero valentiora, debilia sunt oleum amygdalarum amararum, oleum laurinum, iuniperinum, succus absinthij, mel alembicatum, adeps anserinus, acetum, aqua marina, succus rhaphani cum sale. Inter mediocria sunt haec praecipua, succus rutae, fel taurinum, vulpinum, leporinum, puluis aristolochiae cum melle, succus ceparum, porri, crocus, muscus, galbanum, myrrha, oleũ sabinae, succus sambuci, succus tragacanthae, succus cucumeris asinini, succus cyclaminis. Valentiora haec sunt, helleborus vterque, nitrum, castoreum maxime commendatum, oleum euphorbij, sinapis, nam oleum sinapis videbitis maxime celebratum in his affectibus ab Auenzoar in prohem. & à Rabby Moyse 22. aph. praeterea haec, quae reperietis apud Galenum, & Arabes. Sunt etiam aliqua à proprietate prodesse putata, inter quae est succus anguillae, nã dum assantur anguillae, colligitũ ille succus, & admiscetũ cũ felle eiusdẽ anguillae, atq; auri instillat⁹, putatur prodesse ex proprietate, spoliũ serpẽtum in oleo oliuae decoctum idem etiam praestare putatur, sicut, & oua formicarum.

Circa qualitatem medicamẽtorum omnium, duo notanda sunt, vnum quod docet Auicenna, nulla medicamenta localia debere esse, aut nimis calida, aut nimis frigida, quia sicut frigus nimium offendit, ita quoque & nimius calor. Alterum, medicamenta debere ita esse parata, vt nullam asperitatem habeant, sed sint leuia, quia pars affecta est valde sensibilis, & si asperius tractetur, magis exasperatur malũ. Quantitas debet esse exigua, & praesertim eorum q̃ infunduntur, quia locus angustissimus est, & vix guttarum capax. Modus porro vtendi his varius est, alia enim adhibentur per fomẽtum, nam fiunt decoctiones, & in illis immerguntur spongiae, quae tepidae apponuntur auribus. Alia adhibentur per fumum, nam, vel pulueres vruntur, vel fiunt decocta, & per fistulam longã, & latam hauritur fumus intra aures. Alia adhibentur per emplastra, alia per instillationes, nam medici habent instrumẽtum quoddam, quod Graeci appellant ὠτεγχύτην. Celsus, & Scribon. vocant modo strigilem, modo clysterem auricularem. est hoc instrumentum veluti ab vna parte concatum, habet conculam, quae impletur liquore, & deinde immittitur intra anfractus auris. Alia adhibentur per collyrium, quando enim tractaui de his, dixi sub illis intelligi medicamenta ad modũ fistulae, quae omnibus cauis partibus imponuntur: fiunt interdum ex medicamentis, interdum ex panno lineo, vel gosypio, quae contorta, & aliquo liquore oblita induntur in aures. Adhibentur tandem haec medicamenta per elotionem, & hic modus ab Hippocrate. 5. Epid. vocatur κλύζειν, seu abluere; fit quando aliquo humore tenui abluitur auris tam intus,

quam

quam extra. Porro istorum modorum alij adhibentur in surdi a-te, vt instillationes, fumi, collyria: alij adhibentur in sordibus, & vlceribus abluendis, vt lotiones, alij in doloribus, & tumoribus, vt sunt emplastra, fumi, instillationes, & fomentationes. Illud quoq; potest addi modis horum medicamentorum, quod. s. in morbo recenti primo adhibentur leuia, deinde mediocria, tum valentiora, in morbo vetusto, primo, vel mediocria, vel valentiora. Rursum vbi fit malum à sola intemperie, conueniunt medicamenta debilia, aut mediocria, vbi praeter intemperiē adsunt humores, & illi quidem vetusti, & contumaces, tum validiora sunt adhibenda. Circa tempus, illud commune fere in omnibus obseruandum est, vt nisi necessitas cogat, numquam adhibeatis localia, & praesertim mediocria, aut valentiora, nisi sit corpus, & caput optime purgatum. Vbi dolor vrget, potestis dolorem lenire, sed debilibus medicamentis etiam quod corpus, & caput non sint exinanita. Dabo formas horum medicamentorum. lotiones hoc modo possunt parari. ℞. hordei, fol. dragontheae, fol. lauri anà manip. j. fiat decoctio in aqua maioranae, deinde facta expressione, & colatura. ℞. dictae decoctionis vnc. vj. mellis, vnc j. succi raphani, fellis taurini, anà drac. ij. ponantur ad ignem, & bulliant: deinde iterum per pannum lineum subtilem colentur, & dicta colatura abluatur auris. Fumi vero parantur hoc modo. ℞. myrrhae, galbani, croci anà drac. j. s. fol. rosarum, maioranae, sabinae, anà vnc. s. terantur omnia, & super carbones ponantur adurenda, & dum comburūtur, hauriatur fumus per fistulam in aures. Fomentatio erit haec. ℞. fol. meliloti foenugreci, camomillae, sambuci, anà manip. j. myrrhae, croci, anà drac. j. s. aquae camomillae lib. iiij. aceti, vnc. ij. bulliant simul, & cum spongia foueatur auris exterior. Emplastrum erit huiusmodi. ℞. fol. rutae, meliloti, absinthij anà manip. j. salis nitri drac. ij. olei laurini, olei amygd. amar. anà vnc. iij. adipis anserini, mellis, aceti anà vn. ij. aquae camomillae, q. s. ad bulliendum, & fiat ēmplastrum. s. a. Poteritis etiam, quando vsus postulat, addere farinam, vel lupinorum, vel orobi, seu crui, vel tritici. Instillationes, seu infusiones huiusmodi fiunt. ℞. mellis, succi ceparum, olei sinapis anà vnc. s. castorei vnc. s. misce, & guttatim infundatur in aurem. Collyrium vero fiet huiusmodi. ℞. ellebori nigri, nitri, castorei anà scrup. j. myrrhae croci anà scrup. s. cum albumine oui formetur collyrium. Collyria vero ex gosypio, aut lino, ita parātur, accipitur haec materia, & intorquetur ad modum, quo vtuntur chirurgi in imponendis his collyrijs in vulneribus, & postquam intortum est collyriū, illinitur oleo, & musco, vel melle. Haec sunt medicamenta, quae omnia conueniunt in curanda surditate, & grauitate auditus, & praesertim vbi

fit

fit à materia frigida, & crassa. Quod si haec vitia fiant à causa, & materia calida, instituendus est victus, primo qui declinet ad frigiditatem, deinde instituto victu, videndum est, num sanguis sit mittendus, quod fiet vbi erit plenitudo, vbi apparet venae latae, & amplae in capite, vbi adsit pulsatio in aure, & tunc si plenitudo totius corporis fuerit, primo à vena communi mittẽdus est sanguis, deinde à cephalica, si autem sit in capite plenitudo, secanda erit cephalica: post sectam venam, superest caput expurgare, sed quia non potest caput expurgari, nisi praeparentur humores, hoc modo praeparabuntur. ℞. fol. endiuiae, cuscutae, borraginis lupulorum anà manip. j. fiat decoctio. s. a. deinde ℞. dictae decoctionis vnc. iiij. oxymellis, syrupi rosati recentis, syrupi de succo endiuiae, anà drac. v. misce. praeparatis humoribus etiam purgabuntur, & quia sunt biliosi, & calidi, eligere debetis ea medicamenta, quae trahunt bilem, inter quae est rhabarbarum. sed quia, vt docui vos, pilulae maxime conueniunt, & rhabarbarum per se solum non ita accommodari potest in pilulas, vt expurget valenter, ideo adijciendum est aliquid, quod vim ipsius augeat, vt est scammoneum hoc modo ℞. rhabarbari electi drac. j. diagr. gra. ij. castorei, schoenanthi, calami odor. gariophil. anà gra. v. terantur omnia diligenter, & cum electuario de succo rof. fiat pasta, & fiant pilulae. Hoc facto veniendum est ad euacuantia caput, vt sunt masticatoria, sternutatoria, lotiones capitis. Tum ad localia veniendum, quae erunt, vel temperata, vel parum ad frigiditatem inclinantia, vt est ol. violarum. ol. nenupharinũ. oleum rof. simp. acetum, lac muliebre cum succo semper viui. Lac mulieris cum succo cichorei, vel absinthij, & haec magis conueniunt, vbi adest intemperies calida sine materia, vel cum materia subtili, quod si adsint humores multi, crassiores, addetis his medicamentis alia, vt sunt mediocria recitata, aut debilia, quae possunt discutere citra calefactionem insignem.

De Tinnitu. Cap. 3.



Irca auditum fit aliud quoddam vitij genus, quod dicebat Auerroes 4. collect. 48. frequentissime omnium exercere aures. Hoc non modo molestiam summam parit, verumetiam impedit, quo minus soni externi audiantur, appellatur autem à Graecis ἦχος ὤτων. Latini appellant modo tinnitum, modo sonitum auriũ, modo sibilum. Alzarauius appellauit aurium tonitruum. Auerroes loco citato vocauit interdum auditum phan-

tasticum.

tasticum. Hic affectus nihil aliud est, quam sonitus quidam intra aurem factus absque externa causa, & perceptus. Dixi sonitum intra aures, quia ad hoc, vt fiat auditus legitimus, & naturalis, necessarium est, vt aer externus moueatur, & vt motus per partē post partem aerem implantatum moueat; in tinnitu vero fit sonus tantum intra aures, absque aeris externi motu. Dixi etiam absque externa causa, propterea quod saepe fit sonitus intra aures ab externa causa, qui nō est appellandus tinnitus, de quo agimus. E. g. quādo aliquis manu tegit aurem, percipitur sonitus, qui non est morbosus, immo ait Aristoteles 2. de anima, sonitum hoc modo perceptū indicare potius bonitatem auditus, quam morbum. Cur autem fiat sonitus aure à manu obturata, multi existimarunt id esse in causa, quod aer implantatus semper mouetur, sed motus eius non percipiatur, nisi obtecta aure. Haec causa à me numquam probata est, quia aer implantatus propria natura immotus est: vera igitur ratio est, quia aer, qui in amfractibus aurium continetur, semper sua natura exilire conatur, vt sese possit diffundere, vnde cum à manu cohibetur, huc, atque illuc impingit, quia non potest exire, hinc fit sonitus. Addidi postremam particulam (perceptus,) quia semper intra aures fit aliquis strepitus, eo quod nullum est corpus adeo sanū, quin aliqui vapores intra aures penetrent atque moueantur. Sed motus ipsorum nō est perceptibilis, idem enim contingit, quod etiā in visu, in quo semper vapores aliqui efferuntur ad oculos, neq; tamen semper apparent imagines. Galenus 3. de med. secūdum locos, & Auicenna hac in re assimilabant auditum, & visum. Ex his facile colligere potestis, hunc affectum esse symptoma in genere actionis auditoriae deprauatae, eo quod auditus non fit, vt deberet, propter quod iure Auerroes vocauit auditum phantasticū. Morbi, quos sequitur huiusmodi symptoma, sunt duo, morbus in via, & in numero. In via, quia intra meatus auris viae non sunt expeditae, vt deberent: est etiam morbus in numero, quia adest materia vaporosa, vel humorosa, quae non deberet adesse.

Causae, quae faciunt hos morbos, aliae externae, aliae vero internae. De causis materialibus, & internis scriptum est ab Alexandro Trall. cap. 3. quem secutus est Alzarauius, & alijs Arabes, duas esse vapores. s. & humores. sed nisi sano modo intelligatur haec sententia, falsa est, eo quod humores soli numquam faciunt tinnitum, quod semper immoti sint, soli autem vapores, & flatus tinnitum facere possunt. Dixi falsam esse, nisi sano modo intelligatur, quia etiā humores concurrunt ad tinnitum: humores inquam intra aures, hoc, pacto tum quia claudunt intra aurem flatus, tum quia ex ipsis fiunt vapores, qui deinde faciunt tinnitum, vt cumque sit, sicut do- *Causae.*

cui

cui, vera causa est vapor, qui interdum multus est, & tum semper tinnitum facit, interdum paucus, & tunc non facit tinnitum, nisi in his, qui pollent auditu subtili, & hoc modo intelligenda est, sententia Galeni 3. de med. local. & Auerrois 3. collect. 37. & 4. collect. 48. qui omnes dicunt fieri tinnitum, vel à flatu, vel ab auditus subtilitate, non quod auditus subtilitas sit causa huius mali, quia potius facit bonum, sed quia facit, vt illi strepitus, qui ob paruitatem non audiuntur, audiantur, & hoc modo est causa tinnitus. Auicenna sermonem habens de causis tinnitus, dixit, fieri tinnitum, vel quia vapores sunt multi, vel quia sunt pauci, pauci quidem, vel quia auditus semper subtilis est, & acutus, vel quia aliquibus horis acutus est, & viuax, vel quia debilis: quas causas videtur Auicenna mutuatus ab Alexandro Trall. sed pace horum virorum, dictae postremae illae causae, quas afferunt, cur pauci vapores faciant tinnitū, mihi videntur partim superfluae, partim falsae, superflua causa est illa, quando Auicenna ait, quia aliquibus horis auditus est viuax, aliquibus obtusus, cur putem superfluam, ratio est, quia quando auditus in hoc casu obtusus est, non ob aliud id fit, nisi quia impeditur. Exempli gratia, si sit obtusus flantibus austris, si repleto stomacho, non ob aliud est, nisi quia impeditus est: praeterea si aliquibus horis auditus est viuax, veluti ieiuno stomacho, veluti flante borea, non ob aliud est, nisi quia eo tempore remotum est impedimentum, quod nocebat auditui, quo stante redit ad idem, quod dixit Galenus 5. in his auditum esse natura acutum, sed interdum impediri, interdum non. non est, quia haec subtilitas modo fiat, modo non. sed quia cum perpetua sit, modo impeditur, modo non. Alia causa non mihi placet, quod scilicet debilitas auditus possit facere tinnitum, vt in conualescentibus, quia perfectio auditus est, res exiguas audire, vt perfectio visus est videre à lōginquo res minimas. igitur nō potest fieri tinnitus ratione debilitatis auditus. Sed dices qua ratione igitur frequenter fiunt tinnitus in conualescentibus? dico aliam esse causam, & est quoniam in conualescentibus fiunt multi vapores, ob calorem natiuum debilitatum, qui cum petant auditum, mouent aerem illum, & tinnitum faciunt. Iam vero vapores isti, quos diximus esse causas immediatas, gignuntur, vel ab humoribus, qui cōtinentur intra aures, vel in capite, qui humores tametsi possint esse calidi, frequentissime tamen sunt frigidi, & viscidi, quare facile est intelligere, cur in morbis capitis, & praesertim in doloribus, vt ait Cassius prob. 76. fiant frequenter tinnitus, quia scilicet ex humoribus existentibus in capite, qui faciunt dolorem, cōtinuo gignuntur vapores, & flatus, qui intra aures cohibiti, atque aerem mouentes, faciunt tinnitum. Sed illud quoque adijciendū est, quod

isti

isti vapores non solum ex humoribus in capite existẽtibus tolluntur ad aures, verumetiam ex multis alijs partibus, nam eleuantur quandoque ex sorditie, & sanguine detento in extimis aurium partibus, quandoque etiam eleuantur è ventriculo, vt apparet in crapulis, & repletionibus ventriculi, in quibus fiunt frequentissimè aurium tinnitus. efferuntur etiam à partibus spiritalibus, vt experientia constat de asthmaticis, & phthisicis, in quibus frequenter fiunt tinnitus. Postremo eleuantur vapores ex toto corporis habitu, vt in febribus, & praesertim magnis, in quibus ex ebullitione, & putrefactione humorum efferuntur vapores continuo ad caput, & aures, qui faciunt tinnitum. sed dicet aliquis, quomodo dixerim solos vapores tinnitum facere, nam Hipp. 2. de morbis recitat quendam morbum, in quo venae capitis dicuntur supereuomere, & est quando replentur venae bile, & pituita, in quo morbo ait Hippocrates fieri tinnitum propter pulsationes, & palpitationes vasorũ, quod si verum est, videtur vasa pulsantia, & palpitantia capitis facere tinnitum. Dico multum abesse, vt Hippocrates nobis contradicat; immo vero sententiam nostram confirmat, quoniam pulsationes, & palpitationes fiunt à flatibus, & consequenter quoque tinnitus. Praeterea dicit Hippocrates in eo morbo cerebrum replere vacua aurium, quod facit solum beneficio flatuum. Sed diceris cognoscimus fieri palpitationes, & pulsationes à flatibus, at flatus illi continentur intra venas, vel intra arterias, igitur non fit tinnitus eo modo, quo explicasti? Dico licet flatus contineatur in venis, tamen cum sit copiosus, etiam extra venas cõtinetur, & quamquam etiam contineretur solum intra venas, nihilominus vasa illa mota, & palpitantia per partem post partem mouent aerem implantatum, & ita faciunt tinnitum, ad quod praestandum non parum confert communicatio foraminum ossium auris, siquidem, vt monstrant anatomici, sunt quaedam foramina obscura per quae fit communicatio auri, & cerebro, ita vt vapores à cerebro faciliter possint in aures delabi, notate tamen Arist. 1. de hist. animal. cap. 8. negasse huiusmodi communicantiam foraminum, sed vt ait Auer. 2. collect. cap. 9. excusandus est Arist. in re anatomica, eo quod haec ars tempore suo non erat consummata, & ideo ipse quoque parum eam calluit, excusandus inquam, si quandoque falsa in re anatomica tradat.

Porro cãe externae, & mediatae multę sunt apud Arabes, sed hae praecipuae, plenitudo stomachi, vel capitis facta à causis externis, indigestiones, cruditates, exinanitio tam facta per pharmacum, quã per venae sectionẽ, percussiones capitis, medicinae venenatae adhibitae auribus, vt sulphur, argẽtum viuum, arsenicum, & hoc ani-

maduertite, quod videbitis experientia, vbi in morbo gallico administratur argentum viuum, semper fere fieri aurium tinnitus, medicamenta quoque adstringentia auribus adhibita solent tinnitus efficere, addit Alzarauius, multum in aqua natatum: & certe, qui solent frequenter natare, solent etiam capi tinnitu: quoniam vt dixi aqua maxime offendit partes internas aurium.

Tres solum sunt differentiae huius affectus apud medicos, alius enim essentialis vocatur, alius per consensum, alius antiquus, alius recens, alius continuus, alius interpollatus.

Signa. Signa tinnitus non aliunde comparari possunt, quam ex relatione aegri, eo quod huiusmodi sonus à nullo alio percipiatur, quam ab aegro: an vero tinnitus fiat ex acumine sensus an ex vaporibus scribit Auerr. 4. collect. 48. non aliunde cognosci, quam ex redundantia humoris, eo quod si nulla adsit in capite, vel corpore humoris redundantia, signum est tinnitum ab acumine auditus proficisci, sed hoc signũ inefficax est, propter quod Galenus 3. de med. local. ait, non esse admodum facile à principio intelligere an fiat ab acumine auditus, an à vaporibus, sed non paruo indigere artificio, quod acquiritur ex contemplatione externarum causarum, & primitiuarum, artificium hoc, vt est apud Galenum loc. cit. ita comparatur. quod si non adsint humores in capite, si medicamenta discutientia flatum non prosint, signum est fieri tinnitum ob sensus subtilitatem, idem eo magis confirmatur, quando tempore sanitatis aeger maxime valuerit auditu, addit quod etiam organum auditus apparet mundũ, & sine vlla sorde, aut recremento. Si fiat à flatibus artificiũ cognoscẽdi est, q̃a apparet redundãtia in capite, tinnitus modo accedit, modo recedit, ad haec vbi discutiẽtia adhibẽtur tinnitus remouetur, deinde apparent etiam flatus in alijs corporis partibus, verum hoc nõ sat est intelligere, nisi simul cognoscatur à quo humore fiat flatus, cognoscetis autem hoc, si, vt ait Galenus, externas, & primitiuas causas contemplemini. Exempli gratia, si aeger fuerit passus solis ardorem, febres magnas, & ardentes, capitis dolores calidos, si vsus fuerit cibis calidis, & siccis, poteritis tuto colligere causas & humores ex quibus fiunt flatus esse calidos. Ex aduerso, si aeger passus sit frigus, morbos capitis frigidos, si victu pituitoso, & frigido sit vsus, erit signum humores facientes flactus frigidos esse: hae autem causae non aliunde poterunt cognosci, quam ex relatione, vel aegri, vel adstantium.

Prognostica. Circa signa prognostica illud obiter dicendum est, quod ait Melanpus lib. de palpitatione, & Plinius lib. 28. cap. 2. credidisse antiquitatem, & vulgares, (quod etiam hodie fere oraculum est) sonitus aurium siue dextrae, siue sinistrae, praesagire aliquid mali, scilicet,

cet,

cet, vel insidias inimicorum, vel maledicentiam, vel aliquid huiusmodi, sed haec non sunt medica. quod pertinet ad medicum est, tinnitus antiquos esse curatu difficiles, praeterea ait Hippocrates in coacis praenot. & Celsus, eos tinnitus periculosos esse, & loethales, qui fiunt vna cum morbis acutis, cum febre pestifera, & ardente, cum epilepsia, eos vero minus graues esse, & salubriores, qui fiunt cum grauedine, medios vero, qui fiunt ex longa capitis valetudine, neruorum diuturno dolore.

Curatio duplex est, alia enim tinnitui facto ex subtilitate sensus, alia facto à vaporibus debetur. In curando tinnitu ob sensus acumen, vnus scopus est, acumen eius obtundere, modus vero obtundendi est, obtundere calorem, & spiritus, nam ait Auerroes 2. collect. 11. diuersum esse calorem, quo sentimus, & calorem quo nutrimur, probat hoc Auerr. quia dum dormimus nutrimur, non tamen sentimus, & quia potuisset aliquis dicere, qualis est haec diuersitas, nonne potest idem calor modo operari, modo non operari, & ita idem calor conducere sensibus efficiendis, in somno vero nutritioni? ait Auerroes hoc esse non posse, quia calor, inquit, quo nutrimur, est in actu, dum dormimus, calor autem quo sentimus, in potentia. In somno autem, si est in potentia calor, quo sentimus, & in actu, quo nutrimur, idem esse non potest, quia eodem tẽpore non potest idem actu esse, & potentia. Cum itaque diuersus fit calor, quo fit auditus, à calore natiuo, quo fit nutricatio, scopus est, vt ille calor obtundatur, sed quomodo? obtunditur, vt animaduerto, tribus modis. Primo refrigerantibus, & narcoticis. secundo crassefacientibus, quia dum spiritus, & calor crassefiunt, omnino fit operatio ipsorum magis hebes. tertio per dissipationem. & ne videar vobis somnia fingere, habetis primo exemplum Galeni 3. de compo. local. cap. de tinnitu, vbi ait, se saepe curasse huiusmodi tinnitum vsu succi mandragorae, & papaueris. Razes quoque tertio contin. laudat succum iusquiami, quem ait, Serenum vocare herbam insanam. Quod etiam incrassantia obtundant sensum auditus, hebetis exemplum ferè ab omnibus Arabibus, qui commendant pro obtundendo auditu cibos incrassantes. Quod etiam dissipantia calorem obtundant sensus, habetis exemplum à Serapione, qui ait, in hoc tinnitu soluendo acetum maxime praestare, immo vero Auicennas improbans vsum narcoticorum, ait, melius esse, vt castoreum, & acetum dentur, eo quod sua tennuitate dissipant spiritus, ita vt fiant debiliores. Sed dices, quisnam ex his mobus est tutior? mea sententia est, affectuũ hunc non proprie esse morbosum, sed molestum potius, quam damnosum, ideo si sustineri potest, laudo vt nihil adhibeatur, quia non semper durat, & pau- *Curatio.*

cos videbitis durantes, quod si nimium molestus sit ita, vt vel ob delicias, vel ob aliud non possit sustineri, laudo, vt vtamini cibis incrassantibus spiritus, quia hoc tutius est, quam dissipare, aut hebetare calorem, & quamquam Galenus dicat, se vsum esse narcoticis medicamentis, tamē, si recte recordor, ille fuit rusticus, & vos etiā poteritis in istis corporibus, vti narcoticis. Curatio facti tinnitus à flatu non vna est, sed multiplex, & varia, si enim fiat ratione febris, aut ratione crisis, tutissimum est consilium Galeni, vt nihil adhibeatur, quousque morbus finitus sit, vel crisis, nam saepe fit, vt finita febre, & perfecta crisi, simul etiam finiatur tinnitus, & hoc plerunque videbitis in actu practico, quod si non finiatur, monet Celsus, vt primo victus instituatur exquisitus, qui attenuet, fiant frictiones, exercitationes, gargarismata, vt etiam in aures aliquid indatur, & possit tollere hunc morbum, ut est succus radiculae cum oleo ros. succus cucumeris asinini, vtrumque veratrum, oleum laurinum, ego vero soleo vti, (& etiam commendat Galenus) decocto absynthij, oleo rosato cum castoreo, & croco. Vbi à stomacho fiūt flatus, tota curatio conuertenda est ad curationem stomachi, vt scilicet ipse mundetur ab omnibus humoribus, à quibus flatus eleuantur. Quod si, vt saepe fit, flatus isti gignantur ex humoribus contentis vel in capite, vel in locis instrumento auditus proximis, maius studium est adhibendum, & primo victus instituendus; vt aer sit calidus, & siccus, fugiatur austrinus, & humidus. Idem etiam dicite de regione, & alijs pertinentibus ad hunc casum, exercitationes matutinae commodae sunt, & praesertim sub sole, si tamen caput sustineat, cogitationes omnes animi ablegandae, nam solent aegri macerari, dum cogitant multum de hoc tinnitu. Frictiones omni tempore commodae, pectinationes etiam capitis praesertim capite exinanito. venus valde inimica, immo solet haec sola excitare hos sonitus, abstinendum à cibis crassis, & flatuosis, vt sunt legumina, carnes crassiores, lagana omnia, porri, inter herbas lactuca, brassica, inter fructus oleosi, vt amygdalae, nuces, nuclei pini, dactyli etiam, quia replent aures. Carnes auium conferunt, & potius assae, quam elixae, cibis semper commiscebuntur anisum, coriandrum, foeniculum. Instituto victu deinde veniendum est ad praeparandos humores, qui siue fuerint pituitosi, siue melancholici, siue biliosi, praeparabuntur remedijs accommodatis, tum expurgandi, & ne bis eadem repetam in hoc casu, conueniunt omnia praeparantia, & purgantia, quae diximus alias conuenire in auditu graui, & surditate. Illud tamen meminisse debetis, humores hos in profundis partibus latitare, & iccirco expedire, vt non semel tantum, sed bis, & etiam ter repetantur purgationes, & maxime, si

contu-

contumax sit morbus. Purgato corpore deueniendum est ad ea, quae magis caput exiccare possunt, vt sunt lotiones, gargarismata, masticatoria, & sternutatoria. De sternutatorijs tamen notate, nisi caput exquisitè purgatum sit, numquam adhibenda esse, quia maxime concutiuntur aures, nam dum emunguntur nares, semper aures corrrespondent: quod si caput fuerit repletum, ex hac concussione trahitur noua materia ad aures, & ita malum augetur. Conueniunt inclamationes voce factae, etiam tubis, & a'ijs instrumentis, nam ait Aristoteles 32. part. probl. 9. tinnitus solui ab inclamatione, eo quod motus magnus extinguit minorem: modus autem, quo fit est, quia ex inclammatione vehementi incalescunt partes aurium, calefactae facile flatus ibi existentes dissipant, & dissoluũt. Postremo deueniendum est ad localia aliqua medicamenta. In quibus duo notanda sunt, vt in tinnitu recenti semper mitiora eligatis remedia, quia, vt alias vos docui, aures postulant blande tractari, & si absque necessitate valentioribus irritentur medicamentis facile malum illis duplicatur, deinde obseruandum est, vt dum remedia haec adhibentur, corpus sit ieiunum, & caput non sit male affectum, vnde notare debetis errorem multorum, qui mandant, vt remedia auribus indantur, dum eunt dormitum, eo enim tempore stomachus plenus est, caput etiam à vaporibus cibi aliquomodo affectum, vt potius nocumentum accedat, quam vtilitas, & non est mirum, quod saepe remedia frustrentur in his, quia importunè adhibentur. Genera horum medicamentorum sunt tria, fumi, instillationes, & collyria, fumus hic à me inuentus est praestantissimus. ℞. cymini, anisorum, anà vnc. s. florum chamomillae foenugreci. anà pug. j. aquae communis lib. ij. aceti vnc. iij. misce, & bulliant. Sed in administratione horum fumorum, notate quod semper supina aure per fistulã debet intra aures trahi fumus. postquam tractus est, debet custodiri auris, & propterea post receptum fumum replentur semper aures, vel gossipio, vel lana tenuissima. Instillationes vero multae sunt, sed vt aliquam formam habeatis, ita soleo componere. ℞. olei anisorum per alembicum extracti drac. iij. castorei, scrup. j. elleb. nigri scrup. s. ponantur in cortice cepae, deinde cortex ponatur ad lentum ignem, & ibi maneat vsquequo absorbeat totum illud oleum, hoc facto deinde exprimatur cepa diligenter & succo expresso addatur aceti opt drac. j. s. & guttatim tepidus auribus instilletur, & notate, vbi adsunt humores, qui faciunt flatus, acetum maxime conuenire, & ab omnibus medicis laudari, quia non modo vehit alia medicamenta ad partes intimas, verumetiam dissecat, incidit, & attenuat. Collyrium ita paratur. ℞. nitri, scrup. j. ellebori vtriusque scrup. ij. cimini pul.

aniso-

aniſorum, anà drac. j.gummatis,& albuminis oui. q.s.pro formando collyrio, quod continuo detineatur intra aurem. Anne ſint alia remedia in tinnitu rebelli, & contumaci? expertus ſum cauteria facta in brachio auris affectae multum conferre, quia humores illi, ex quibus continuo flatus fiunt, paulatim per haec emiſſaria euacuantur, & his euacuatis, nullus deinde flatibus relinquitur locus. Sequitur, vt de dolore agamus.

De dolore aurium. Cap. 4.



Oſt tinnitum ſequitur aliud vitium, quod in auditu fieri diximus, quando fit cum perturbatione. Hoc vitium à Graecis nuncupatum eſt, ὠταλγία, Latini omnes dicunt auris dolorem Celſus vocauit auriculae dolorem, captum eſt hoc nomen, vt ait Galenus 2. Meth. ab ipſa parte affecta. Sed antequam vlterius procedamus, notandum eſt, hunc affectum à me tributum eſſe auditui, cum tamen ſit potius affectus ſenſus tactus, quoniam ſicuti dolores oculorum, ita quoque dolor auris ad tactũ potius quam ad auditum pertinet; cur vero ego inter vitia auditus recenſeam, cauſa eſt, quia fit haec affectio in penitiſſima inſtrumenti auditus parte, atque hoc eſt, quod ait Galenus 3. de compon. med. ſecundum loc. videlicet inter tinnitum, auditum grauem, & dolores aurium, nihil eſſe commune, eo quod auditus grauis, & tinnitus pertinent immediatè ad ſenſum auditus, dolores autem potius ad ſenſum tactus. Eſt hic affectus ſymptoma in genere actionis tactoriae deprauatae, vt ſunt etiam alij dolores. Morbi à quibus dependet, ſunt continuitatis ſolutio, & intemperies, atque hinc tres oriuntur huius doloris differentiae, quoniam alij dicuntur interiores, alij exteriores, eo quod morbus à quo dependet hoc ſymptoma, vel eſt in internis aurium partibus, vel in externis. Alia differentia eſt, quia vt ait Auicenna, fiunt alij dolores aurium cum pruritu, alij ſine pruritu. rurſus alij ſunt dolores continui, alij vero interpolati, nam ait Galenus, & Razes, dolores aurium perinde, atque febres ipſas fieri periodicos.

Cauſæ. Cauſae dolorum aurium, aliae ſunt internae, aliae vero externae, & mediatae. Internae ſunt imprimis morbi illi, de quibus dictum eſt, praeſertim vero inflammatio, & tumor, adhaec ſunt humores modo calidi, modo frigidi, ſunt poſtremo vapores. Sed hoc in loco occurrit pulcherrima contemplatio, quomodo fieri poſſit intra aurium partes intimas inflammatio, nam conſtat apud medi

cos,

cos, inflammationem esse sobolem humorum, & praesertim sanguinis. iam vero, si contemplemur aurium fabricam, videbimus in instrumento auditus esse ossa, & tunicam aridam, quae tympanum dicitur ab Anatomicis. In ossibus autem non colliguntur humores, neque sanguis, neque etiam in tunica arida, quia venarum est expers, & propterea non videtur locus humorum, & sanguinis collectioni. In hac non trita speculatione, ita statuendum iudico, nullibi internas posse oriri inflammationes, praeterquam in hac tunica arida, in qua tametsi venae sint admodũ exiles, tamẽ tempore doloris paulatim dilatantur, & quo maior fit attractio materiae ad ipsam, eo magis venae distenduntur, & fiunt capaces sanguinis, ita copiosi, ut possit fieri inflammatio in hac pellicula arida. Inter causas externas, primum locum videtur Galenus tribuisse aeri externo frigido, vt fit in longis peregrinationibus, & sane saepe comprobabitis experientia, fieri ab hac externi aeris frigiditate. Sed aquae etiam frigidae idem facere possunt, vt si intra aures ingrediatur frigida, videbitis statim oriri dolores. Sed quaeret aliquis, an etiam aeris caliditas ex se possit facere hunc dolorem, Galenus, & Graeci nullam mentionem huius fecerunt. Ex aduerso Auicenna Alzarauius, & omnes Arabes, inter causas externas doloris aurium posuerunt aeris caliditatem, immo Hippocrates 3. aph. inter morbos aestatis recenset etiam dolorem aurium, vt & ipse videatur censuisse, fieri hunc dolorem, & ab externo aeris calore. mea sententia est, aeris calorem ex sese facere non posse auriũ dolorem, ratio est, quia quantumcumque aer externus sit calidus, numquam tamen est calidior cerebro, neque interna aurium parte, ita vt ratione huius caliditatis possit offendere. Dico ex sese non offendere, quia potest per accidens facere hunc dolorem: hoc scilicet pacto, si aer externus calidus colliquet humores, & colliquati deinde in aures praecipitentur, sicque dolorem inducant, atque hoc modo tueri potestis Hippocratem dum ait, aestate fieri dolores aurium, primo quia aestate eliquatur pituita capitis, deinde quia bilis multa effertur ad superiores partes capitis, & praesertim ad aures; hinc quoque intelligere licet quomodo illi, qui operantur in fornacibus, tenentur dolore; non enim ratione caloris, non quia calor offendat immediatè, sed quia colliquat, & destillationes in aures mandat. sic intelligere possumus aquam feruidam auribus immissam, non ratione caliditatis, offendere, sed quia, vel vrit, & mordet, vel humiditatem relinquit in auribus, quae deinde auditui inconueniat, & dolorem faciat. Aliae causae numerantur ab Auicenna: & primo animalcula, quae ingrediuntur aures, quae saepe acerbissimos dolores inferunt, lapilli, capilli, medicamenta,

vt

vt euphorbium, importunè auribus illapsa, faciunt dolores. Alzarauius ponit etiam quaedam, quae ait, dolores facere, vt si aures ingrediatur condisi, vel bacca lauri; sordes quoque, & sanies retentae solent facere dolores. Hactenus de causis doloris.

Signa. De signis scribit Auicenna haec petenda esse ex signis surditatis, & grauitatis auditus, sed haec dicta Auicennae parum docent, ea propter, quod ad signa generica pertinet, non aliunde comparare poteritis, quam ab aegro, nam dolor iste semper acerbe admodum torquet aegros, & eos adigit ad quaerelas, immo Galenus 2. de med. loc. inter dolores corporis nostri acerbissimos tres memorat, dolorem oculorum, dentium, & aurium, quasi nulli possint istis aequiparari. Signa indicantia causas doloris paulo latius explicari merentur, nam si dolores fiant ab externis causis, partim visu, partim relatione comparantur, visu quando vel animalia, vel lapilli, vel capilli aures ingredientia faciunt dolores, relatione, quando causae externae praecesserunt, quae medicum latent. Quod si fiat ab internis causis, artificio cognoscitur, primo enim si fiat à copia sanguinis, signa adsunt, caliditas, aurium dolor vehemens, dolor pulsatiuus, pulsatio temporum, rubedo faciei, praeterea percipitur ex refrigeratione non nihil leuari, quod si alij feruidiores sint humores, cognoscitur ex vehementissimo dolore. & hoc sit perpetuum vobis, dolorem maximum semper à causa calida oriri; ad haec percipitur intensus calor intra partem, calida nocent; frigida delectant, & iuuant, sunt etiam signa ab aetate à corporis habitu, & constitutione, & ab alijs. Quod si fiat ex intemperie frigida vna cum materia, vt ait Galenus, signa habentur ex vita anteacta vt si quis sit vsus cibis pituitosis, si versatus fuerit in aere frigido: ad haec si percipiatur frigus intra aurem, si calida applicata iuuent. Quod si non ab humoribus, sed à flatibus extendentibus fiant dolores hoc praecipuum est argumentum, quod dolor non est continuus; modo accedit, modo recedit, discutientia prosunt. Signa vero eius doloris, qui fit ob inflammationem, sunt vehementia doloris, dolor pulsatiuus, dolor qui communicatur faciei, & fronti. Sed dicetis, fit interdum dolor ratione cerebri, quomodo igitur cognoscemus an fiat dolor à cerebro, an ab aure? hoc est argumentum efficacissimum discernendi, quod vbi ex cerebro fit dolor auris, totum fere caput dolet, praesertim facies, & frons: in dolore autem facto ab aure, nisi sit aposthema, vel inflammatio, dolor solum est in aure.

Prognostica. Signa prognostica referuntur ab Hippocrate 3. Prognost. 13. quae omnia ab Auicenna confirmata sunt, scilicet quod in febre acuta, & continua dolor auris perniciosus est, & loethalis, eo quod

ex hoc dolore periculum est ne cerebrum obloesum delirium, & alias prauas aegritudines subeat, quam Hippocrates sententiam cum intelligeret Celsus dicebat, dolorem aurium grauem esse, immo grauiorem multo dolore oculorum, duabus rationibus, vna, quod ex dolore oculorum nullum imminet periculum delirij, propter aurium dolorem imminet periculum; altera, quia ex dolore oculorum numquam mors subsequuta traditur, saepe ex dolore aurium, vt iure dixerit Celsus dolorem aurium grauiorem esse dolore oculorum, sed haec dicta putate de dolore interno, quia externus nullo modo periculosus est, quoniam videmus quotidie perforari ad delicias aures exterius, & tamen nullum dolorem inde consequi. Sed quamquam dolor hic semper periculosus sit, est tamen differentia, quia in aliquibus magis loethalis est, in aliquibus minus. In pueris ait Hippocrates loco cit. dolorem aurium saepe ad mortem perducere, senes vero ex aurium doloribus facilius & frequentius euadere. Sed dices, quomodo fit, vt dolores aurium sint in senibus securiores, quam in pueris, ait enim Galenus septimo aph. in senibus omnia esse periculosa ob virtutis imbecillitatem? Licet sit maior virium imbecillitas in senibus, quam pueris, sunt tamen grauiores aliae causae, quae faciunt, vt dolores in pueris sint magis loethales, quae causae non sunt indignae cognitu. prima est, quam etiam significauit Hippocrates, & Auicenna, quod pueri non possunt ob sensus acumen sustinere dolorem, & propterea sub dolore tamquam sub tormento intereunt. senes autem cum habeant sensus ipsos hebetes, & tardos, non ita percelluntur à doloribus, & propterea facilius tolerant, nec sub ipsis ita opprimuntur, quod autem habeant sensus tardos, & praesertim tactus, & auditus disputatum est à Plutarcho primo, quaestion. natural. quaestione septima, vbi ait senes delectari mero non alia ratione, nisi quia sensus tardos, & admodum obtusos habent, ita vt non excitentur nisi à re acuta, & probat exemplo sensuum, primo quia senes non percipiunt dolores, nisi sint valde acuti, deinde quia à vulneribus non ita dolent, vt iuuenes, & videbitis saucios senes, non perinde dolere atque alios, quia sensus tactus in ipsis obtusus est, ita quoque cantores dum senescunt semper amant acutiores voces, quia solummodo à re acuta excitantur. Est itaque haec prima causa cur pueri magis offenduntur, quam senes, quia in pueris sensus magis sunt vegetes, in senibus obtusi, & tardi; altera ratio est, quia in pueris inflammationes, vel numquam, vel rarissime ad suppurationem veniunt, in senibus autem secus. ratio est, quia natura puerorum non potest diu ferre dolores, & iccirco prius succumbunt, quam fiat suppuratio, senes autem cum possint ferre

re dolores, possunt etiam durare donec inflammatio veniat ad suppuratione. Dices, saepe videmus senes doloribus aurium interire. dico verum hoc esse, sed non fieri ratione doloris, verum quia malum faciliter in senibus renouatur, & ex recidiuis frequentibus accidit, vt etiam senes intereant, immo vero interdum & pueri sanantur, & tunc potissimum hoc contingit, quando inflammationes suppurantur.

Curatio. Cum igitur hic morbus sit adeo loethalis, magnum studium adhibendum est, vt quam primum oportunis remedijs succurratur, & si quae est aegritudo, quae sollicitum medicũ postulet, sane haec est. Communissimus scopus est, vt hoc symptoma, & hic dolor prorsus amputetur: modus autem amputandi duplex est, alter quando tolluntur causae, alter quando ita sensus obtunditur, vt dolor non percipiatur. Inter causas tollendas est etiam differentia, quia interdum solum sunt internae, interdum accedunt & externae, quae vel faciant dolorem, vel saltem conseruent. Vbi dolor sustineri non potest, ita vt adeo grauis sit, vt periculum immineat deterioris mali, certe debet medicus ipse dolorem reprimere, & si hoc ipsi non succedat ablatione causarum, recurrendum est ad alium modum, scilicet ad stupefaciendum sensum, verum in hoc etiam magna prudentia opus est, propterea quod, vt alias docuimus, omnia quae impense refrigerant, sunt valde inimica auribus, propter quod Galenus iure commendabat veteres qui in tollendo dolore vtebantur opio torrefacto, eo quod torrefactio frangeret nimiam opij frigefactionẽ. Sed quamquam hoc commendauerit, profert tamen opij cum castoreo mixtionem, hac scilicet ratione, quod licet in opio torrefacto frangatur frigiditas, diminuitur simul & ipsa facultas, eo quod ignis dum torrefacit, aufert spiritus, & facultates opij, in mixtione autem opij, & castorei, ait Galenus frangitur facultas opii, sed virtus eius neq; minuitur, neque amittitur.

In tollendis ijs causis, quae dolorem aurium faciunt, cogitandum est ante alia, an solae sint causae internae, an etiam externae, quae vel faciant, vel saltem foueant dolorem: si sint internae, adhuc considerandum est, an sola sit intemperies, an cum materia. Vbi sola est intemperies, primo instituendus est victus, qui intemperiei contrarius sit, deinde veniendum ad localia, quae in omni dolore aurium debent esse, vel debilia, vel mediocria. In calida intemperie commendatur albumen oui, mirifice laudatur ab Auicenna lac mulieris, vel solum, vel cum succo solatri, coriandri viridis succus, succus granatorum, cum oleo rosato, oleum rosatũ, vel simplex, vel lumbricatum. In frigida vero optimus est succus

cepa-

ceparum mixtus ad ignem vna cum oleo , cui immersum sit , vel piper , vel euphorbium, castoreum cum oleo commendatur maxime à Galeno, oleum chamomillae, oleum rutaceum, costinum, succus origani cum, lacte mulieris , succus cepae cum adipe anserino, vaporationes etiam maxime prosunt , & praesertim illae , quae fiunt ex absinthio chamomilla origano. Rabby Moyses 22. aph. laudauit oleum seminis canabis , quod praeter qualitatem manifestam, maxime etiam a proprietate valeat. Auenzoar laudauit oleũ vitellorum ouorum , quod ait non solum conferre in hoc dolore , sed in quocunque . Ante hos omnes Scribonius Largus commendauit picis florem , qui aliter dicitur Picelaeum , immo testatur , se quandoque vexatum esse hoc dolore , & nullum remedium sese expertum magis efficax . Si intemperies non fuerit nuda, sed cum materia , vel haec erit vaporosa , vel humoralis , si vaporosa , conuenit imprimis victus , quem alias laudauimus in discutiendis flatibus. postea conueniunt ea medicamenta localia , quae flatus dissipare putantur , oleum sinapis cum assa foetida , oleum anisorum, oleum liliorum , rutaceum . ego vero accipio cepam , seu corticem cepae, in quo pono drac. ij. vel iij. olei chamomillae, deinde addo scrup. j. pul. anisorum , & tantundem pul. piperis albi , iubeo , vt cortex supra prunas ignitas contineatur vsquequo totum oleum absorbeatur , deinde contundi curo , & exprimi succum , qui instillatus in aurem dolentem ex vaporibus, dolorem tollit. Hippocrates secundo Epid. sect. 6. ait , si auris doleat , appone ventosam, quem locum exponens Galenus , vt ait Razes tertio contin. ait , hoc factum esse difficillimum , nisi ventosa sit magna , sed Razes testatur hoc non ita difficile esse , & fieri posse etiamsi non sit adeo magna , vt apponatur ventosa ignita . Si materia non sit vaporosa , sed humoralis , aut erit frigida , aut calida . Si frigida , prius instituto uictu , quem in alijs similibus affectibus docuimus , praeparandi sunt humores, & euacuandi , eodem modo atque in surditate à causa frigida . Purgato corpore , & capite , deueniendum est ad localia pro quibus laudat Aetius nitrum tritum, & vstum, elleborum vtrumque, aristolochiam, ego etiam vtor huiusmodi medicamento. ℞. succi cepae , rutae , anà drac. j. mellis vnc. ij. castorei , cimini , nitri, anà scrup. ij. misce ad lentum ignem , & bulliant parum , deinde instilletur liquor in aurem . Si materia sit calida , & sanguinea, praesentaneum remedium est venae sectio , neque tardandum est, & ego non semel vidi statim finitum dolorem secta vena . Quod si sanguis non sit , sed alij humores , videndum erit an isti sint commixti sanguini, tunc enim etiam pertundenda esset vena cephalica , sed detrahendum minus sanguinis , quod si non sint

mixti, tum praeparandi sunt, & euacuandi, vbi euacuatum est corpus, & caput, quamprimum vtendum est localibus, quae laudauimus in intemperie calida. Sed saepe fit, vt dolor hic sit acerbissimus, ita vt aeger non possit ferre vsque ad expurgationem, quo in casu etiam in principio non facta expurgatione, vtendum est localibus, ratio est, quia ob dolorem imminet maius periculum, ne maior fiat attractio, & ne malum cerebro communicetur, quam immineat periculum ex adhibitione localium non purgato corpore, quae vero conueniunt localia, sunt, quae leniter, & blandè mulcent dolorem, quae stupefaciunt sensum leniter, & sine periculo. Hactenus de localibus conuenientibus in causis internis. Circa quae duo monendi estis, vnum quod vult Galenus obseruari 3. de med. local. vbi scilicet aurem dolor maxime torquet, numquam partem illam dolentem tangendam esse, quod intelligendum est, vt neque tangatur manu, neque vllo instrumento, quia pars suapte natura sensibilis est maxime, ob morbum irritata est valde, si magis adhuc irritetur, malum deterius euadit. Itaque si localia erunt adhibenda, vel per fumum, vel per leuem, & placidam instillationem. Alterum notandum est, vt semper caueatis vsum ciborum crassorum, curetis aluum lubricam esse, parum in cena manducetur, sed praecipuè curetis, vt auris aliquo munimine defendatur à frigore externo. Si causae fuerint externae, quae vel malum fecerint, vel faciant, & foueant, aut erit percussio illata, vel corpus externum illapsum in aurem. In percussione, quae dolorem fecerit, & facit, maxime prodest panis tritus ex melle immaceratus, sicque auri frequenter superpositus. commendauit Galenus thus aceto eliquatum, vtiles sunt fomentationes ex decocto absinthij, cicutae, agni casti. In dolore facto ob corpus externum illapsum, videndum est quodnam sit hoc corpus, quod facit dolorem. Si sit aqua, antiquissimum est remedium, oleum auri imponere, & aurem pronam seruare; hinc enim antiquitus fuit factum adagium in superbos, ferre oleum in auricula. Sed dicetis, qui fit vt oleum extrahat aquam ex auribus? Aristoteles 32. part. prob. 10. duas causas adfert, vnam, quod oleum lubricam reddit aurem, per lubricam aurem facile effluit humor aqueus: alteram, quia aqua facile adhaeret oleo propter lentorem, itaque cum oleum exit, simul etiam aqua educitur. Hoc edocti vrinatores, ne aqua labatur in aures, oleo solent eas replere. Auicennas, & Mesue, tres modos adferunt, quibus aqua ex auribus potest auferri, vnus est, quem docuit etiam Galenus tertio de med. local. vt scilicet fiat fistula argentea, vel ossea, atque immittatur in aures, deinde exugatur, nam in ea exuctione aqua ingreditur ni fistulam; post

hoc,

hoc, ait Galenus aliquod aromaticum auri indendum est, & notate dictum esse, hanc fistulam debere esse argenteam, vel osseam, quia si ex arundine fieret, praeterquam, quod arundo proprietate quadam nocet, vt dixi, etiam sua substantia exasperat aurem. Idem quod fistula faciunt & corpora spongiosa auri immissa; & ego soleo accipere medullam milij indi, alij laudant sambuci, ex hac medulla facio collyria subtilia, quae impono auri; haec materia sua spongiositate exugit humiditatem ex aure, atque ita exiccat. Alter modus Auicennae, & Mesues est, vt excitetur tussis, vel vt impleatur auris aqua, & deinde velociter in pronum vertatur auris, post aliquo radio tractetur interna pars auris, sic enim dicunt isti exire aquam. Sed hoc non sum expertus. Tertius modus, quem non inuenio apud Galenum est, vt capiatur cannula anethi, quae sit longa palmam vnam, media eius pars illinatur oleo, aut circumducatur gossipio, & in fine illius gossipij apponatur aliquis circulus, vel ferreus, vel alius, qui sit latus saltem digitum vnum; accipitur deinde canna, & qua parte est denudata gossipio, vel sine oleo, mittitur in aurem, altera parte vritur, ignis vis per partem post partem communicatur auri, ita vt calore flammae exugatur, & consumetur tota humiditas interna; & quia periculum esset ne ignis serperet, adest circulus, qui prohibet ne ignis ingrediatur aurem. Possumus his modis attrahendi aquam, alium adijcere ex Galeno, vt scilicet pede proximiore auri affectae saltetur, & auris versus terram inclinata teneatur, sic enim, & inclinatione, & concussu corporis fit, vt aqua defluat. Si non aqua, sed aliud aliquod corpus externum aurem ingressum, dolorem faciat, est Galeni praeceptum, vt primo tentemus eluere aurem, quia ex elotione interdum sola exeunt haec corpora; si non succedit haec curatio, accipitur specillum, & ei circumponitur lana oblita terebinthi succo, atque ita ponitur intra aurem, nam corpus adhaerens lanae, ob tenacitatem terebinthinae extrahitur, & sequitur specillum. Quod si vsus terebinthinae non placeat, Serapio commendauit picem, cui etiam adhaerent haec corpuscula, & vna extrahuntur. Quod si neque ista prosint, agendum est tusse, & sternutatorijs, ex his enim, vt alias dixi, vehementer concutiuntur aures, ex quo concussu expellitur quicquid intra ipsas positum est. Quod si neque hoc succedat, qui laborabit, vel puer erit, vel vir, si puer, omnes commendant, vt pedibus eleuetur, & caput concutiatur, quia etiam ex hoc situ exeunt corpora, si sit vir extenditur corpus supra tabulam, & pars affecta ponitur prona, quo facto deinde tabula, supra quam positum est caput, modo attollitur, modo deprimitur, vnde fit, vt moueatur corpus intra aurem de loco,


quod

quod poſtmodum ferro aliquo poteſt extrahi, quod ſi haec non ſuccedant, videndum eſt, ſi corpus frangi poteſt, vt eſt faba, cicer, nam ſi ita ſit, frangendum eſt corpus illud aliquo inſtrumento: quia diffractum facilius educitur. Sed quia inter frangendum ſolet auris exaſperari, praeceptum eſt, vt ſtatim immittatur ſapa, vel vinum intra aurem, quia huiuſmodi liquores leniunt, & tollunt aſperitates factas. Si corpus ingreſſum ſit animal, à Galeno laudantur tria, vnum eſt ſcammoneum aceto tritum, & auri infuſum, alterum abſinthij, aut peucedani ſuccus. tertium nitrum, & ſulphur tritum, & auri immiſſum, haec omnino non modo interimunt animalia, verumetiã incidunt, & extenuant, ita vt facile poſtmodum exeant. Plinius lib. 28. cap. 4. ſcribit, quod ſi animal ingrediatur aurem, iuuat inſpuere auribus, & hoc remedium non eſt irrationale, quia ſaliua hominis, & praeſertim ieiuni, apud omnes medicos putata eſt inſecta animalia enecare, idem quoque ait murium, fel aceto eliquatum, & infuſum enecare animalia, quod etiam apud Marcellum tanquam exploratiſſimum ſcriptum eſt. Quod ſi ſordes aliquae detentae dolorem faciant, laudatur oleum nardinum, nitrum aſſatum, & puluerizatum, & acetum calidum. Hic eſt finis tractationis affectuum aurium.

FINIS.

ERRORES SIC CORRIGITO.

C.2.B.fallolop. corrig.	fallop.
4.A.humiditate intimã.cor.	humiditatem.
4.B.iſte. cor.	iſtæ.
9. A.oſtenduntur.cor.	oſtenditur.
10.A. qui ad ſenſum. cor.	quod.
12.A. particularem.cor.	particulare.
12.B.voratam.cor,	vocatam.
12.B. eſpoſuiſſe. cor.	expoſuit,
12.B. ore quo. cor.	ex quo.
20.B.cornum.cor.	cornu.
46.B.denario.cor.	denarios.
ἐκπρανκά.cor.	ἐκπρωτικά.
54.B.mocediriter. cor.	mediocriter.
ϛυβὶσζοας.cor.	ϛοβὶζκσας.
72.A.ſancto loco.cor.	ſecundo loco.
74.B.prorſis.cor,	prorſus.
ibidem Galeni. cor.	Galenus.
84.A quento.cor.	quanto.
ibid.monuita quas. cor.	monuit aquas.



REGISTRVM.

* ** A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z
A a B b C c D d.
a A B C D E F G H I K L M N O P Q.

Omnes ſunt Duerni.



Venetijs apud Iuntas, M. D. X C.